IOH. NICOLAI FVNCCII

Marburgensis

DE

ORIGINE

ET

PVERITIA LATINAE LINGVAE

LIBRI DVO.

VTERQVE SECVNDVM AVCTIOR LONGE ET EMENDATIOR EDITVS.

ACCEDIT

SPICILEGIVM LITERARIVM

ET

INDEX RERVM ATQVE VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.

MARBVRGI CATTORVM

EX OFFICINA PHILIPPI CASIMIRI MVLLERI

Acad. Typogr. & Bibliop.

M DCC XXXV.

PRAEFATIO.

Quod ſuo tempore TVLLIVS, a) Graecam literaturam dignis euehens laudibus, palam non verebatur profiteri, cum domeſticis ſiquando componeretur monumentis, palmam illi procul dubio deberi; quoniam Graeca legantur omnibus fere gentibus; Latina ſuis finibus, exiguis ſane, contineantur: neque nos, nunc orbis facie mutata, atque hoc eruditorum vnanimi ſenſu approbante, poenitebit affirmare, Latina omnibus fere gentibus legi, Germanica et quotquot ſunt reliquarum gentium ſcripta finibus haud certe magnis contineri. Quemadmodum enim Graeca fuit olim, ſic Latina lingua temporis ſucceſ-

a) Orat. pro Archia cap. 10.

ſu orbis eruditi communis facta eſt vernacula: vt vix hodie nomen mereatur hominis docti, qui politiori hac lingua, vbivbi verſetur, non mediocriter imbutus, doctiſſimorum quorumque virorum monumenta legere poteſt. Vt Graeca Ciceronis aeuo, ſic noſtra aetate, a tot retro annorum obtenta felicitate, Latina lingua non immerito pro cuiuſuis diſciplinae et bonarum artium vehiculo habetur: neque etiamnum, ringente licet inuidia, tot maleuolorum curis atque moliminibus proſcribi poteſt. Perexigua profecto fuerunt tantae Romanorum poteſtatis initia, ſi cum immenſo imperio, quod poſt ea tempora obtinuere, comparaueris. Ambitus namque vrbis, quam Romulus in monte Palatino exſtruxerat, vix vnum milliare videbatur exaequare. Non maior ipſius montis circuitus, vt ab ANDREA FVLVIO *b*) ciue et antiquario Romano obſeruatum eſt. Vrbis vero pomoerium, quod ſe vltra vallum aliquantulum porrigebat, pedi montis a Romulo incluſum, A. GELLIVS *c*) teſtatur.

Et ſi

b) Rom. antiq l 2. c. 3. *c*) Noct. Attic. l. 13. c. 14 *Antiquiſſimum pomoerium, quod a Romulo inſtitutum eſt, Palatini montis*

Et fi HALICARNASSENSI DIONYSIO d) fides, primorum incolarum numerus intra ter mille trecentos ftetit. STRABONI e) vero etiam fitus Romae, qui expofitus oppugnantium iniuriae, nullam videbatur fpem futurae felicitatis feciffe. Sed creuit in immenfum faepe, quod fuit ante nihil. Et ipfa Roma virtute et labore, temporis fucceffu, omnia exfuperans naturae bona tantis aucta eft incrementis, atque in tantam furrexit magnitudinem, vt Aureliani aetate vrbs quinquaginta milliaria in circuitu habuerit: imperium non nifi tribus millibus milliarium in longitudine, mille ducentis in latitudine circumfcri-

montis radicibus terminabatur. Sed id pomoerium pro incrementis reip. aliquotiens prolatum eft et multos editosque colleis circumplexum eft.

d) Antiq. Rom. l. 1.

e) Geogr. l. 5. p. m. 162. Conf. VOPISCVS Caro Imper. cap. 2. vbi de Romana rep. teftatur, nullam magis vel bonis floruiffe, vel malis laboraffe. Inter reliquas cauffas, quae Romanis tantam imperii maieftatem parauerint, STRABO geograph. l. 6. p. m. 197. etiam has recenfet, quod Italia velut infula circum circa maris tuto praefidio cingeretur, demtis quibufdam paucis partibus, quae et ipfae inuiis montibus munirentur; quod plerisque locis importuofa effet, et quos haberet portus, magni effent et admirabiles: quorum illud aduerfus exterorum incurfiones; hoc ad inuadendos viciffim exteros, et mercaturae expeditam copiam conduceret.

cumſcriberetur, f) Neque adeo mirum, Roma orbis facta ſede primaria, in longe diſſitas regiones cum Romanorum vel imperio, vel commercio, linguam iſtorum quoque omnium elegantiſſimam tranſiiſſe, vel ſponte ab hominibus, literarum amantiſſimis, ſimul cum ingenuis artibus atque diſciplinis, matris inſtar faecundae, arreptam fuiſſe: donec proeinciarum non modo, verum etiam orbis uruditi valde familiaris, et apte nata conſtitueretur vernacula. Haud quidem aliter voluit tot gentium domina, quae, vt VALERII g) verbis vtar, quantam prae ſe tulerit maieſtatem, *hinc cognoſci poteſt, quod inter cetera obtinendae grauitatis indicia, illud quoque magna cum perſeuerantia cuſtodiebat, ne Graecis vnquam, niſi Latine reſponſa daret. Quin etiam ipſa linguae volubilitate, qua plurimum valent, excuſſa, per interpretem loqui cogebat: non in vrbe tantum, ſed etiam in Graecia, et Aſia: quo ſcilicet Latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffun-*

---

f) Confer. LIPSIVS de magnitudine vrbis Romae l. 3. c. 3. BREREWODVS ſcrutinio linguarum c. 3. Imperator Antoninus Heliogabalus apud LAMPRIDIVM cap. 26. iocabatur ita cum ſeruis aliquando, vt eos iuberet millena pondo ſibi aranearum deferre, propoſito praemio: et collegiſſe dicitur decem millia pondo aranearum, perhibens, et hinc intelligendum, quam magna eſſet Roma. Hanc ergo TACITVS *caput rerum* vocat hiſt. l. 2. c. 32. n. 5. *unde in omnia regimen* annal. l. 3. c. 47. n. 2.

g) VALER. MAX. l. 2. c. 2. §. 2.

diffunderetur. Sic nullibi non decreta a praetoribus Latine interponebantur. *h*) Legationes, ſupplicationes, appellationes non niſi Latine peragebantur. Plebiſcita, leges, ſenatus conſulta lingua habebantur non alia, quam Latina. Frequentes mittebantur coloniae, quibuscum nulla conſuetudo, niſi Latina. Summus denique omnium prouincialium acceſſit honos: poſtquam in orbe Romano qui ſunt, ex conſtitutione Imperatoris Antonini Pii, ciues Romani facti ſunt. *i*) Eccui vero iura ciuitatis placent, cuius vocem non intelligit, atque adeo conſuetudinem omnem, ſine interpretis alicuius fide, eiurare debet? Quandoquidem et ipſum linguae vſum conſtat ad ciuitatis Romanae iura pertinuiſſe. Nam et Cumani, centum quadraginta annis ante Caeſares, cum iam populus Romanus totam Italiam, Siciliam, Sardiniam, et bonam Hiſpaniae partem occupaſſent, ex ſingulari fauore obtinuerunt, vt publice Romana lingua vterentur, atque praeconibus Latine vendendi ius eſſet. *k*) Mox

h) L. 48. D. de re iudicata. *i*) L. 17. D. de ſtatu hominum.
k) LIVIVS hiſt. Rom. l. 40. c. 42. Confer. tr. de adoleſcentia L. L. cap. 1. §. 7. pag. 40.

Mox et in prouinciarum quibusque scholis sola propemodum Romana lingua in vsu et maximo pretio fuit: illis certe, qui ad honores et nominis Romani gloriam adspirare videbantur: cum nulla fuerit sine Romanorum vernacula cuiquam relicta emergendi occasio. Quid? quod etiam Claudius Caesar, SVETONIO teste *l*) splendidum virum et Graeciae alicuius prouinciae principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo iudicum erasit, verum etiam in peregrinitatem redegit. Sic, vt VELLEIVS *m*) habet, in omnibus Pannoniis non disciplinae tantummodo, sed linguae quoque notitia Romanae; plerisque etiam literarum vsus, et familiaris animorum erat exercitatio. De Gallis et Hispanis, vel ex STRABONE, *n*) res notissima: ex quibus regionibus etiam omni Romanorum disciplina eruditissimi homines prodierunt. Eandemque linguam suo tempore in Africa obtinuisse, APVLEIVS indicat, *o*) vel ex Cypriani et Augustini sermonibus, qui, vt habiti sunt, etiam extant hodie, satis

l) Eius vita cap. 16.

m) Hist. l. 2. c. 110. n. 5.

n) Geogr. l. 3. et 4.

o) Floridorum lib. 4.

tis clare patet. Nec forſan ab aliis neglecta fuit Romanorum lingua, niſi quibus eorum inuiſa poteſtas. Hos inter cum Germanis, et gentibus ſeptentrionem verſus aliis, nouimus fuiſſe Britannos, quorum filios principes Agricola *p*) ſuaſit liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferre, vt qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent. Quicquid propagandae linguae Latinae reliquum fecit imperii maieſtas: ſummi tandem pontificis auctoritas, qui religionis nomine tantum non omnes, Chriſtum orbis Seruatorem profitentes, ſub poteſtatem ſuam redegit, etiam amiſſa ipſius ſermonis elegantia, facili negotio, vt hanc reciperent deuotionis notam, impetrare potuit. Quo iure, quaue iniuria, noſtri Germani, aliique extra imperium Romanum populi, neglecta prope vernacula ſua, alienam, et hanc dominationis ſimul atque obſequii teſtem, amplecti coeperint olim, vel nunc etiam ſartam tectam ſeruare maxima cum voluptate inſtituant, non diſquirimus. Hoc conſtat, Romanos omni

** cura

p) Apud TACITVM Agric. cap. 21.

cura, ingenio, et induſtria egiſſe, vt linguam haberent omnium elegantiſſimam, quae ſimul cum imperii maximo flore ſuum quoque nitorem, omnibus numeris abſolutum, obtinuiſſe videtur. q) Nec facile quiſquam ierit inficias, Romanos ſatis mature ab Graecis non ſolum liberaliores didiciſſe fideliter artes: quas indefeſſa opera perpoliuerint vſque adeo, vt principes in omni diſciplinarum genere habeantur Romani. Hinc elegantiſſima omnigenae eruditionis et doctrinae monumenta vetus Latium ſuppeditare ſolet, quibus literati, in vniuerſo terrarum orbe quotquot ſunt, vel fieri cupiunt, vix ac ne vix quidem carere poſſunt. Mirum ergo nemini videbitur quidem, vt Romani olim non erubuere imitari Graecos, eorundemque cum artibus linguam ſeruare, tanquam ciuitatis eruditae vernaculam; ſic et Germanos cum ceteris gentibus eandem conſuetudinem tenuiſſe, ſuamque remp. literariam, Latinis praeſertim ſtabilitam monumentis atque liberalioribus diſciplinis, haud difficul-

q) Vid. VBERTI FOLIETAE commentarii de linguae Latinae vſu et praeſtantia. Vel, ſi dicere fas eſt, tractatus noſtri de virili aetate L. L. part. 1. cap. 1.

difficulter permisisse, cum artibus Latinis, adeo sibi proficuis et salutaribus, communem etiam Latinam habere linguam. Hoc vero etiam atque etiam optandum est, vt ab optimis auctoribus adeo commendatam linguae castitatem custodiant, qui cum Latinis loqui valde cupiunt. Saepius enim, proh dolor! et illi, qui doctos inter alicuius sunt nominis, et ciuitatem mereri numerosis voluminibus videri volunt, ad insignem ignominiam, suamue calamitatem, stili iactant elegantiam, atque Latinitatem prae se ferunt; sed barbare loquuntur et scribunt: ita quidem, vt si veteribus Latinis eos vel audire, vel legere liceret, vix ac ne vix quidem suam intelligerent linguam. Suo quisque genere delectatus hodie, verum non capiunt orationis genium, puritatem flocci habent, neque auctoris optimi cuiusque imitationem admodum perpendunt. Et caussae mihi videntur, esse plures, quo minus eo, quo veteres peruenerunt, nos quoque accedere possimus. Natura, educatio, puerilis doctrina, subtilior cognitio, ratio literarum, consuetudo sermonis quotidiani, nonnisi optimorum scriptorum lectio, memoria, vsus et exercitatio,

ſtudium permanens, et alia requiruntur, ſi quis Latine doctus ita loqui et ſcribere ſatagit, vt ſermones literatum mereantur plauſum, et eruditionis monumenta aetatem ferant. Nihil vero vtilius, aut magis neceſſarium eſt, quam perquirere illius linguae fata, cuius ſtudio fatigamur: vt eius originem, incrementa, perfectionem, decrementa, et poſt tot viciſſitudines reſtaurationem gloriamque recuperatam cognoſcamus: vt veterum auctorum monumenta, orationis formandae inſtrumenta, probatae Latinitatis teſtimonia, in promtu habere, diſponere, diiudicare, in vſum denique noſtrum conuertere diſcamus. Equidem vix aliter mihi perſuadere poſſum, quam artibus fata quibuſque ſuis auxiliatrices porrigere manus: atque vt eccleſiaſtica hiſtoria perpetuo euoluenda theologo; vt iuris hiſtoria iureconſultum perficit; vt medica, naturalis et philoſophica hiſtoria homines arte ſalutari et philoſophia fortius imbuere ſolet; vt experta vel in memoriam reuocata ſua quamque diſciplinam fata iuuant: ita Latinae linguae ſtudioſo nihil iucundius, aut magis proficuum eſſe, accuratiori huius

linguae

linguae hiſtoria. r) Eſt ea quidem ſuauitas et vſus communis vniuerſae hiſtoriae, quam TVLLIVS non immerito teſtem vocat temporum, nunciam vetuſtatis, lucem veritatis, vitam memoriae, magiſtram vitae: cuius adeo laxis et auguſtioribus terminis, quicquid diſciplinarum eſt atque artium, contineri videmus: attamen literaria ſigillatim, et cum immenſa quoque ſit huius amplitudo, per tot gentium et linguarum fata, per tot annorum ſeries, et antiquitatum monumenta, per tot diſciplinarum et artium genera, per tot rerum viciſſitudines diffuſa; Latinae linguae

r) Ita ſane docti ſentiunt omnes. Atque in primis H. CONRINGIVS praefatione libri Corneliani de moribus Germanorum pag. 7. *Quum ſcientiae*, eleganter inquit, *atque artes omnes, ſolas ſi mathematicas, quas puras vocant, exceperis, experientia rerum vt quam maxime indigeant, neque ſine hac vllam earum liceat aſſequi, hinc iam neceſſitas etiam ſumma hiſtoriae oritur, veluti quae exhibeat complexum aliquem experientiae cuiuslibet generis. Neque vero datum eſt hominibus natis omnia per ſe ipſos explorare, ſed multa certis aliorum teſtimoniis accipienda ſunt; quae porro conſenſu meliorum iam ſunt conſtituta, illa vocare in dubium, non niſi impudentis fuerit. Igitur mirum quantum afferat lucis doctrinae cuilibet ea, quae illi reſpondet, hiſtoria: ceu naturali philoſopho naturalis, aſtronomo coeleſtis, ciuili ciuilis, medica medico, ſingulis ſua. Manuductrix igitur ſeueriorum ſcientiarum eſt hiſtoria, tantumque parit delectationis, quantum ſcientiae atque artes quaelibet largiuntur.*

guae hiſtoria opus eſt illis, qui ciuibus Latinis adſcripti, quibuſcunque Romanorum vel aliarum gentium Latinis monumentis detinentur. Quid in hoc genere viri maximi praeſtiterint, vulgo notum eſt. Quorundam, vt in ea hiſtoriae literariae non contemnenda parte verſantur, eruditiſſima opera indicauimus programmate, *s*) quo ante hos fere duodecim annos de variis Latinae linguae aetatibus, et noſtro aetates iſtas illuſtrandi ſtudio egimus. Iamtum et paulo ante non irrito conatu, quae cateruatim elegantiſſimi homines paucis et ſummatim tradiderunt, per aetates, et notatu maxime dignas periodos, ſingulis commentariis diffuſius pertractare coepimus, et quinque libris fata Latinae linguae ad obitum Caeſaris Octauiani Auguſti adhuc proſecuti ſumus. Num ex beneuolentia magis, quam ex rei veritate, non conſtat, illuſtres etiam, imo grauiſſimi literarum cenſores hanc noſtram opellam non omnino contemnendam eſſe iudicarunt: et ſunt, qui, vt magis eloquentiae Romanae amantiſſimis eueniret iucunda, quantocius eſſe abſoluendam perami-

s) Tr. de adoleſcentia L. L. praefix.

peramice monent. Horum exſpectationi vt fieret ſatis, ego certe librario, qui ſumtus facit, viro, de literis cetero bene merenti, alacriorem operis promouendi animum eſſe velim. Sic vero nunc feſtinandum eſt nobis lente, neque plus dandum, quam literis ſuis deſcribendum expetit. Iam diu aetas Latinae linguae decreſcens cum aliis libellis, ſi voluiſſet typographus, prelum exercere potuiſſet. Verum ille, vt prope omnia, quam ſperant homines, ſecus eueniunt, nouam et emendatam priorum de origine et pueritia Latinae linguae tractationum, iamiam ab aliquo tempore deſideratarum, editionem hanc procurare maluit, data fide, quando ſibi quidem liceret, fore, vt proximis nundinis etiam illi de monumentis Romanorum ad Traiani vſque Caeſaris obitum commentarii emitterentur. His, Lector beneuole, interea temporis, vt ſoles, vtere, et boni conſule, ſi tantum, quantum rationes noſtrae tempusque ſinunt, impertiamus. Vale. Rintelii Kalend. Decembris CIↃ IↃCCXXXIV.

Egre-

Egregiam praestant operam, quos cura Latinae
Exstimulat linguae vt repetant ab origine fata.
Qua ratione nitor paucis exsurgere micis
Coeperit, et rursum foedo suffusus amictu,
Faecibus absterſis donec reparata venustas?
Historiam Linguae *veteremque nouamque* Latinae
Texere, multorum labor est; spatiumque per ingens
Temporis hanc dubiam est nemo ausus reddere palmam.
Sola sed haec, FVNCCI, TIBI *laus seruata decusque,*
HESSVM ceu quondam Smyrnaeum, teste MYCILLO,
Vertere laus mansit, donare et veste Latina:
Sic pariter laus est Hasso TIBI *vera superstes,*
Condere qui studeas sermonis fata Latini.
Hoc superest vnum, faciunt haec vota Camenae,
Aequor vt hoc vastum felix sulcando peragres!
Non equidem praesens solum TE *turba Virorum*
Docta canit, rebus pretium qui ponere iustum
Norunt; posteritas laudem, decus atque rependet,
Et pariter nomen veniens portabit in aeuum,
Ceu stabilem seruant famam sua scripta THVANO.

Collegae hisce Collega, doctissimos de *Origine* et *Pueritia Latinae linguae* libros noua editione vulganti, accinebat gratulabundus

WIGANDVS KAHLER, S.Theol.Licent.
eiusdem et Matheseos nec non Poeseos Prof.
Ordin. in Academia Rinteliensi.

DE

ORIGINE LATINAE LINGVAE

TRACTATVS,

Quo

Germaniae, ceû Matri, primos Italiae incolas, ac proin Romanos, ſuum et genus, et linguam debere, ex vtriusque Gentis Antiquitatibus et ipſa Populorum migratione demonſtratur.

TRACTATVS
DE
ORIGINE LATINAE LINGVAE

CAPVT I.

Quaenam Diuersi de Latinae Linguae Originibus senserint.

§. I.

Nihil difficilius esse, quam populorum eorundemque linguarum origines indagare. 2. Hinc circa Latinam linguam dissensus: 3. Vt Dionysius et Quintilianus eam statuerint esse mixtam e Barbara et Graeca. 4. Quibus Varro accedit. 5. Recentiores magis tribuunt Graecis; 6. Magis alii Germanis. 7. Stiernhelmius eam ex Thusca, Graeca et Phrygia deducit. 8. Inchoferus nunquam in Italia fuisse aliam statuit praeter Linguam Latinam. 9. Hugo istam facit Iapheticam. 10. Disquiritur num Romulus suo regno linguam inuexerit aliam; 11. An Latinus secundum Gotfridum. 12. Origo Latinae Linguae an ex Hebraica et linguarum confusione deriuanda. 13. Qua ratione homines primum in Italiam venerint. 14. Quo tandem fundamento ad conciliandas aliorum sententias statuitur Auia Latinae Linguae incerta, Mater Germanica, Magistra Graeca. 15. Vt paradoxon istud paulo fusius dilucidari possit, Lectoris beneuolentia captatur.

 §. I.

§. I.

CVm antiquiſſima cuiuscunque gentis monumenta nos plerumque deficiant: aut ſi quae poſteritatis ſolertia ad nos peruenerunt, recentiora et plurimum anilibus fabellis referta, atque adeo obſcurae fidei traditionibus conſpurcata ſint: vt iſtis vel aſſenſum praebere, vel ea, quod palmarium eſt, ſatis intelligere nequeamus: gentium vtique migrationibus, linguarum originibus atque fatis, nihil indagatu difficilius, vel incertius ad aſſerendum reperiri poteſt. Vnde mirum nemini videri debet, aliquando homines, caeterum eruditiſſimos, et maximi nominis criticos, de rebus his tantum non obſoletis ac temporum iniuria diu ſepultis, more Andabatarum pugnare: vt largiamur cuique ſuo abundare ingenio.

§. II.

Verſamur nunc in iſta ſatis ſuaui et lectu intellectuque iucunda Latinae linguae generatione et origine: quae vndenam rectius deriuetur, Doctiſſimi viri adhuc diuerſo modo iudicarunt: nec etiamnum, vtut videretur, compoſita lis eſt. Decertare comprehenditur quilibet pro ſententia, aliquando Cimmeriis tenebris obſcuriori, ſua, quaſi pro aris focisque ſibi praeſertim digladiandi fuerit conceſſa facultas. Summatim vix aliquis controuerſam audet definire cauſam: an propter ſufficiens, quod deſideratur, antiquitatis iudicium; an propter diſſentiendi ſtudium; neque capio, neque conſtanter affirmare poſſum. Quoquomodo ſe res habeat, id ſaltem video, tantas, quas mouent, componere lites, et veritatem cauſſae, quam prae ſe quiuis ſibi ferre perſuadet, niſi

nisi ex argumentorum collatione et accuratiori partium examine, vel, vt ita loquar, recta suffragiorum diribitione, vix erui posse. Etenim qui plurimorum sententias, omni liberatus praeconcepta opinione, sub incudem reuocare, et paulo accuratius ad primam populorum migrationem attendere velit: haud obscure deprehendet, istos, si non ad vnum omnes, maximam tamen partem, quod ad rem et ipsam linguae originem spectat, in praecipuis consentire.

§. III.

Vetustissimi antiquitatis Romanae scriptores satis aperte fatentur, veram linguae suae originem a Barbaris deriuandam esse: quantumuis aduentum istorum, et quinam primo, et quando Italiam occupauerint, monumentorum defectu, vel antiquissimorum temporum ignorantia, demonstrare nunquam potuerunt. Saltem Halicarnassensis DIONYSIVS *a*) et ille summus Romanae eloquentiae magister, FABIVS QVINTILIANVS *b*) tacite quasi Germanis atque Celtis (alios enim non licet hic quidem intelligere Barbaros) originem tribuunt: vtut Latina Graecis commixta fuerint in ciuitatis Romanae constitutione, et temporis successu diuersa passim descenderit linguae compositio. Atque ille *c*) miratur admodum, ciuitatem istam penitus Barbaram non fuisse redditam, receptis Opicis, Marsis, Samnitibus, Hetruscis, Brutiis et multis Vmbrorum, Ligurum, Hispanorum et Gallorum millibus.

§. IV.

Neque dissentit plane, qui ante hos de Latina lingua optime commentatus est, M. TERENTIVS VARRO *d*) ubi *neque omnis*,

a) Rom. antiq. lib. 1. cap. vlt. in fin. *b*) Instit. orator. lib. 1. cap. 5.
c) DIONYSIVS l. c. *d*) De lingua Latina ad M. T. Cicer. lib. 4. c. 1.

omnis, inquit, *impositio verborum extat, quod vetustas quasdam deleuit: nec quae extat, sine mendo omnis imposita: nec quae recte est imposita, cuncta manet: multa enim verba littereis commutatteis sunt interpolata: neque omnis origo est nostrae linguae e vernaculeis verbeis: et multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant etc.* Vnde scire licet, ingenuos etiam Latinae linguae patronos in deriuandis vernaculae suae vocibus errare: non id quidem ex ignorantia Graecae, huius enim erant experientissimi, sed pristinae Barbarae, quam vocant, matris Latinae linguae: ex qua faciliori progressu et labore, consentientibus VARRONE, QVINTILIANO atque aliis, verborum significationes et differentias commonstrare potuissent.

§. V.

Quoquo se res habeat modo, sequuntur istos quotquot fere in hunc vsque diem elegantiores musas tractare intelligimus: quos inter duo post hominum memoriam grauissimos et eruditissimos cuiuscunque antiquitatis interpretes, IOSEPHVM SCALIGERVM *e*) et SAMVELEM BOCHARTVM *f*) nominasse nunc sufficiat. Illi, quod originem Latinae linguae attinet,

e) Differt. de Ionum literis et epistola ad Steph. Vbertum, itemque diatriba de Europaeorum linguis, inter opuscula Scaligeriana, Parisiis a CASAVBONO 1610. edita.

f) Phaleg. cap. 15. confer. IOH. BODINVS method. hist. cap. 9. p. m. 509. CRINESIVS, de confusione linguarum cap. 10. CHRISTIAN BECMANNVS manuductione ad Latin. ling. cap. 5. p. 26. 27. seq. Idem de origine Latinae linguae ex professo. THEODORVS RYCKIVS, differt. de primis Italiae colonis et Aeneae aduentu cap. vlt. §. 59. CRAMERVS orat. de fato Lat. ling. GRAVINA dialog. de Lat. ling. FACCIOLATVS de ortu, interitu et reparatione Latin. ling. ab exordio. Alii, quos citare longum est.

attinet, vellent id gloriolae Graecis vindicare: ita quidem, vt fateantur, a finitimis populis Barbaris plura in Latinum ſermonem incidiſſe vocabula. Sed tamen probare conantur, nihil patere latius, quam id, quod a Graeca manauerit, ac dein curſu temporum et ingenio humano inflexione varia et literarum commutatione corruptum fuerit. Quo adeo ipſa Latina lingua, magna ſui parte, facta ſit ex Aeolica, Graecae dialecto. Haec quantumuis ego etiam non temere negauerim, mihi tamen quam maxime videntur, non originem, ſed cultum et incrementa Latinae linguae potius reſpicere. De Aboriginibus iſtis, quae tradunt, primis Italiae colonis, num fuerint Graecae originis, poſt non ita multo videbimus.

§. VI.

Etiam vice verſa plurimi dantur ex recentioribus, qui originem Latinae linguae a Germanica, vel Celtica, vel Scythica, quam voeant, nec infelici ſucceſſu, deducunt. *g*) Atque illi magis primordia et natiuitatem, quam progresſum, et fata Latinae linguae ſubſequentia, acu tetigerunt: quod pluribus diſſertationis huius progreſſu patebit. Quamuis negare id quoque nollem, eſſe multos, inter olores enim haud raro interſtrepunt anſeres, qui ſententiam priorum

g) PHILIPP. CLVVERIVS German. antiq. lib. I. cap. 7. et 8. PETZRON de lingua Celtarum. GVILELMVS POSTELLVS de originibus Hetruriae. SCRIECKIVS de originibus Celticis. Anonymus Danus, qui, ſub AQVILONII nomine, de mixtione Graecae et Latinae linguae cum Danica ſcripſit. IOH. LVD. PRASCHIVS de origine Germanica Latinae linguae. Acta Erudit. Lipſ. 1686. p. 325. MORHOFIVS von dem Urſprung der Teutſchen Sprach und Poëſie. REIMANNVS Hiſtor. Liter. German. G. LEOPOLDVS PONATVS in der Anleitung zur Harmonie der Sprachen. vt innumeros alios ſilentio tranſeam.

rum non satis assequi possunt, suoque ingenio nimis indulgentes prope insaniunt: vt materiam istam, satis quidem nobilem, indigne tractent, et ipsam caussae veritatem sua vel libidine, vel ignorantia, hominibus eruditissimis et aliter sentientibus non modo suspectam, sed prorsus futilem et ridiculam faciant. Penes quos, mea quidem sententia, auctoritas nulla, vel argumentorum fides esse potest.

§. VII.

Ne nunc monstra aliorum, satis alibi ad nauseam vsque exagitatorum, huc referam, qui ex imaginaria sua lingua primaeua originem Latinae linguae statuunt: solus mihi commemorandus est GEORGIVS STIERNHELM, Nobilis et Doctissimus Suecus, *b*) qui, vt vetustissimam omnium fecit linguam Scythicam, qua patriam subintelligit suam; Latinam sero deinde voluit ex ista progeniem ortam fuisse, potissimum tribus substitutis parentibus, vernacula Aboriginum, siue Thusca, Graeca, et Phrygia. Sed haec in synopsi, cuius executionem probationemque, vt multa alia, istorum flagrantissimae Reip. literariae, praematura morte ereptus, dare nunquam potuit.

§. VIII.

MELCHIOR INCHOFERVS statuere haud veretur, in Italia nullam Latina lingua antiquiorem fuisse. *i*) Nec mirum: cum et ipse a maximi pontificis parte et Iesuita non indoctus, omnimodo sanctitatem isti vindicare, et diuinis laudibus religionis suae vehiculum euehere studeat. Imo curiosius ille, argumento etiam nescio quo, tandem ad istius linguae maiorem gloriam et auctoritatem conciliandam (quae

b) Vid. Synopseos cap. prox. seq. §. 8. a nobis exhibitae particulam 16.
i) Histor. sacrae latinit. lib. 1. cap. 6.

(quae absque nugis et eiusmodi fabellis potest sarta tecta manere) nobis persuadere conatur, *Beatos in coelo latine locuturos, et Christum latine interdum locutum esse. k)* .

§. IX.

Sed longe maior insania est IACOBI HVGONIS *l)* qui Latinam linguam fecit Iapheticam et quasdam sibi generales syllabas finxit, vnde voces Hebraeas, Graecas, atque Latinas deduceret. Multa ibi de Iapheti in Italiam aduentu, multaque de Aeneae ac Troianorum appulsu in typum proiecit, quae iure dicere possis omnia, aegroti veteris meditantis somnia et opera mystae.

§. X.

Alii Romulum suam linguam inuenisse tradiderunt. Quo spectant GRONOVII verba: *m) Sic ergo illos non Romanos loquutos audimus, quum Romulus non nisi ea lingua, quae mox latina dicta est, fuerit loquutus; hoc est, eam simul cum vrbe condiderit. Vnde habuit illam linguam Romulus? Secumne ex Alba attulisse credimus? Videlicet vt in itinere XX. millium passuum sic subito et ipse, et os eius transformaretur, ac nescio quae aëris mutatio repente eum adflans, totum cum retexuerit; adeo vt ex Albanis portis egrediens et Albano sermoni, qui multum ab Graecis traxisse fertur, imo vbi, quippe apud non Romanos, Graece, Festo teste, loquebantur, assuefactus, vt Romae locum tenuit, oblitus priorum inauditas inusitatasque voces protulerit.*

B XI. Pari

k) Ibid. lib. 5. cap. 2. et 4.

l) Opere, cui titulum praescripsit valde pomposum: *Vera historia Romana, seu origines Italiae ac Romae ad hunc diem ignotae.* Romae 1655. in fol. confer. MORHOFIVS de lingua Teutonica part. 1. c. 1. pag. 10. Polyhist. liter. lib. 4. c. 3. § 5.

m) Differt. de origine Romuli pag. 25.

§. XI.

Pari modo GOTFRIDVS VITERBIENSIS ſubitaneam, poſt Graecam, quae antea fuerit in vſu, linguam ſibi imaginatur: eandemque non Romulo quidem, ſed Regi cuidam Italiae antiquiori, LATINO, tribuit. Sic originem atque vſum Latinae linguae ſtato ſimul atque ſemel tempori, certisque perſonis factum communem inconſideratius, pro ſui ſeculi ignorantia, adſignare non dubitauit. Ita ille: n)

Dum judex Thola ſit in Iſraël ille propheta,
Lingua Latina venit, ſit litera dante poëta,
Verba loqui Graeca jam noua lingua vetat.
Sola per Italiam fuerat tunc litera Graeca,
Gramma nouum tribuit Latius R[illegible]x atque poëta,
Tullia rhetorica limat et atra vetat.

§. XII.

Facilior recurſus fuerit ad linguam primaeuam, quae, vt vulgo Hebraica fuiſſe creditur, absque omni dubio et ea ipſa Iudaeorum vernacula communis, vt reliquarum, ſic Latinae etiam linguae noſtrae mater et origo celebrari ſuo merito poteſt. Et ſi, quod orbi pene vniuerſo adhuc perſuaſum eſt, in exſtructione turris Babylonicae, oborta populorum diſcordia, neſcio qua ſummi numinis bonitate, vel miraculo, dedit praeproperam linguarum copiam: quid ni ea rerum confuſione, et gentibus in longe diſtantes orbis terrarum regiones diſperſis, colonia quaeque vernaculam ſuam attulit illis locis, quibus pedem figere et colere vitam conſtituebat.

§. XIII. Ve-

n) Chron. part. 6. apud PISTORIVM Germ. Scriptor. tom. 2. pag. 136.

§. XIII.

Veruntamen, ſi vel maxime demus id, quo de perſuaſi longe aliter ſumus: inſtant nihilominus antagoniſtae, inſuper curioſe quaerentes: num etiam ipſa Latina lingua ad iſthanc primam γλωττοσύγχυσιν referenda, an ex alia, quam celebris illa confuſio protulit, lingua vetuſtiori, vt ſera quaedam progenies, deducenda ſit? Veroſimile (nam ex ſolis coniecturis in re antiqua et maxime obſcura loqui ſolent) veroſimile inquam, prudentiſſimo olim polyhiſtori, cuius viuit etiamnum poſt funera virtus, CHRISTOPHORO CELLARIO *o*) et poſt eum Doctiſſimo Dn. WALCHIO *p*) videtur: eo tempore, cum homines magnam iſtam ex Aſia migrationem facerent, ac colonia, mare traiiciens, in Graeciam veniret, duce Iauan *pp*) aliis Ἰὼν, à quo Ἴωνες et lingua Ionica denominata fertur; quandam eorum partem, vlterius iter inſtituentem, perueniſſe in Italiam, cui Latina lingua originem debeat. Quod quidem ſatis ſpecioſe dictum: ſi alia eius rei teſtimonia, vel Doctiſſimorum hominum aſſerti huius probationem haberemus. Alii, praeſuppoſita primaeua Hebraica, quod ſupra dudum vidimus, Latinam linguam apertius ex Graeca, ceu propinquiori origine, trahunt. Ita CHRIST. BECMANNVS *q*) Lipſiomimus, de vlteriori probatione ſecurus, vtut fundamento iſthoc ſuum de originibus Latinae linguae opus etymologicum, ſatis

o) De fatis Latinae linguae diſſertat. Acad. part 2. p 457.

p) Hiſtoria critica Latinae linguae. c. 1. § 3. pag. 20.

pp) Valde probabile eſt, Iauanem, Iapheti filium, in diuiſione terrarum, qua de agitur Gen. X. 5. obtinuiſſe Graeciam et ab eo Ἰάονας, ſiue Ἴωνας dictas eſſe. confer. STEPH. MORINI Diſſert. p. 8.

q) Manuduct. ad Latin. linguam cap. 5. p. 26. ſeq.

ſatis operoſum, conetur ſuperſtruere, quadam veluti maieſtate: *Verum amo*, inquit, *verum volo mihi dici, mendacem odi. Hebraea vere prima eſt, etiam Spiritus ſancti teſtimonio. Quod ſi non credimus, cui credimus? ait Ambroſius. Haec lingua ad grandem illam turris Babylonicae aedificationem confuſa eſt. etc. Atque inde ita exſtiterunt aliae dialecti. -- -- Haud dubie inter illas Graeca quoque vna emerſit.* Et poſt multa aliena tandem concludit: *Origo Latinitatis eſt et Hebraea et Graeca. Illa prima. Haec propior et longe manifeſtior. Indicio ſit paritas literarum etc.* quae flocci ſunt et nullius argumenti loco habenda. Celeberrimus GRAVINA, Iure conſultus Romanus, compluribus aliis, LL. originem Graecis ſemel iterumque vindicans, DIONYSII coniecturis *r*) veluti ſolido fundamento, innixus ſtatuit, multo ante bellum Troianum, Arcades Oenotro, Lycaonis filio, duce, ex Peloponneſo in Italiam ſe effudiſſe: qui, cum montes occuparent, a finitimis appellati fuerint Aborigines (Graecis enim *mons* dicitur ὄρος,) et ab his Graecorum gentem vetuſtiſſimam, Pelasgos, a quibus et Arcades oriundi, ex Haemonia in Italiam appulſos, ac diuturnis fractos erroribus atque diſſipatos ſedibus exceptos fuiſſe. Vt adeo ſoli Graeci pro Latinae linguae auctoribus habeantur. *s*) Quam bene, vel male, videbimus ſuo loco. Alii aliter: quorum opiniones coaceruatasque omnes ſententias perquirere, B. L. taedioſum fore, lubens agnoſco.

§. XIV.

In ea haereſi verſatus iam diu ſum, vt linguarum pene omnium, ſic etiam Latinae *originem ultimam*, qua mediate

r) Antiq. Rom. lib 1. c. 2.
s) Cl. GRAVINAE dialog. de Latina lingua, oper. pag, 673.

diate iam olim post varios casus propagata fuerit, ab omnibus grasse ignorari; *proximam LL. originem* ex sententia saniorum criticorum esse Germanicam, vel Celticam, arbitror: ita tamen, ut, si quis pro partibus, quod fieri solet, Graecis rigidius stare velit, & ipsi dare manus non plane abnuam: quin sententiam eius, qua cultum, non originem LL. respicit, etiam quoquo fieri potest modo, probare et approbare paratus siem. Scilicet *Auiam* Latinae linguae *incertam* statuo, *matrem Celticam*, *magistram Graecam*.

§. XV.

Eorum gratia, quibus assertum isthoc nostrum, prima fronte paradoxon videtur: eam causam, quantum potest breuiter, sed clarius, ab ouo repetere consultum putaui. Postquam adeo res fuerit satis distincte cognita, suum cuique iudicium relinquo: vti vel mecum, vel etiam, vbi commodum videbitur, cum aliis sentiat. Quod impune fieri potest. Copia sit cuilibet etiam velim, si quid minus recte traditum, memetipsum accuratiori, vel solidiori pertractatione, redarguendi. Quandoquidem ego fateor, cum B. AVGVSTINO, *t*) *me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, et scribendo proficiunt. Vnde si aliquid incautius vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso, quia et ego saltem postea videre debeo, si proficio: nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis peruerse se ipsum amat, qui et alios vult errare, vt error suus lateat.*

 CAPVT II.

t) Epist. 7.

CAPVT II.

De Lingua Primaeua, Latinae auia.

§. I.

Gentilium indigenae. 2. Exemplis probantur. 3. Tales iudicio eorum fuisse Aborigines. 4. Aliter Christianos sentire, qui gentes, earundemque linguas, omnes ex vno Adamo, et lingua primaeua deducunt. 5. Quae, vel qualis, illa primaeua lingua, incertum. Hinc Eruditorum certamina. 6. Goropius primaeuam statuit Belgicam. 7. Schrieckius Rodornius cerebrinam Hebraicam, Celticae similem. 8. Stiernhelmius Scythicam, vel Suethicam. 9. Nonnemo Toletanus Gothicam. 10. Graeci, nominatim Diogenes Laërtius, et post istos Ericus Graecam. 11. Bellinus varias simul primaeuas nominat. 12. Webbeus Sinicae linguae primogenituram vindicare conatur. 13. Hebraicae Rabbini, et maximi quique hodienum Philologi. 14. Hebraica earum, quae hodie celebrantur, linguarum antiquissima est; 15. Non primaeua. 16. Respondetur argumento, quod pro ista militare videtur, desumtum ex nominibus hominum primorum propriis. Haec vel translata dicuntur ex primaeua; 17. Vel ex primaeua potius remanserunt in linguae Hebraicae radicibus. 18. Linguarum esse proprium, subire mutationes: vnde constans non potuit esse primaeua: 19. Sed interiit, nullibi apparitura. 20. Collectam ex variis linguam vniuersalem esse vanam.

§. I.

§. I.

Gentiles destituti veritatis luce, quam sacrosanctum Numen diuinitus verbo suo nobis largiri gratiose dignatus est, nisi ad poëtarum figmenta, et aniles fabellas, historico prorsus indignas, descendere voluerint, altius non potuere genus humanum, atque adeo gentis cuiusque linguam, deriuare, quam ab ipso habitationis loco: cuius antiquissimos incolas, quasi eodem natos solo, pullulatosque e terra fungorum aut arborum instar, *αὐτόχθονα ἔθνεα, gentes indigenas* vocabant: quod originem et vltimam aetatem istorum aliqua vel memoria repetere; vel humana ratione indigitare non conarentur. Vnde nemini facile mirum videri debet, plurimas olim nationes, de vetustate generis, tanta saepe animorum acerbitate, cum aliis, quae pariter ea gloriabantur, lites atque contentiones mouisse.

§. II.

Scythas et *Aegyptios* inter, quorum vtraque gens antiquissima habebatur, grauis oborta est de praerogatiua et eminentia disceptatio: quam hi coeli temperie et agri fertilitate, isti proceritate corporum, ingeniorum felicitate et nescio quibus tandem indiciis decisam voluere. *a*) Alia in Psammetichi regnum incidit *Aegyptiorum* cum *Phrygis* de primatu disputatio, diu ventilata, vsque quo linguam aggrederentur iudicare duobus pueris, quos recens natos inter pecora adolescere curarunt: vt miserabile *beccos* obscura voce edere assuescerent. *b*) *Germanos* TACITVS *c*) indigenas credidit, minimeque aliarum gentium aduentibus et hospi-

a) IVSTINVS lib. 2. c. 1.

b) HERODOTVS histor. lib. 2. ab exordio.

c) De moribus Germanor. cap. 2.

et hoſpitiis mixtos. *Pelasgus* ſuae gentis auctor αὐτόχθων, *indigena*, vocatur, quod ex Heſiodo APOLLODORVS †) notauit; et PAVSANIAS; ††) φασὶ δὲ Ἀρκάδες ὡς Πελασγὸς γένοιτο ἐν τῇ γῇ ταυτῇ πρῶτον. *Dicunt etiam Arcades Pelaſgum primum fuiſſe in illa terra.* Rurſum vetus poëta ASIVS: †††)

—— ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσι
Γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.
Montibus alticomis peperit nigra terra Pelaſgum
Diis ſimilem, ut mortalium genus foret.

In Peloponneſo *Arcades*, Lacedaemoniorum nouitati ſe praeferentes, et cum *Sycioniis* de vetuſtate generis contendentes, προσελήνων, *ante lunam ortorum*, nomine ipſi propemodum mundo ſe praeferebant. Extra Peloponneſum *Theſſali* a Deucalione diluuio ſuperſtite ortum ſuum ducebant. *Athenienſes* vero αὐτόχθονες a ſe ipſis appellati, cicadam in ſignum antiquitatis capillitio innectebant. Vt enim cicadae e terra prorumpentes ſolo tantum ſuam originem debent: ita illi e gremio matris terrae, quam incolebant, blande emiſſi videri voluere: quippe, vt IVSTINI *d*) verbis vtar, *non aduenae, neque paſſim collecta populi colluuies -- -- ſed eodem innati ſolo, quod incolunt: et quae illis ſedes, eadem origo eſt.*

§. III.

Ita etiam *Aborigines* in Italia dici voluere, quaſi *ab origine*, iſtius loci incolae et indigenae. Neque enim probamus eorum ſententiam, qui *Aborigines* a montanis et voce

†) lib. 2. Ἡσίοδος δὲ τὸν Πελασγὸν αὐτόχθονα φησὶν εἶναι. *Heſiodus Pelasgum fuiſſe indigenam dixit.*

††) In Arcadic. †††) Apud PAVSANIAM l. c.

d) Lib. 2. cap. 6. confer. CYRIACI LENTVLI Germania part. 1. c. 2. pag. 58.

voce Graeca ὄρος, quae *montem* significat, deriuandos tradunt: quod ex Peloponneso in Italiam effusi montes occupauerint. *e*) Etenim voce aliena non indigemus, vbi commodior et satis vulgata nominis significatio ex lingua vernacula et ipso patrio sermone arridet. Saltem FESTVS *f*) *Aborigines*, inquit, *appellati sunt, quod errantes NB. conuenerint*, non aduenerint, quam qui alio emissi, *in agrum, qui nunc est populi Romani. Fuit enim NB. gens antiquissima Italiae.* Et ipse DIONYSIVS, *g*) istos Romani generis auctores *αὐτόχθονας*, *indigenas* Italiae, et gentem ex se oriundam vocare haud dubitauit. Imo neque istud VIRGILIVS *h*) obscure innuit, vbi priscos patriae incolas describit: *Haec nemora indigenae Fauni, Nymphaeque tenebant, Gensque virum truncis et duro robore nata.* Vt adeo nulli dubitemus etiam, eo scriptorum gentilium sensu, ἐπιχώριον et *indigenam* fuisse, quam vocant, *Aboriginum* gentem.

§. IV.

Nos, qui sacris literis de meliori sententia sumus edocti, nouimus, ab exordio mundi et rerum creatarum, vnum fuisse hominem, patrem mortalium et nationum, quotquot nunc in orbe sunt, omnium. Vnde sequitur, quod lingua etiam vna ipsi Adamo, totius generis humani capiti, et primo omnium nato naturalis et vernacula extiterit, quam viri docti vulgo nunc primaeuam et vniuersalem nominare solent. C §. V.

e) Apud DIONYSIVM Antiq. Roman. lib. 1. c. 2. confer, GRAVINA dial. de L. L. oper. pag. 673.

f) Voce *Aborigines*.

g) Roman. Antiq. lib. 1. c. 2.

h) Aeneid. lib. 8. vers. 314.

§. V.

Sed tamen qualis, vel quaenam, illa fuerit, non vnum sentiunt omnes: aliis Hebraeam, aliis veterem aliam ex Oriente, aliis recentiorem quandam, vel nouam ex omnibus collectam et effictam, pro felici hac lingua venditantibus. Neque adeo miramur, populos orientales, patriarchis olim celebres, *Hebraeos i*) *Chaldaeos k*) *Syros l*) et,

i) *Hebraei*, tantum non omnes, constanter linguam suam in orbe primaeuam fuisse, testantur. Ita TARGVM IONATHANIS: *Lingua sancta loquebantur, qua creatus est mundus ab initio.* Iisdem propemodum verbis etiam HIEROSOLYMITANVM, Rabb. SAL. IARCHI in locum, *Labium vnum est lingua sancta.* ABENEZRA, et alii Celeberrimo SCHRÖDERO, Praeceptori et Patrono meo aeternum venerando, citati, erudit. dissertat. *de primaeua lingua Hebraica* §. 3. Quos sequebantur ecclesiae patres, ibid. §. 4. et hodienum maximi quique Theologi atque Critici. Sufficit B. RELANDI elench. philol. cap. 1. §. 3. seq. annotasse verba: *antiquitas linguae Hebraeae ab ipso generis humani exordio repetenda est, quando et Deus ipse rebus quibusdam nomina Hebraica imposuit, Genes.* I. 5. 8. 10. *etc. deinceps Adamus, Genes.* II. 19. *qui, vt et posteri eius (quorum nomina propria ex hac lingua desumta sunt) hoc sermone vsi sunt vsque ad confusionem linguarum Babylonicam, Genes.* XI. 1. *Vnde summo iure prima omnium linguarum censetur; ad quam reliquae potius, tanquam ad fontem suum, debent deduci, quam illa ex aliis deriuari.*

k) Vt alios nunc quidem silentio transeam, LVDOVICVS ELIAS DV PIN, vir celeberrimus, potius linguam Chaldaicam pro primaeua habendam putat: quem ideo maximus Ienensium Theologus, IOH. FRANC. BVDDEVS, Ecclef. histor. V. T. periodo 1. sect. 2. pag. 237. seq. confutare studet.

l) *Syri Maronitae*, inquit IOSEPH. SCALIGER, in epistola ad Richardum Thamsonum, „*antiquiorem Syriasmum Hebraismo, quonia*

et, qui meridiem verſus habitant, *Aethiopes m)* ſuam, quibuſcunque placet, linguam dicere primaeuam: cum etiam ex recentioribus quidam ſuis vernaculis, longo poſt tempore per Europam propagatis, ea ſiue ſit Suecica, ſiue Brabantina, ſiue Germanica, ſiue Graeca, ſiue Latina, abſque omni ſententiae fundamento praerogatiuam tribuere non vereantur. Hinc certe videre licet,

— — qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducat et immemores non ſinat eſſe ſui. n)

§. VI.

IOH. GOROPIVS BECANVS Brabantinus *o)* nouam plane et in hunc vſque diem inauditam, ſed ridiculam et nugis ple-

quouis pignore contendunt. etc. Atque ex patribus etiam THEODORETVS qu. 12. in Geneſ. Syriacam linguam pro primaeua venditat.

m) Confer OWENI theologumena lib. 3. c. 2. §. 4. ſeqq. et Celeberrimi BVDDEI Hiſtor. eccleſ. V. T. l. c. pag. 239.

n) OVIDIVS de ponto lib. 1. eleg. 4.

o) Indo Scythica, ſiue originum Antwerpianarum lib. 5. p. m. 534. *Lingua*, inquit, *illa, quam antiquiſſimam in locis Nyſae vicinis fuiſſe, exemplis aliquot oſtendi, eam primam et excellentiſſimam eſſe contendo.* Deinde: *Minime ſuſpicandum, Cimmerias confuſioni Babylonicae interfuiſſe; atque idcirco ne cauſſa quidem vlla eſt, ob quam cogitari queat, aliam eorum linguam a prima fuiſſe.* ſeqq. Inprimis vero hanc materiam pertractat Hermathena libris nouem. Vaſti eius libri in folio omnes prodierunt Antuerpiae anno 1569. et 1580. inſcripti: *Origines Antuerpianae, Hieroglyphica, Hermathene, Vertumnus, Gallica, Francica, Hiſpanica, Indo-Scythica.* Ipſi operi TORRENTIVS praefixit epiſtolam ad Ar. Montanum, qua pluribus Goropii ſententiam, vano itidem conatu, adſtruere voluit. Confer. SCALIGER ad Velſerum epiſt. 146. IVSTVS LIPSIVS epiſt. 44. Cent. 3. ad Belgas. CHRIST. BECMANNVS manuduct. ad Lat. ling.

gis plenam protulit ſententiam de primatu linguae Cimbricae (ita videlicet Belgicam ſuam vocat) qua et Hebraeam, et linguas ceterarum gentium omnes, promanaſſe exiſtimat. Ille R. MOSIS iudicio ſe niti putat, qui negare ipſi videtur, linguam Hebraicam vetuſtiſſimam eſſe. Citat etiam GVAVARRAE epiſtolas, quibus Rabbini quatuor numero memorantur, Hebraeorum eſſe nouam linguam iuramento confirmantes. In rationibus μεϛὰ πολλῆς φαντασίας procedit, et inuenta communicat otioſae ſpeculationis plena et inania valde. Cuiusmodi ſunt deriuationes nominum propriorum, quae in S. Bibliis reperiuntur. Ita *Adam* Am dam/ *Methuſalah* maͤckt u ſaliꝗ/ *Nimrod* nimm Brod/ *Gomer* go mer/ bona fama, ſeu augmentator bonorum *p*) etc. De vocibus Man et Nam/ philoſophatur magis quam enthuſiaſtice, quaſi in illo hominis nomine Cimbrico aeterni quoque τȣ̃ λόγȣ vocabulum ſit reconditum. Ex Alphabeto Hebraico ſuo, quod e Cimbrica lingua detorſit, cuiusdam orationis genus concinnauit, qua praeceptor aliquis Deo diſcipulos ſuos commendat; et huius furfuris infinita alia, quae admiratores et deriſores inuenere plurimos.

§. VII.

HADRIANVS SCHRIECKIVS RODORNIVS *q*) Hebraeam linguam ſtatuit quidem primaeuam fuiſſe, ideoque Becanum, aliter

ling. cap. 5. pag. 22. ſeqq. LENTVLVS German. part. 1. cap. 1. pag. 36. MORHOFIVS de lingua et poëſi Teuton. part. 1. c. 1. pag. 5. Polyhiſtor. liter. lib. 4. c. 3. §. 4. *Nouuelle bibliotheque choiſie* tom. premier chap. 3. Neuer Buͤcher-Saal der gelehrten Welt, viertes Jahr 38ſte Oeffnung pag. 52. ſeqq.

p) HADR. IVNIVS Batau. c. 21. pag. 351. id vocis quoque exponit Germanice, quaſi Go om her i. e. circumeo et in orbem ambio.

q) Scripſit ille *Originum Celticarum* libros XXIII. Ypris Flandriae 1614.

aliter sentientem, reprehendit: veruntamen et ipse, nescio quam, cerebrinam certe linguam Hebraicam comminiscitur, cuius cum Celtica, ceu prima eius propagine, conuenientiam demonstrat, allusionibus non minus ridiculis et mirabilibus, quam istae Goropianae fuerunt. E Celtica vero dein omnium linguarum et nationum primordia deriuare conatur.

§. VIII.

Georgivs stiernhelm, nobilis Suecus, vir doctissimus et in patria antiquitate cumprimis versatus, Sueticae vel, prout eam vocat, Scythicae linguae primaeuam dignitatem assertum ibat synoptica positione, ad cuius normam secum constituerat *Runam Sueticam* et radicum vniuersalium systema conscribere. Sic in animo quidem habuit commonstrare praeter alia multa, linguam Scythicam esse omnium primam, et ceteras ex hac vna ortas eiusdemque dialectos fuisse. *r*) Ipsum vero promissum opus nunquam lucem aspexit: cui, ad maximum patriae moerorem et ingens reip. literariae damnum, immortuus est. Perplacet tamen eius synopsin, ipse quam euulgauerat, hic totidem verbis subiicere: cui si monstrosum de primaeua Scytharum lingua praeconceptam opinionem detraxeris; omnia se docte et egregie cetera habent. Animum induxerat, systema in duas diuidere partes. Sunt adeoque prioris capita: 1. Videri

1614. in folio editos. Confer. harsdörfferus specimine philolog. German. disquis. 7. morhofius in dem Unterricht von der Teutschen Sprach und Poësie part. 1. c. 1. pag. 6. et Polyhist. liter. lib. 4. c. 3. §. 4.

r) Confer. morhofius von der Teutschen Sprach und Poësie part. 1. cap. 1. pag. 11 - 16. Polyhist. liter. l. c. §. 3.

deri omnes linguas, quae in orbe cognito extiterunt et hodie extant, ortas ex vna et ad vnam posse reduci. 2. Naturae conueniens, imo omnino necessarium fuisse, ex vna lingua multas oriri. 3. Ex confusione Babylonica nullam nouam linguam exortam, et si qua exorta est, momentaneam, et ad breue tempus extitisse. 4. Hebraeam, Phoeniciam, Chaldaeam, Syram, Arabicam, Aegyptiam, Aethiopicam, Phrygicam, Persicam, dialectorum non linguarum esse vocamina. 5. Temporum et locorum interuallis, dialectos abire in linguas. 6. Ex Scythica ortas linguas primas, nonminus orientales quam septentrionales et occidentales. 7. Traces et Getas fuisse Scythas. 8. Ex his profectos primos populos primamque linguam Graeciae, quam alias dictam barbaram, cultu nouo politam, minime vero extirpatam, posterioribus temporibus demum Hellenicam et Graecam nuncupauerunt. 9. Graecos cultum, elegantias, poësin, musas, sacra Deosque ex Thracia habuisse. 10. Scytharum propaginem praeterea esse Europaeos, Germanos, Gallos, Iberos, Britannos, Aborigines siue Vmbros primos Italiae incolas. Hisce omnibus vnam linguam fuisse Scythicam, in varias dialectos postmodum scissam. 11. Germaniae caput et principium olim fuisse Scythicam Europaeam minorem, peninsulam nimirum Scandiam, quam et Scanziam et Scandinauiam, antiquissimi vero scriptores Balthiam, Basiliam, Abalum, Bannomannam etc. Hyperboreorum insulam indigitarunt. 12. Ex hac insula (reuera peninsula) deriuatos in Germaniam et diuersas orbis terrarum regiones, non solum multos populos, sed etiam sacra, ritus et Deos. 13. Peninsulae eiusdem et Hyperboreorum gentem principem fuisse Sueonas siue Suezios, quos hodie Suethos, Suecos et Suedos voci-

dos vocitant. 14. Graecis cum Hyperboreis ab antiquissimis vsque temporibus communionem fuisse sacrorum, amicitiae et mutuae necessitudinis; et quod magis est, Graecos Deos coluisse inter maximos, apud Hyperboreos natos. 15. Suethis cum Thracibus et Byzantinis communes fuisse Deos, adeoque ipsos Deos Phrygios ab Hyperboreis migrasse. 16. Linguam Latinam ex tribus ortam potissimum, Aboriginum siue Thusca, Graeca & Phrygia. 17. Ciceronem et Varronem, qui propter peculiarem Latinae linguae peritiam, habitus fuit Romanorum omnium sapientissimus, linguam Latinam non intellexisse; nec Demosthenem ipsumque Platonem linguae Graecae fundamentalem scientiam habuisse. 18. Linguam Hebraeam non minus quam Chaldaicam, Chananeam et Arabicam dialectum esse linguae primae, minime vero ipsam linguam primam. 19. Indolem et proprietates vocum linguae Hebraeae veras, impossibile esse, dari posse, nisi ex radicibus linguae Scythicae. 20. Voces Adamaeas, cuius generis sunt: Adam, Eua, Cain, Seth, Noah etc. quas pro antiquitate linguae Hebraeae vulgo eius assertores adducunt, non minus Scythicas, imo Suethicas esse magis, quam Hebraeas. 21. Ex vocabulis priscae linguae Gallicae et Ibericae reliquiis, eas probari Scythicas fuisse. 22. Antiquas voces Thuscas, quae supersunt ex lingua Aboriginum, Scythicas esse. 23. Linguam Cambricam, quae vetus est Cimbrica, dialectum esse linguae Scythicae. 24. Voces quae supersunt linguae veteris Phrygiae, Scythicas esse. 25. Linguam Persicam hodiernam vt et Armenam, maximam partem constare ex lingua Scythica. 26. Deorum nomina pleraque omnium gentium, origine esse Scythica, et in illis sanctum Dei nomen tetragrammaton יהוה origine

esse

esse Scythicum; nec vllum hactenus Hebraeum aut Cabalistam veras nominis istius proprietates, multo minus mysteria, aperire potuisse, quae, Deo dante, reddet Auctor. 27. Vltimo, sermonem primo homini concreatum, aut cum ipsa ratione, cuius character est et index in sensum incurrens, infusum. Systematis parte altera 1. Exhibet connubium et nuptias Panos et Echus, h. e. harmoniam et analogiam rerum et verborum. 2. Tradit obseruationes et axiomata, quae proprie spectant ad scientiam hanc nouam ethymologicam. 3. Eruitur et aperitur certus numerus radicum vniuersalium. 4. Ponuntur sigillatim singulae radices, ex quibus certo ordine et methodo in ipsa rerum genesi fundata, riui et flumina vocum, in praecipuas et ex his ortas linguas educuntur. Et haec sunt lexici seu clauis linguarum primarum vniuersalis capita; quae vtinam! Auctori per vitae dies pro communi omnium voto effectui dare ac perficere licuisset. Sed ad alios.

§. IX.

CLAVDE DVRET s) Archiepiscopum Toletanum quendam in ea opinione fuisse notat, quod Alphabetum et consequenter etiam lingua Gothorum fuerit omnium prima et literae antiquissimae, quas Deus ab exordio rerum Adamo, primo parenti nostro, dederit.

§. X.

Graecae linguae patrocinatur ipsius vanae Regionis laudumque propriarum buccinatricis satis faecunda proles, quae

s) Histoire de l'origine des langues pag. 860. *L' Alphabet des lettres Gothes a eté le premier alphabet des premiers et plus anciennes lettres, lesquelles furent donnés de Dieu à commencement du monde, à nôtre premiere pere Adam.*

quae proterue nimis et valde impudico instituto, prae se, quicquid terrarum orbem inhabitat, contemnit ac Barbarorum nomine flocci habet. Neque DIOGENES LAERTIVS *t*) scripto veretur prodere: *λανθάνουσι δὲ αὐτοὺς τὰ τῶν ἑλλήνων κατορθώματα, ἀφ' ὧν μὴ ὅτι γε φιλοσοφία, ἀλλὰ καὶ γένος ἀνθρώπων ἦρξε, βαρβάροις προσάπτοντες.* *Ignorant recte facta Graecorum, qui ea a Barbaris accepta ferunt, cum tamen a Graecis non modo Philosophia, sed et genus humanum originem duxit.* Superiori seculo IOHANN. PET. ERICVS Isenacensis Thuringus, Ling. et Geogr. Professor Patauinus, *u*) vt Graecae linguae radicalem primatum faciat, operosus admodum fuit, et nescio quibus ineptiis periculosae plenum id opus aleae non tentauerit. *Adamum* dici voluit quasi *ἄδημον*, *peregrinantem*, vel e paradiso exulem; *Cainum* ab *ἀκεανὸς*, leguminum genere, Deo oblato; *Mosen ἀπὸ τοῦ μόσχου*, *vitulo* ob tuberculos scilicet, in fronte eius prominentes, vnde vel Aaron captarit occasionem, Mose absente, erigendi vitulum. Et huius furfuris alia, quae, dubium est, num bilem, an misericordiam atque risum mereantur. Speciosum vero est, ipsum auctorem minari, posthac grandiori opere de omnium vocabulorum Europaeorum originibus idem demonstraturum fore. Quod an etiam ille, toties totiesque persibilatus, praestiterit, affirmare non possum.

t) De vitis clar. Philos. prooemio.

u) Scripsit ille *Principium Philologicum e mysterio renatum*, maioris operis prodromum. Patauii 1686. in 8. confer. Acta Erudit. Lips. 1686. mens. Jul. pag. 327. - 330. MORHOF. Polyhist. liter. lib. 4. c. 3. §. 5.

§. XI.

IOSEPHVS MARIA BELLINVS Bononiensis, praestructa opinione, quod Graeca et Germanica non nisi dialectis ab se invicem distent, ac quandam perexiguam prae se ferant differentiam, vlterius statuere non dubitat, Latinam, Chaldaeam, et Hebraicam, et quamuis antiquissimam linguam, quae in sua puritate etiamnum seruetur, vnam esse linguam, dialectorum diuersitate variatam. Germanicam adeo non minus, quam Chaldaeam, Hebraicam, Latinam et Graecam diuinam atque sacram esse appellandam. *x*)

§. XII.

IOHANNES WEBBE Anglus *y*) Sinensium linguae primatum vindicare studuit: quod illa orbis terrarum regio jam tum ante Babylonicae turris extructionem suos incolas habuisse crederetur: tum quod lingua isthaec, omnium simplicissima, musicae speciem tota habeat, ac vna vox vt plurimum significationes accipiat varias ex vario accentu: cuius adeo linguae genium incolae, non peregrinis gentibus mixti, pertinaciter omni tempore et integrum, et rudem, seruauerint.

§. XIII.

Tandem, ne longum diuersarum videar compilare sententiarum indicem, post Rabbinos et Ecclesiae patres *z*) Philo-

x) Vid. Acta Erudit. Lips. 1686. mens. Aug. p. 420.

y) Ille patria lingua scriptum edidit, *Historical essay, that the language of China is the primitine language.* Lond. 1669. in 8. confer. MORHOFI Unterricht von der Teutschen Sprach und Poësie part. 1. c. 1. pag. 17. & 18. Idem Polyhist. liter. lib. 4. c. 3. §. 2.

z) Vide hac dissert. c. 2. §. 5. annotamentum 1. Ab illis tamen disce-

Philologi hodienum maximi quique *a*) pro lingua Hebraica, velut pro aris atque focis digladiari ita deprehendun-
D 2
tur:

dilcedens THEODORETVS, non fine aſſeclis, Syram ſiue Aramaeam omnium primam fuiſſe putat, Moſes Aegyptius Rabbinorum facile princeps, Hebraeam primam eſſe negat. Et GVEVARRA Hiſpanus citat in epiſtolis, quas aureas vocant, quatuor Hebraeorum doctores, qui iureiurando confirmare auſint, Hebraeum ſermonem non eſſe primum. Confer. GOROPIVS BECANVS Hermathena l. 1. p. 1.

a) Ex quibus videantur S. AVGVSTINVS de ciuitate Dei l. 16. c. 11. et l. 18. c. 39. BENEDICTVS PERERIVS comment. in Geneſ. c. 2. v. 19. 20. et c. 11. v. 7. 8. 9. STEPH. MENOCH. de Rep. Hebr. l. 1. c. 2. quaeſt. 14. Etiam praeter BOCHARTVM Geogr. Sacr. part. 1. l. 1. c. 15. BVXTORFIVM de linguae Hebraeae origine et antiquitate diſſertationum philologico-theologicarum prima, qua hominem primum in ſuae creationis primordio, ſermonis et linguae certae vſum ſtatim habuiſſe; illum eam linguam a Deo ipſo accepiſſe, et Hebraeam fuiſſe tunc vnicam et ſolam oſtendere conatur: legi merentur CRINESIVS de confuſione linguarum, IOHANN. OWENVS Theologumen. lib. 3. c. 2. a §. 4. pag. 163. ſeqq. HEIDEGGERVS Exercit. XVI. de lingua et literis Patriarcharum. IOH. LEVSDENIVS Philologo Hebraeo, differt. 17. et 20. vbi praeſertim §. 11. ſua nixus hypotheſi, quouis pretio contendit, beatos in futuro ſeculo Hebraice locuturos. ANDREAS BEYERVS Additamentis ad Seldeni proleg. c. 2. de Dis Syris. p. m. 11. ſeqq. IOH. FRANC. BVDDEVS, Acad. Ien. S. Theol. Profeſſ. celeberrimus, Hiſtor. Eccleſ. V. T. period. 1. ſect. 2. §. 11. p. 234. ſeqq. Et qui vnus inſtar omnium eſſe nobis ſuo merito poſſit, Clariſſ. in Patria Academia linguarum Profeſſor, IOH. IOACH. SCHROEDERVS, nunquam ſine maxima Reuerentia memorandus, eruditiſſ. Diſſ. de primaeua lingua Hebraica. Vt ea taceam, quae non ita pridem ille ſolita

facun-

tur: vt qui vulgarem iſtam, doctiſſimorum ſcriptis non leuiter tractatam, opinionem conuellere velit, vel Joui fulmen, vel Herculi clauam extorquere conetur. *) Aſſerunt videlicet, nec ſine applauſu, linguam Hebraicam, tempore Moſis populo Iſraelitico vernaculam, qua et ſummo Legislatori in monte Sina tabulas, et poſtmodum vetus teſtamentum ſacris literis conſignandum gratioſe dare placuit, *b*) eandem eſſe primaeuam ab ipſo generis humani exordio repetendam: quod ipſe Deus T. O. M. rebus quibuſdam nomina Hebraica principio impoſuerit; *c*) Dein primus ille quoque mortalium, Adamus: *d*) qui cum poſteris omnibus ſuis (quorum nomina propria ex hac lingua fuiſſe deſumta videntur) vſque ad celebrem illam, quae Babele contigit, linguarum confuſionem, *e*) ea ipſa verna-

facundia et diffuſiori doctrina, in frequenti auditorio, ductu H. RELANDI elench. philolog. c. 1. §. 3. et 4. verba faciens, ad vnam omnium dilectiſſimorum commilitonum voluptatem, egit, et paſſim eorum calamis excepta conſpiciuntur.

*) PETRVS LAMBECIVS prodrom. hiſt. liter. l. 1. c. 2. §. 4. *Sane quod ad primitiuam*, inquit, *linguam, quae temporibus antediluuianis, et in ipſo adeo paradiſo in vſu fuit, attinet, nemo, vt opinor, ſanae mentis inficiari auſit, propriam eſſe hanc gloriam Hebraeae, cuius idiomate Vetus Teſtamentum, ita vt etiamnunc extat, a Moyſe et Prophetis conſcriptum eſt.*

b) ISAAC. CASAVBONVS ad Annales Eccleſ. Baron. exercit. 9. *Nulla eſt linguarum omnium, quae ad dignitatem Hebraicae accedat, quam Deus initio rerum formauit, quam Diuina maieſtas ſaepe vſurpauit, quae oracula coeleſtia continet, quae nomen Dei illud admirabile, quod priora ſecula ſacro ſilentio ſemper ſunt venerata, ſola nouit.*

c) Geneſ. I. 5. 8. 10. *d*) Geneſ. II. 19. 23. etc.

e) Geneſ. XI. 1.

vernacula Hebraica vſus fuerit. Inde ſummo iure concludunt, iſtam linguarum omnium primam cenſeri, ad quam potius reliquae tanquam ad fontem ſuum referri, quam ex aliis illa deriuari debeat. Quibus adeo ſufficienti modo probatis, ſecundum poëtam ſemibarbarum; *f*)

Vna prius lingua fuit omnibus, vna loquela;
Haec eadem periit, quae ſola vigebat Hebraea;
Solus Heber manſit, qui loqueretur ea.
Hanc nati didicere ſui, ſub turre Babeli;
Sic ab Heber patre, geniti dicuntur Hebraei,
Totaque poſteritas nomina ſeruat ei.

§. XIV.

Ego quid ſentiam vt ingenue fatear, linguae ſanctae (ita ſcilicet Philologi vulgo Hebraeam vocare ſolent) ſiue antiquitatem ſpectes, qua hodie nobis cognitis omnibus linguis præſtat: ſiue dignitatem, quod ea primitus Summum Numen foedus gratiae atque legem ſcripto conſignatam eſſe decreuit: ſiue alias virtutes ea, qua decet, reuerentia in memoriam vocare velis; lubens, et merito illi, prae reliquis omnibus, in hunc vſque diem gentium multarum vernaculis, praerogatiuam concedo. Ita quidem, vt, ſi alia, ex ſuperſtite omnium linguarum copia, ſpeciem, vel probabilitatem quandam prae ſe ferre poſſit; ego omnino putem, eam ipſam, cui doctiſſimi tantum non omnes hodie patrocinantur, Hebraeam eſſe.

§. XV.

Verum enim vero, quin hactenus eis per omnia dare manus, vel iſthanc, qua V. T. ſacra biblia ſcripta legimus,

 Hebrae-

f) GOTFRIDVS *Viterbienſis* Chron. part. 3. apud PISTORIVM Germ. Script. tom. 2. p. 87.

Hebraeam linguam abſolute primaeuam, ipſique mundo congenitam, dicere potuerim, aliquando mihi rationes maturius penſitanti obſtacula fuere plurima: vel id ſolum, de aſſerti huius veritate, nec in ſacris, nec alibi *g*) eos teſtimonium fide dignum, quam induſtrie id etiam perquiſiuerint, inuenire; nec vbi volam et veſtigium supereſſe putarunt, quicquam, vel per legitimam conſequentiam, elicere vnquam potuiſſe.

§. XVI.

Satis ſpecioſum, imo fere vnicum Philebraeorum argumentum eſt: Summum Numen rebus creatis in principio nomina indidiſſe Hebraica; item, primorum hominum eorundemque natorum deinceps nomina propria etymologiam Hebraicam habere. Iſta vero tanti ponderis non ſunt, vt, quod ipſam rem attinet, aliquo modo probare valeant. Vel enim primo facile fieri potuit, vt Moſes, in gratiam Hebraeorum, quibus, inſtinctu diuino, eam deſcripſit hiſtoriam, nomina Adami, Euae etc. propria, Hebraico reddiderit ſermone, eodemque ſignificatu expreſſerit, quo in primaeua lingua olim vſitata fuere. *h*) Quemadmodum CVRTIVS *) vt id exempli gratia in medium proferam, teſtatur, milites quoſdam a Perſis vocatos *immortales;* aditum Ciliciae ab incolis *Pylas* dici; **) qui ſingulis militum millibus praeerant, eos vocatos a Perſis *chiliarchas.* ***) Neque verentur etiam ex hoc capite ſacrarum

g) Recentiores et vanos Iudaeos non facile admitto, quam qui in cenſum venire nequeunt Ratio euidens eſt.

h) Ita HVGO GROTIVS Annot. ad Geneſ. cap. XI. v. I. et PHIL. CLVVERIVS Germ. Antiq. lib. I. c. 8. §. 8.

*) Lib. 3. c. 3. n. 13. **) Lib. 3. cap. 4. n. 2.

***) Lib. 5. cap. 2. n. 3.

crarum literarum interpretes nomina isthaec, siue appellatiua, siue propria, ad suae linguae idioma transferre. TREMELIVS Lucem Deus vocauit *diem* יום tenebras vero vocauit *noctem* לילה *i*) Expansum Deus vocauit *coelum* שמים *k*) Aridam autem vocauit Deus *terram* ארץ singula vero aquarum conceptacula vocauit *maria* ימים *l*) Et ipse Adamus, mulierem sibi adductam respiciens, hac demum, inquit, vice adest os ex ossibus meis, et caro ex carne mea: haec vocabitur *vira* אשה eo quod ex viro desumta est. *m*) Addo, quod in ipso textu Hebraico eiusmodi exempla etiam non raro obueniant; quibus, vt vnicum proferam, id quidem omnibus notum, *Cyrus* tot veterum monumentis celebratus vocatur *Coresch*. *n*) Vnde venit, quod scriptores prophani saepe nomina virorum, fluminum et regionum aliter, quam viri prophetae, sacro bibliorum codice, habent. At, inquies, tot peregrina etiam ibi passim nomina propria extant, qualia sunt exempli gratia *Pharao*, *Dariauesch*, *Ahacouerosch*. R. Ea recentiora, et Iudaeis, eo tempore ciuibus istorum subditis, pene omnibus nota, et vsu quotidiano recepta fuerunt. Quamobrem nullus dubito, eiusmodi vocabula, vbi passim et ipsa desiit loqui Hebraeorum lingua, istam quidem gentem recepisse maxima cum lubentia. Si forsan aliis videor paulo scribere liberius, vel indigne sacras tractare literas: summi quondam in acad. Franeckerana Theol. CAMPEGI VITRINGAE *o*) defensionem meam facio. *De prophetis*,

i) Genes. I. 5. *k*) Genes. I. 8. *l*) Genes. I. 10.

m) Genes. II. 23. *n*) 2 Chron. XXXVI. 22. Esra I. et IV. confer. CLERICVS Art. critic. P. 2. S. 1. c. 13. §. 11. p. m. 279.

o) Epist. dedicat. Archisynagogo, nouis obseruationibus illustrato, praemissa.

phetis, inquit, *aliisque rerum sacrarum peritis viris, qui historiam antiquam ad incutem reuocassent, et nomina in ea obsoleta sustulissent, substitutis notioribus, quod scripsi, id profecto est, quod hodie docti nasutique homines omnes credunt. etc.*

§. XVII.

Vel, vt quicquid volunt, concedamus largiter, nomina propria Hebraeis ex illa quidem lingua primitiua manserunt; quae Moses, ut historici solent, illibata retinuit. Et id eo magis, quod etymon vocabulorum non admodum difficulter potuit ex communioribus linguae radicibus traducere. Quemadmodum et nos hodie, ex veteri et dudum obliterata lingua Germanorum barbara, vix politioris aeui nostri Germanis intelligibili, propria conseruamus nomina, vulgo nota: **Dietrich / Friedrich / Theuto / Erhard / Richard / Gothard / Gotfried /** etc. *p*) Quorum radices nobis quidem valde familiares sunt, vocibus aliis, prisco et inculto, quam nostro, dignioribus seculo, vbiuis terrarum, maximo etiam populorum consensu, exutis. Velit exempli gratia quis in publica concione Dominicam orationem, vel Apostolicum, quod vocant, symbolum recitare, quomodo id maiores nostri, temporibus Caroli Magni, annis abhinc prope nongentis (antiquius enim nihil patriae citari potest) pronunciarunt: certe non magis eum intelligeremus, quam si Danico

p) Vid. RVDOLPHI GOCLENII, haud incelebris huius Athenei Professoris, lexicon philosophicum, cui inseruit etymologias Germanorum nominum propriorum virilium. Et, qui fere idem est, B. LVTHERI de nominibus propriis Germanorum libellus: uti IACOBVS THOMASIVS, Vir celeberrimus, iudicauit, prolixa dissert. philos. de plag. literario pag. 200.

nico et Suecico idiomate vteretur. Attamen iam valent, et cognita ſunt, et vulgo vſurpantur nomina, iſtis nihil recentiora, propria. Pari modo Hebraea tum ad primaeuam linguam ſe habuit, ceu cui proxima fuit, vt paulo ſuperius dixi, et dialectus longiori temporis duratione abducta. Atque adeo ipſam Hebraicam linguam eſſe primaeuam conſtanter nego. Primitiuae in Hebraica ſupereſſe radices, affirmo et probo. Sumamus rurſum (exemplis enim accenditur cauſſae facula) noſtram et Anglo-Saxonum, vel etiam Suecorum et Batauorum vernaculas, pariter omnes veteris Germanicae linguae dialectos. Et dicat mihi aliquis, numne, dialectorum inſtar quae primum habebantur, vel eiuſdem linguae conſortes, prouenerint iam toto coelo ab ſe inuicem diuerſae. Nihilominus quaedam nomina appellatiua et praecipua rerum vocabula ex vniuerſali et communi omnium matre nobis videntur relicta, quinimo iſtorum propria, quae Grammaticis vocantur, et longius durant, et plurimum incorrupte propagantur, commonſtrauerimus ex reſiduis noſtrae vernaculae radicibus deſcendiſſe. Damus ergo aliter ſentientibus, quod volunt. Sed quomodo inde linguam, omni cultu et ſcriptorum frequenti cura deſtitutam, probabunt, per 2500. annorum ſpatium conſtanter eandem fuiſſe et nulla ſui parte immutatam, contra communem omnium naturam, quae ſuis viciſſitudinibus quamlibet linguam perpetuo ſubiicit?

§. XVIII.

Vel quis non videt etiamnum, aetate ſcientiis atque diſciplinis maxime culta, politiorum linguarum facilem eſſe corruptionem, fata diuerſa et immutationem, vix ante ſperatam. Haec enim nullibi non euenire ſolent popu-

lorum incursionibus, orbis climate, commerciis, migrationibus, aetate et organum constitutione: quod pluribus capite proxime sequente commonstratum ibimus. Isthoc posito, quod extra omne dubium est: quanto magis lingua variationibus fuerit obnoxia quaedam nuper nata, quae vt in lucem recenter edita, ita rudis adhuc, neque ad omnia sufficiens, vel ad ipsum posteritatis ingenium satis illustrandum perfecta. Atqui huius tantum elementa et radices Adamo diuinitus infusas fuisse, ipsi LEVSDENIO q) videtur: vnde Adamus per propriam scientiam et sapientiam, qua erat praeditus, deinde reliqua deriuata et descendentia formauerit. Ita Viri clarissimi relata refero. Quod certe non vnius vel alterius anni potuit esse opus: vt aliquid simul incoeptum et perfectum, quod nullibi fere contigit in rerum natura, inde praeter necessitatem euaserit. Ab initio vitae summa erat innocentia et simplicitas: quomodo lingua potuit esse ad gustum elegantioris et musae, et vanitatis, comparata. Adamus fuit, inficias ire nolim, rerum diuinarum atque humanarum, pro suae et integritatis, et rationis facultate, peritissimus. Sed cauendum quam maxime, vt maxime Reuerendi etiam post obitum Domini BVDDEI r) verba mea faciam, *ne de eruditione Adami eiusmodi animo concipiamus notionem, quae circulo eruditionis, prout hodie in vsu est, tantum conuenit et sine magno errore hominibus a nostris moribus et docendi discendique ratione alienis, tribui nequit.* Nihil in hac re tribuo gentilium ratiociniis: producerem alias DIODORVM

q) Philologo Hebraeo, Differt. 17. §. 9.

r) Histor. Eccles. V. T. period. 1. sect. 1. §. 13. pag. 93.

DORVM SICVLVM *s)* et VITRVVIVM *t)* quibus (sed perperam) homines videntur primitus more bestiarum voces inarticulatas et confusas protulisse: donec per timorem congregati, sibique sensim assuefacti, voces flectendo, et de rebus singulis verba quoque apta fingendo, notam sibi omnium interpretationem fecerint. *v)* Cui quicquid etiam EVSEBIVS *x)* obloquatur; GREGORIVS NYSSENVS *y)* tamen

E 2 Deo

s) Biblioth. histor. lib. 1. cap. 8. Latine dabimus Diodori Siculi verba: *homines primitus natos vitam inconditam et belluinam egisse, memorant: vt qui sparsim ad pascua exierint, et sapidissimam quamque herbam, ac sponte natos arborum fructus comederint. Cumque a feris infestarentur, mutuo sibi opitulari vsu edocti, et metu ad societatem adacti, paullatim cognatas inter se formas agnouerunt. Voce autem adhuc confusa, et nihil significante, pedetentim verba articulate pronunciando, et signis vnamquamque rem subiectam notando, elocutionem tandem rerum omnium sibi notam fecerunt. Sed cum per totum orbem huiusmodi coetus coirent, et quique vt sors dabat, verba connecterent, non eadem omnes loquela vtebantur. Ideoque variae, omnisque generis linguarum formae extiterunt. Et primae illae congregationes vniuersis originem nationibus praebuere.*

t) De Architectura lib. 2. c. 1.

v) Consentit TITVS LVCRETIVS CARVS lib. 5. de rerum natura:

At varios linguae sonitus natura subegit
Mittere; et vtilitas expressit nomina rerum:
Non alia longe ratione, atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum pueros infantia linguae:
Cum facit, vt digito, quae sint praesentia, monstrent.

x) Praeparat. Euangel. lib. 1. c. 7.

y) Ille qui linguam Hebraicam in Aegypto demum, singulari Dei miraculo, natam fuisse credidit. Quapropter etiam, vti constat, a SIMONIO desertus est, qui in reliquis cum eo sentit. vid.

GREGOR.

Deo indignum exiſtimauit, in Grammaticorum quaſi cenſum deprimi, et linguam homines edocuiſſe credi. Sed eo vſque nolim aliorum controuerſiis implicari: et videtur mihi tutius dixiſſe, Adamum, cum in lucem editus, ac rationis vſu excellentiori praeditus eſſet, voce, rationis indice, tum quidem ſatis eleganti, animalibus nomina indidiſſe, et caetero lingua etiam ſua gauiſum, pro ſtatus ratione, integritate ſua atque ſimplicitate, rebus conueniente, recta, et conciſa. Enimuero tantis, vt ſequens aetas, non ſtuduit ſermonum floſculis, non tantis literarum atque ſyllabarum dimenſionibus, particulis et magis eleganter coniunctis vocabulis: quae quidem nunc in Hebraica, iſta Moſis aeuo politiori, magisque hominum excultis reſpondente ingeniis, obſeruantur. Saltem ſi, quod mihi non ſemel obiectum fuit, ex eo linguae Hebraicae inconſideratius aliquis primogenituram ſtatuere velit, quod Deus T.O.M. ea legem et foedus ſuum conſignare dignatus fuerit: putem omnino, Diuinam gratiam nulli cuiusquam linguae alligari: neque id alia de cauſa factum, quam vt parti indulgeret foederatae, Hebraice loquenti. Quare Nouum Teſtamentum Graece clementiſſimum Numen per Euangeliſtas et Apoſtolos ſuos conſcribere curauit? Quare Spiritus S. prima poſt Seruatoris noſtri aſcenſionem pentecoſte, linguis gaudere diuerſis, et populo cuique ſua praedicari lingua, ſua cuique vernacula diuinitus fundamenta

GREGOR. NYSSENI orat. 12. aduerſus Eunomium. conf. RICH. SIMONIVS hiſtor. Critic. V.T. lib. 1. c. 14. et 15. itemque lib. 3. c. 21. Cui ſe oppoſuit Doctiſſimus CLERICVS, qui verus auctor eſt tractationis, cui titulum fecit: *Sentiments de quelques Theologiens de Hollande ſur l' hiſt. crit. Epiſt. 19. pag. 122.*

menta religionis communicare voluit? Et ponamus, Deum ad nos Germanos iam loqui secum gratiose constituisse: id procul omni dubio lingua, nunc nobis familiari, Germanica factitatum esse, satis certo persuasi sumus. Lingua enim prae alia sanctior nulla est: sed quaeuis recta rationis interpres, atque sensus humani nuncius: vt nobilissima pars hominis cogitationes suas cum aliis communicare possit. Atqui istud qua voce fiat, si quid sentio, tantundem foret: modo illis, quorum aliena cognouisse meditata refert, clare et distincte proponatur.

§. XIX.

His vel obiter praelibatis, abunde patet, vltimam Latinae linguae originem, quam supra dixi Auiam, valde obscuram et incertam esse, imo nullibi hodienum extare: z) praeterquam quod istius reliquiae in linguis, quae sensim sine sensu inde a longo tempore descendebant, omnibus, in aliis tamen magis atque in aliis, supersint. a) Et quae supersunt, exantlato etiam labore, summoque iudicio, vix ac ne vix quidem dignoscere aliquis potest.

 Quod

z) CLVVERIVS Germ. antiq. lib. 1. c. 8. §. 8. etiam statuit, primam isthanc mortalium linguam nullibi apparere, neque paritturam aliquando, nisi in futura coelesti vita.

a) Ita nobiscum sentiunt GROTIVS in notis ad lib. 1. de verit. relig. Christ. §. 15. Idem ad Gen. XI. 1. IOSEPHVS SCALIGER not. ad Euseb. num. 1612. PETRVS DANIEL HVETIVS demonstr. Euang. propr. IV. cap. 13. pag. 241. seq. MORHOFIVS de ling. teut. part. I. c. 1. pag. 5. Es ist am glaublichsten, daß keine von den jetzo bekandten Sprachen, als die das meinste von der Kunst entlehnet, die erste gewesen, sondern eine von diesen unterschiedene, von welcher alle Sprachen in ihren Wörtern, eine aber mehr als die andere, etwas mit eingemischet haben.

Quod aſſertum noſtrum cuique, rem accuratius ſecum paulo meditanti, ſatis fore euidens, amplius nulli dubitamus.

§. XX.

Hinc alii, in aliud extremum prolapſi, nouam quandam, ex omnibus in orbe cognitis earundemque radicibus compilatam, linguam pro vniuerſali atque primo nata, neſcio an pari ſucceſſu, venditare conantur. *b*) Quid enim, ſi vel maxime liceret, opus eſt in caſſum adeo laborare, ac deperditum iam inde a millenariis quinque aut pluribus annis poſtliminio reuocare, et reparare tam anxie: quod ſi tandem etiam appareat, nullius, aut certe perexigui, vſus fore, ipſis linguarum ſcrutatoribus haud ſine ratione videtur. Caremus ergo primaeua eo lubentius, quod Deo T. O. M. liberaliter nobis proſpiciente, iam aliis cultoribus, iiſdemque valde commodis, aptisque ad artes quasuis atque ſcientias diſcendas et propagandas, recondita animi inuicem ſibi communicanda, nominis Diuini gloriam promouendam, ſacra et ciuilia, et domeſtica, adminiſtranda, variis vario genere linguis atque dialectis abundamus.

CAPVT III.

De Confuſione Linguarum, et quomodo ex ea dicatur Latina oriri.

§. I.

Simplicior Babylonicae confuſionis enarratio. 2. *Variorum inuoluitur ſententiis,* 3. *Quae plurimum nituntur Iu-*

b) Vid. MORHOFI polyhiſt. liter. lib. 4. cap. 3. §. 6. ſq. THOM. BARTHOLINVS de libris legendis diſſert. 3. p. 58. ſeq.

tur Iudaeorum fabellis. 4. *Rectius inde ſenſus datur, quod confuſio linguarum nihil aliud, quam diſcordiam, inter ſtructores repente ſubortam, innuat.* 5. *Quae populorum migrationem, et haec linguarum diuerſitatem cauſauit,* 6. *Ratione organorum.* 7. *Ratione diuerſi climatis,* 8. *Et aliis, quae non perluſtrantur, cauſſis.*

§. I.

Priusquam nobis ad propiorem Latinae linguae originem deſcendere licet, fatum, quod aiunt, linguarum maxime notatu dignum et excellens obuenit: quod demonſtrant, nec obſcure demonſtrare putant, ex ſacratiſſimis primi ſcriptoris θεοπνεύϛȣ *a*) monumentis, *b*) vbi celebris illa πυργοποιά, extructio turris Babylonicae, et confuſio linguarum memoratur. Haec ad annum orbis conditi MDCCXC. ſalutis ab vniuerſali diluuio recuperatae CXXXII. vel circiter id tempus referri ſolet. *c*) Rem breuiter

a) Primum ſcriptorem Moſen voco, quamuis et in eo ſentiam cum CAMPEGIO VITRINGA, Moſen ſcriptorum, quae poſt ſe reliquit, primum בראשית poſtea Geneſin inſcriptum, ex ſcholis et monumentis patriarcharum, inſtinctu diuino, collegiſſe. Videatur Doctiſſimi Theologi ac Philologi epiſt. dedic. *Archiſynagogo*, nouis obſeruationibus ſuis illuſtrato, praemiſſa.

b) Geneſ. X. 1.

c) Vid. IOHAN. FVNCCII chronologia fol. 10. ALSTEDIVS chronol. c. 27. p. 237. annum diſperſionis ſtatuit CIϽ IϽ CCLVII. Quocum etiam b. m. Auus meus, CONR. THEOD. LINCKER, ſentit Theat. Hiſt. polit. tab. chron. 1. confer. CALVISIVS, SCHRADERVS, atque alii. GOTFRIDO Viterbienſi chron. Part. 3. apud Piſtorium Germ. Script. tom. 2. pag. 86. *Anni ab Adam vſque ad Nimbrod*, id eſt *vſque ad diuiſionem linguarum, ſunt ſecundum Hie-*

uiter ſic habeto. Noachi atque trium eius, ab inundatione ſeruatorum, filiorum, Schemi, Chami et Iapheti, poſteri, diuino partim refragantes praecepto, partim de ſuis rebus atque diuitiis ſuperbientes, vti aeternum, antequam diſſiparentur, gloriae ac memoriae ſibi pararent monumentum; vel, vt tandem inundationis, ſi qua denuo eſſet futura, timorem propellerent, certumque aſylum et perfugium haberent; ex ea, quam trans Tigrim incolebant, terra, in Regione Schinar congregati, conſilio inito, magnam vrbem praecelſamque turrim aedificare coeperunt: atque numinis aeterni contemtores faſtigium iſtud ad coelum perducere ſperauerunt. Hinc Graecis fabulandi occaſio, gigantes olim coelos expugnare inſtituiſſe. His vero ſuperbis mortalium conatibus praepotens numinis aeterni obſtitit manus; ac repente ſummus iudex, cui vni ſoli omnis honor atque gloria debetur, grauiſſime offenſus, *ſenſum atque voluntatem eorum*, vel, vti ex Hebraiſmo verba Moſis ſonant, *ſermonem*, qui tunc *unus*, i. e. *concors* erat in terris, confudit adeo, et exacerbauit erga ſe inuicem Architectos, vt diſcordia abſtracti, alter alterum non amplius intelligeret, vel audiret: i. e. alter alteri omnem denegaret obedientiam amicitiamque. Ita, quod vnus et alter aedificari voluit, alius rurſum deſtrui

dum Hieronymum mille, ducenti, ſexaginta ſeptem. WERNERO ROLEWINK faſcicul. temporum fol. 5. ibidem anni CIƆ IƆCXLIII. et THOMAE LYDYAT Anglo emend. temporum pag. 5. anni CIƆ IƆ CCLVIII. plures atque pauciores ab aliis numerantur anni ab O. C. ad vſque turris Babyl. aedificationem et linguarum confuſionem, quos enumerare omnes, longum eſt. De tempore hoc diſquirentes vide SALIAN. annal. eccleſ. tom. 1. anno M. 1931. et PETAVIVM, doctr. temp. IX. 14.

ſtrui praecepit, et in vniuerſum homines diſſenſu, inuidia, odio, ira, ſuperbia etc. ab ſe inuicem alienati, in diuerſa orbis loca abeundum ſatius putarunt. Ea demum ratione opus manuum perficere, atque turrim, quam inceperant, extruere non potuerunt: ſed diſceſſerunt populi in regiones orbis varias, atque hinc ipſam vrbem Babel i. e. confuſionem poſtea nominarunt.

§. II.

De linguarum iſta confuſione paſſim multa diſputantur, quae pluribus perquirere huius loci non ſunt. Sufficiat hoc tantum monuiſſe, quod facere ad originem L. L. demonſtrandam aliquo modo videtur. Theologi atque Philologi vetuſtiores in ea opinione maximam partem haeſerunt, ex vna lingua primaeua, tunc vniuerſo terrarum orbe vernacula, neſcio, quo miraculo, hos inter Babelis ſtructores nouas, tot genio varias, tot numero multas, quot poſt ea tempora paſſim locorum cardinales deprehenderunt, ſimul atque ſemel ortas fuiſſe linguas, Graecam, Latinam, Germanicam etc. *d*) Ita, ne nunc alios memorem, CLEMENS ALEXANDRINVS, ARNOBIVS, EPIPHANIVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, ad vrbis Babylonicae aedificationem linguas LXXII. diuerſis populis datas eſſe voluerunt.

d) LINCKER theatr. Hiſtor. Polit. fol. 1. vulgari ſententia diſertis *Immiſſa*, inquit, *linguarum in ſingulis familiis confuſione, nobiliores et cardinales praeter Hebraeam fuerunt Graeca, Latina, Germanica, Chaldaica, Syriaca, Sclauonica, Tartarica, Arabica. Alias cum LXX. fuerint familiae ex Geneſ. X. totidem etiam linguae creduntur exortae.* Confer. PETRVS LAMBECIVS prodrom. hiſtor. liter. l. 1. c. 5. et BVXTORFIVS diſſert. de lingua Hebr. confuſ.

runt. Alii LXX. numero ſtatuunt rotundo, quos plurimi hodie tuto etiam critici ſequuntur. *e*) CLVVERIVS autem *f*) ad LXIX. iſthunc linguarum, ſi Diis placet, tunc inuentarum, numerum reſtrinxit.

§. III.

Omnes illi quidem ſibi perſuadent, certiſſimum fundamentum ſubductae rationis habere capita familiarum, quae Geneſ. X. recenſentur: vbi ne verbum quidem de linguis recens natis legere poſſumus. Sed incauti erroris, ſi quid video, nituntur meris Iudaeorum fabellis. Hi, vt vulgo notum, ſeptuagenario numero varia eliciunt myſteria, ac iſtum plerumque ſtatuunt, vbi numerus auctorum vel rerum habetur incertus. Ratio, quia Moſes iuſſu diuino LXX. viros ad ſynedrium magnum conſtituendum vocauerit. Inde fabulantur, linguam Hebraicam, tempore confuſionis in extructione turris Babylonicae, in LXX. fuiſſe diuiſam; gentem illam in LXX. abiiſſe nationes; ſingulos in magno Sanhedrin Seniores congregatos LXX. linguas nouiſſe; illis LXX. nationibus, a confuſione ortis, LXX. Angelos fuiſſe praepoſitos, qui eas gubernarent; LXX. Angelos confuſionem induxiſſe; Turris Babylonicae architectos et conſiliarios LXX. fuiſſe; Denique cum Deus linguarum confuſionem effecerit, turrim verſus orientem et verſus occidentem

e) Vid. ISIDORVS orig. lib. 9. c. 1. GOTFRIDVS chron. part. 3. apud PISTORIVM tom. 2. p. 86. IO. GOROPIVS BECANVS Hermathenae lib. 1. ALSTEDII chronol. p. 239. ſeq.

f) Germ. Antiq. lib. 1. c. 4. §. 3. et 4.

tem LXX. gradus fuiſſe altam. *g*) Infinita huius furfuris figmenta alia.

§. IV.

Vt vero nugarum finem faciamus, omne cadit eorum fundamentum, ſi, quod non pauci et eruditiſſimi Theologi et Philologi probant, lingua diuinitus confuſa l. c. vt in aliis, ſic in Hebraico idiomate, non tam verborum et vernaculae, quam ſenſus, voluntatis, affectus et obſequii denegationem atque diſcordiam ſignificat. Sic etiam Pſal. LV. 10. Neque ad miracula deueniendum, vbi rerum certa diſpoſitio et ſenſus verborum rectus, non modo ſpeciem, ſed ipſam veritatem prae ſe ferunt. Vt adeo Deus, ſuperbiae vindex et vltor, inter Babelis architectos magis diſcordiam, quam ſoni varietatem atque vocis externam effecerit diſcrepantiam. Iſthoc facillimum et commune, quod nos homines ſaepe numero ferit. Ecquid conuenientius rei, aut facilius, quam vt tantum a tot diuerſi generis ac temperamenti auctoribus ſuſceptum opus deſtrueretur; et factionibus ſubortis, mortales a coepto deſiſtentes, in varias orbis regiones abducerentur? Quod non tam facile fieri potuiſſet, vnanimes, nihil deſideraſſent quam vocem deperditam, et vernaculam in aliis atque aliis fortuito caſu variatam comprehendiſſent. Maior inde miſericordia, quam indignatio exſpectanda: vt arctiori vinculo et amore ſe complecti, certisque ſignis, ad opus illud auſpicato peragendum, vti potuiſſent. Nec tam ſubito mortales videntur diſceſſiſſe, ad vnum omnibus, ſenſu integro et voluntate perpetua ad idem opus moliendum, conſpirantibus.

g) Confer. IOHAN. LEVSDENI Philologus Hebraeo - mixtus Diſſert. 2. §. 1. de verſione LXX. virorum.

bus. Nam, quod in prouerbio valet, concordia res paruae crefcunt, difcordia etiam maximae dilabuntur. Argumenta nunc non alia profero, quae ad fatietatem vfque protulerunt Viri doctiffimi nafutique homines, a quibus ex profeffo materia ifthaec pertractata fuit. *b*)

§. V.

Tamen non nego, famofam hanc populorum difperfionem, eamque primam tot familiarum in longe diffitas regiones migrationem, diuerfarum linguarum caufam extare primariam: quod alii ab aliis ita feparatim viuere, ab fe inuicem disiuncti fingulares conftituere refp. ac fuis quique tantum ciuibus affuefcere debuerunt: vt raro vel nunquam prifcas fuas fedes fuosque cognatos falutare potuerint. Hinc tractu temporis, admodum probabile eft, quamque nationem, quo longius occuparet terras, notabiliori etiam vocis vel contractione, vel extenfione, et flexione alia atque alia, primo variare dialectum, poftea vero, in quam fenfim fine fenfu ifta declinat, nouam formare linguam inftituiffe. Nihil vtique prifcis euentu facilius effe potuit. Lingua enim, qualis ea tum fuit, fimplex et valde rudis quando a mortalibus in varias regiones deportatur, pro cuiusuis lubitu, ingenio et natura, mille modis inuerti, truncari, dilatari, contrahi, expoliri, reftitui folet. Quam crebro id vfu veniat, vt effentialia nunc vocum elementa,

b) Pluribus conferantur IO. CLERICVS comm. ad Genef. XI. CAMPEGIVS VITRINGA obferu. facr. libr. I. differt. I. c. 4. feq. HERM. VAN DER HART in ephemeritibus philologicis difc. 3. IACOBVS PERIZONIVS Orig. Babylon. cap. 8 feq. Vide etiam, fed diffentientes, IOH. BVXTORFIVM de confuf. ling. Ebr. et plur. ling. origine. CRINESIVM de confufione linguarum. et qui inftar omnium eft, IOH. FRANC. BVDDEVM in hiftor. ecclef. V.T. period. I. fect. 2. §. 9. p. 209. feq.

ta, quae vocales audiunt, commutentur, inuertantur, nunc consonantes literae abiiciantur interque ferantur, in ipsis hodie satis excultis politisque linguis sole meridiano clarius cernere licet. In lingua, quam prae manibus habemus, Latina, si quis ea de re conspicua velit exempla videre; IVSTVM LIPSIVM, vel AVSONIVM POPMAM de vsu antiquae locutionis, vel quendam ex vetustioribus Grammaticis, vel quae nos de pueritia et adolescentia Latinae linguae scripsimus, euoluere ne grauetur: vbi, quam variis mutationibus litera quaelibet fuerit obnoxia, haud difficulter notare poterit. Vel, vt cuique detur asserti nostri veritatem prope manibus palpandi copia, consideret modo infantum atque puerorum, quae proferunt, vocabulorum monstra, et sermonis nunquam praeuisas inuersiones; consideret, si vacat, obsecro, in vernacula quisque sua linguas, vel dialectus, circa circum se prouinciales, quas vocant, atque rusticas. Tantam in istis omnibus discrepantiam obseruabit, tantam verborum corruptionem, tantam mutationem: vt, si vel leuiter conferre singulas velit, tot sibi diuersas ferme linguas habere videretur, et rei veritatem nobiscum lubens profiteri non erubesceret.

§. VI.

In causa aliquo modo organorum conformatio est. Alii robore valent; submissa voce alii loquuntur, alii citius, alii tardius, magis alii obseruantur esse gutturales, magis alii labiales, alii palatini, linguales alii, rursum alii dentales et narini. Qui adeo, pro diuersa organorum ratione, literis primum, quadam velut affinitate, sono magis congruo, pronunciatis vti, et cum his tandem integras voces atque sententias paulatim commutare instituunt. Quod in deriuanda Aramaea ex Hebraea

tot etiam Graecorum dialectis, frequentiſſimum eſſe, vnanimi conſenſu Philologorum experientiſſimi quique *i)* tradiderunt. Ex ſacris nouimus de Ephraimitis, eiuſdem Paleſtinae populis, literam ש *ſchin*, quam cum aſpiratione ſibilandam eſſe docent, pronunciare aliter non potuiſſe, quam ſine aſpiratione ש *ſin*. Vnde perfugae illorum, ad vada Iordanis, interrogati, num Ephrathaei ſint, et id negantes iubebantur dicere *Schibboleth*, quod ſi intelligerentur pronunciare *Siboleth*, neque ad recte loquendum accederent, apprehenſi vna omnes iugularentur. Qua ratione ex iſtis quadraginta duo millia, ſtupendo numero, pro vſu eius temporis et nota veterum bella gerendi conſuetudine, ceciderunt. *k)* Ita a teneris adſueſcere, multum eſt.

§. VII.

Pro diuerſitate climatis, diuerſae, vt plurimum etiam inueniuntur gentium naturae, quibuscum linguae variantur; aliis vernaculam ſuam vocalium et ſyllabarum, aliis conſonantium copia, vel inuertere, vel corroborare, et circumcidere inſtituentibus, prout temperamentum et natale ſolum iſtud ſuppeditare videtur. Sumamus nationes quaſdam, ſat nobis hodie notas atque illuſtres. Neque nunc dialectos, in quauis lingua itidem notabiliter variantes, curamus. *l)* *Itali* et *Hiſpani* ſyllabis abundant atque

i) IACOB. ALTINGIVS fundam. punctat. linguae ſanctae ſect. 1. §. 4. Et IOH. IOACH. SCHROEDERVS, Vir clariſſimus, Praeceptor et meus fautor ſumme colendus, de natura linguae Hebraicae Diſſert. 2. §. 4.

k) Iudic. XII. 5. 6.

l) Ita IVLIVS CAESAR SCALIGER, docta et eleg. oratione de verbo *ineptus*, inter alia ſcribit: *Leniſſime pronunciat magna Italiae pars; craſſiſſime pene vniuerſa Germania. At Thuſci, qui Arnum circumcolunt, pene Germanicos illos ſpiritus ſuperant.*

atque vocalibus; *Galli* molliuſcule ac ſuauius pronunciant; *Angli* et qui eorum nomine magnam Britanniam cum proximioribus inſulis occuparunt, alii tamen magis quam alii ſibilant omnes. *Septentrionales* populi fortius, *Bataui* negligentius, Germani, quos ſuperiores vocant, magnifice et grauiter eloquuntur: *Caffari* atque *Hottentotti*, qui in Africae finibus, meridiem verſus, ad caput bonae ſpei habitant, mirabili barbarie voces edunt, gallicinio haud abſimiles. *Sinenſium* lingua tota muſica eſt, varioque accentu ſignificationes varias ſaepe accipit vna vox, eaque ſimpliciſſima; quam vſque adeo extendere ſolent, vt ne Latinum quidem, multo minus Germanicum ſpiritum comprehendere valeant. Inde controuerſia eorum Miſſionariis refertur fuiſſe mota: num etiam lingua Sinenſium vernacula miſſam rite poſſint legere: omnibus incolis quae Latina ſunt, perperam excipientibus: quando videlicet iſtis *Crux*, cu-lu-ſu; *Baptizo*, pa-pe-ti-ſo; *Bartholomaeus*; Ba-ulh-to-lo-meu-ſu, etc. difficillimo conſono pronunciantur. *m*)

§. VIII.

Taceo diuerſorum populorum commercia, inuaſiones, colonias, commixtiones, bella etc. quibus omnibus noua inferuntur rerum vocabula, vetera mutantur, inculta magis ad vniuſcuiuſque ingenium perpoliuntur: vſque quo tandem dialectus, ab vna alteraue longius prouecta, et in aliam plane degenerata linguam, diuerſaque induta facie tandem appareat. Si quis haec pluribus cognoſcere

m) Confer. die auffrichtige und unpartheyiſche Gedancken über die Iournale, Extracte und Monaths-Schrifften tom. 1. part. 2, pag. 190.

gnoscere velit, quod nos valde suademus, celeberrimi Haffniensis Medici et Polyhistoris, OLAI BORRICHI, breuem, sed doctam et argutam dissertationem, *de causis diuersitatis linguarum*, *n*) adire potest. Verbis vt omnia comprehendamus paucis: Occasione discordiae, quam Deus T. O. M. inter superbientes Babelis structores commouit, gentes abierunt in diuersas regiones: quibus, cum tractu temporis, atque semine multiplicato, vlterius migrarent, colonias vnirent, communicarent etc. magis magisque diuersas linguas formarunt, duratione, vel cultura, nunc stabilitas. Atque adeo non diuersitate linguarum, vtut confusione oborta, populorum dispersionem; sed, vice versa, populorum dispersione linguarum diuersitatem fuisse effectam, satis superque videmus.

CAPVT IV.

De Linguae Celto - Scythico - Germanicae Antiquitate.

§. I.

Iapheti per Gomerum nepotes, Aschenazes, Riphat, ac Thogarma, post dispersionem populorum, Europam occuparunt, praeter Graeciam. 2. *Ex quibus Aschenazes conditor est Celtarum et Germaniae.* 3. *Ille cursu huc venit ex Oriente directo: quod antiquitus terra potius firma, quam aquis procederent, sedem mutantes.* 4. *Tacitus, qui asserto huic contradicit, refutatur, et aduersus Cluuerium primos Italiae incolas e Germania trans Alpes venisse, in antecessum adstruitur.* 5. *Germani secundum Tacitum indigenae,* 6. *Quorum antiquitas vlterius probatur,* 7. *Celtae,* 8. *Et Scythae vocantur.* §. I.

n) Vid. etiam GOROPIVS BECANVS orig. Anvw. l. 7. p. 737.

§. I.

Cum a se inuicem mortales discederent atque magnam istam instituerent migrationem: *Iapheti* per *Gomerum* nepotes numerabantur tres, *Aschenaz*, *Riphath*, ac *Thogarma*: *a*) quibus vulgo Europaeas regiones tribuere solent: vnam si excipias Graeciam, posteris Iauani adscriptam. *b*) *Thogarma* Sarmatis perhibetur praefuisse; quod ex nomine ipsius probare volunt. Syllaba namque prima per cholem paruum correpta, ex *Thogarma* facilis in *Thgarmat* et *Sarmata* prouenit mutatio. *Riphat* Russis nomen et originem dedisse, vulgo creditur: quod Russi et Moscouitae, qui nunc satis noti, *Riphaces* olim, et montes, ad mare glaciale iacentes, *Riphaei* dicebantur. *c*) Aschenaz vero, quem alii *Tuisconem*, sed perperam, vocant, *)

G vnus

a) Genes. X. 5. Ceterum, quod filii Noachi per orbis vastitatem genus humanum propagare debuerint, *Sem* et *Cham* orientem praecipue atque Austrum huiusque tractus petiuerunt. A *Iapheto* eiusque posteris vero, vt diserte Moses habet, *Insulae Gentium in regionibus suis diuisae sunt*. Insulae Gentium memoratae, interpretum consensu, vocantur Europeae, quae sunt remotissimae. Confer. LAZIVS et PEVTINGERVS, qui de gentium migrationibus eruditissime scripserunt.

b) Vid. Scripturae loca, Genes. X. 2. et 4. 1 Chron. I. 5. 7. Daniel. VIII. 21. X. 20. Ioel. III. 11. Zach. IX. 13. etc. IOSEPHVS Antiq. Iud. lib. I. cap. 11. ALSTEDIVS praecogn. theol. lib. 2. pag. 311. BVDDEVS hist. eccles. V. T. period. 1. sect. 2. §. 9. pag. 218.

c) ALSTEDIVS l. c. pag. 315. 316. LENTVLVS Germ. part. 1. c. 1. pag. 23.

*) Ita MELCHIOR GOLDASTVS de regno Bohemiae l. 1. c. 3. *Si quid vero dandum est fidei atque auctoritati excellentium virorum*,

vnus omnium Celtarum parens atque conditor habetur. Solus ille, quicquid Europaearum reliquum eſt, ſpatium longe quidem vaſtiſſimum, ſed etiam remotiſſimum, vel ideo ſortitus fuit: quoniam illis regionibus amoeniſſimis quidem, ſed habitatoribus vacuis, cum filiarum atque nepotum familiis proximus eſſet: vt temporis longo ſpatio eius poſteri alias poſt alias occuparent; et quae fortiores, cum loca non ſufficerent, propiores ſibi gentes propellerent. Terrarum ecce limites vaſtaque populorum habitacula, quantum ſub variis nominibus Illyrici, Germaniae, Galliae, Hiſpaniae et Britannicarum inſularum ad mare vſque hyperboreum, qua Lappiam et Noruagiam perfundit, et rurſus ad oceanum Atlanticum protenditur. Quae regiones eapropter commune *Celticae* nomen acceperunt. *d*)

§. II.

IOSEPHVS, ille accuratiſſimus rerum Iudaicarum ſcriptor, diſertis inquit: *e*) Ἀσχανάζης Ἀσχανάζας ᾤκησεν, οἱ νῦν Ῥηγῖνες ἀπὸ τῶν ἑλλήνων καλοῦνται. *Aſchenazes condidit Aſchanazas, qui nunc Rhegines appellantur a Graecis.* Haud dictu quidem facile eſt, quoſnam per *Rhegines* iſtos, nemini alias vel Graecorum, vel Latinorum, memoratos, intel-

---

rorum, Tuiſcon, qui et Tentho, quemue Moiſes Aſcanez, i. e. Aſcanium appellat, Gomeri filius primogenitus, Iapheti nepos, Noae pronepos, gentis noſtrae conditor fuit; a quo Tenthones, Teutſchen, et Teuthonia Teutſchland, hodieque nominatur. Huic natus eſt filius Mannus, ad quem Tacitus originem Germanorum referre videtur.

d) CLVVERIVS Germ. Antiq. Lib. 1. c. 4. §. 14. Geogr. lib. 3. c. 6. §. 1. DILLHER de hiſtoria priſcae Germaniae cap. 1. §. 3. HAGELGANSIVS obſeruat. erudituſſ. ibid. pag. 3.

e) Antiq. Iud. lib. 1. c. 7.

intelligeret: praeterquam quod totidem id pene verbis Hieronymus, Isidorus, et forsan alii, ex eo relatum transque scriptum reliquerunt. Sed tamen Viri docti, et hos inter modo laudatus CLVVERIVS, *f*) nulla coniiciunt iniuria, eum *Germanos* voluisse notare: id tanto quidem magis, quod alias vastissimae gentis illius nullam plane mentionem fecerit. Sunt quoque in orbe literato viri, haud exigui nominis, qui Ῥηγῖνες ipsos *Rhenenses*, quasi *Rhenigenas*, vocatos velint. Adeoque pro ῥηγῖνες, apud Iosephum, modo γερμανοί, modo ῥηνογενεῖς reponunt. *) Nec obstat dictum Ierem. LI. 17. quin ipsi Hebraei vnanimi et sensu, et voce profiteantur, ab *Ascano*, vel Aschenaze, descendisse *Tuiscones*, siue Teutones, die Teutschen. Quos adeo lingua etiam sua אשכנזים *Askenazim* et Germaniam אשכנז vocant. *g*) Nec desunt, qui *Tuiscones* nominatim, quouis etiam pretio contendunt ab *Ascane* deriuari; perexigua literarum mutatione, et praeposito articulo, die *Ascanes* contr. *Tuiscones*. *h*) Sed vacent haec. Neque enim et nunc nos vel stare cupimus aliorum nugis, vel o-

 diosa

f) Germ. Antiq. lib. 1. c. 4. §. 15. confer. ALSTEDIVS praecogn. theol. lib. 2. pag. 314. Chronol. cap. 21. p. 196. et c. 27. pag. 238. D. BVDDEVS histor. Eccles. V. T. period. 1. sect. 2. §. 9. p. 220. seq.

*) Vid. MARQVARDVS FREHERVS in notis ad Petrum de Andlo, ad praefationem.

g) Ita ELIAS LEVITA in Thisbi circa finem literae A. ***Omnes terram Alemannicam vocare solent Aschenas.*** Addit porro: ***In lingua item Romana terra Aschenas vocata est Germania.*** confer. DILLHERRI historia priscae Germaniae cap. 1. §. 4.

h) Vid. MELANCHT. Chron. lib. 1. et MORNAYVS de veritate religionis Christianae. cap. 8.

diosa nimis delicate et iocose tractare, qui maiora potioraque habemus. Sic multa alia, quae nos quidem non admodum latent, silentiae inuoluuntur sipario. **) Neque mouemur coniecturis eorum, qui totis cateruis in partes abeunt, vsque adeo, vt ipse HERTIVS, ille quondam Academiae Giessensis ocellus, multorum diuersas quidem recensere opiniones, nihil vero, quod anceps de materia isthac disceptatio videretur, ad liquidum deducere ausus fuerit. *i*)

§. III.

Quoquo modo res sese habeat, procul dubio nationes, sensim sensimque tot myriadibus auctae, et in diuersa prorumpentes, ea loca primum occuparunt, quae aperta, aggressuque ipsis faciliora fuere. Haec sunt terra firma continensque, vt vocantur, ac sine multo negotio transcurrentibus mansionem victumque praebent. Vnde nobis coniicere licet, populos, priusquam Graeciae, vel Italiae, peninsularum tractus, veteris Germaniae confines, frequentarent aut ingrederentur; salutare haec saltem nostra loca, Germanosque agros colere debuisse. ***) Neque

**) Vid. PAVLVS MERVLA cosmogr. part. 1. l. 3. c. 14. ABRAHAMVS ORTELIVS thesaur. cosmogr. in Aschanaxi. RVPERTVS obseruat. in Besoldi synopsin c. 1. p. 12.

i) Dissert. de veteris Germ. populis part. 1. cap. 1. §. 2. et 3. confer ALSTEDIVS l. c. et HAGELGANSIVS crud. obseru. ad Dillherri historiam priscae Germ. c. 1. §. 4. pag. 4. et 5. Diuersas aliorum sententias vide apud ZENTGRAVIVM de Gomero Iapheti primogenito Germanae gentis conditore sect. 4.

***) Ita ex sua hypothesi, et multorum sententia, GOLDASTVS de regno Bohemiae l. 1. c. 3. in notis lit. (z.) *Fertur autem Tuiston sedem imperii collocasse in confinio Asiae et Europae super flumen*

que ſolum tranſitu, curſuque ad terras longinquiores citato, regionem iſtam viderunt; ſed, quod ratio et hominum conditio nos facile docet, ibi ſedem conſtituentes habitarunt, atque diu, velut in patria ſua, manſerunt. Vbicunque enim iſtis commodum ac fertile ſolum ad vitae ſuſtentationem offerebatur, pedem habere fixum conſueuere: donec terra, mater alma, prae multitudine incolarum, in placitis antea regionibus non omnes amplius alere potuit: vt progredi vlterius, atque colonias ſuas alio mittere, quaſi extrema neceſſitate coacti, viderentur. *)

§. IV.

E diametro huic ſententiae noſtrae, antiquiſſimos populos, ſedes ſuaque habitacula quaerentes, iter magis terra continente, quam aquis, facere ſolitos fuiſſe, obſtat CORN. TACITVS, k) vbi *nec terra*, inquit, *olim, ſed claſſibus aduehebantur, qui mutare ſedes quaerebant.* At ſufficienter ipſi a celeberrimo huius Academiae quondam Profeſſore et Polyhiſtore, CYRIACO LENTVLO, l) reſponſum eſt; cuius adeo nos non pudet ſubiecta verba noſtra facere: *Nauium fabricaturam*, ille iſti contradicit, *et claſſium apparatum, ante terreſtris itineris promtam expeditionem fuiſſe,*

 mihi

men Thanáim. -- Inde colonias in Germaniam ſub ductu Manni filii immiſit, Herciniamque ſiluam Hermioni ſeu Hermano nepoti in ſortem addixit. Et WELSERVS rerum Auguſtanarum Vindelicarum lib. 3. p. m. 31. *Patriis annalibus proditum, antiquiſſimis temporibus Aborigines hoc ſolum* (Raetiarum) *tenuiſſe.*

*) Sic et DIODORVS SICVLVS biblioth. l. 2. c. 43. de Scythis, quod nomen Germanis commune, teſtatur, anguſtam olim regionem habuiſſe, paulatim vero potentia et viribus auctos magnam imperii amplitudinem atque gloriam obtinuiſſe.

k) De moribus Germ. cap. 2.

l) Germ. part. 1. c. 2. pag. 59.

mihi non ſit veroſimile. Simpliciora et faciliora natura antiquior, operoſiora accedens aetate hominum induſtria inuenit. Eſt autem ſimplicius, eſt conſecutu facilius, pedibus, aut equo, aut curru denique, iter incedere, quam claſſem magno et ſumtu, et ingenio, et labore, fabricari. Facilius eſt viam in terra ſtabili, quam in tumore fluctuum, nondum inuenta praeſertim pyxide magnetica, inuenire. Nec iuuat dicere, Alpes murorum inſtar Italiam circumdare, et a ſeptentrionalibus munitam diſtrahere Regionibus. Vltro fatemur quidem, continuis anguſtiis variisque amfractibus, gyris atque mille viarum difficultatibus haec loca multorum irruptiones impedire: ſed tamen ea penitus inſuperabilia fuiſſe etiamnum quotidiana obloquitur experientia. Multo minus id potuere Alpes fuiſſe tunc temporis; cum etiam altiora quaeque prae ceteris terrae tractibus et optima planitie veteribus Germaniae Populis magis accepta, vel aditu iucundiora fuiſſe, nullus affirmare dubitem. Hac enim ratione iugiter iſtos loca montana inhabitaſſe nouimus: quae, quod difficilius potuerunt multitudine cingi, vt ab aliorum inſidiis tutiora, ita ipſis acceſſu et habitatione longe gratiora videbantur. Vel quis ex ipſo Tacito ignorat, Aborigines, vti paulo inferius docere animus eſt, gentem Celticam, primitus montana colenda ſelegiſſe? Quamobrem etiam ille ἀπὸ τοῦ ὄρεος Aborigines deriuare non veretur. Imo Priſci per orbem terrarum populi, inde ab Noae vſque temporibus, montes habitandos eligere malebant, inque iis rem diuinam agere; quod Deo ſacri exiſtimabantur. Ex quo capite Graeci quemlibet etiam montem *Iouis montem* vocare ſolent. *)
Vnde

*) Vid. DICKINSONVS Delphis Phoenicizantib. cap. 9.

Vnde patet, fruſtra CLVVERIVM, *m*) ſcriptorum recentiorum fide nimis commotum, aſſerere, Gallos Priſci Tarquinii temporibus omnium primos Alpes ſuperaſſe.

§. V.

Si quid gentilium ſcripta valerent, ſat teſtium, ſatis verborum haberemus in illo rerum diligentiſſimo commentatore, Cornelio Tacito. Ille ex optimis Hiſtoricis Germanos indigenas credidit: qua confeſſione tranſcendentem mortalium quorumcunque memoriam antiquitatem eorum comprobare voluit. *n*) Nec aliunde, vt qui rerum ſacrarum ignarus, falſam de humani generis origine opinionem habebat, eos deriuare potuit. Quare tum vltima noſtrates antiquitate, tum generis nobilitate conſpicuos, ſuo, quod inhabitabant, ſolo natos credidit omnes, atque primum huius gentis conditorem terra editum cum priſcis Germaniae incolis atque ciuibus aſſerere non dubitauit. *)

§. VI.

m) Ital. Antiq. lib. 1. cap. 33. Nec obſtat CORN. NEPOS Hannibal. cap. 3.

n) Tacitum imitatur CONRADVS CELTES qui de Germanis cecinit: *Gens* — — — — —
Indigena, haud alia ducens primordia gente,
Sed coelo producta ſuo.
vide etiam ZENTGRAVIVM de Gomero, Iapheti primogenito, Germanae gentis conditore, ſect. 3. §. 10. ſeq.

*) *Germanos* alii ab Hermanno, vel Arminio, alii a Thogarma, alii a Gomer, alii quaſi Heer-mannen, Gar-mannen, Geehrtmannen, Guer-mannen oder Kriegsmänner: nam et Guerre in Gallico, Belgico, Anglico et Italico ſermone, vt apud nos etiam wehren defendere, eſt pugnare et contendere: vt Romanis viri dicerentur militares et magnanimi. Falluntur autem, qui

§. VI.

Praeterea maximo id nobis argumento esse potest, Germanae gentis conditores istos primis post diluuium seculis haec loca adiisse, quod asperos mores duramque viuendi rationem primitus communem mortalibus vna secum in Europam Germaniamque inuexerint; priusquam Asia in mollitiem atque luxuriam, breui post tempore vbiuis locorum grassantem, qua infamis illa maxime facta, prolaberetur. Quod argumentum, pro Germanorum antiquitate, CLVVERIVS *o)* inprimis vrget. Saltem, quod constat, ne hilum quidem de vana aliorum idololatria fictisque Deorum simulacris Germani secum abstulerunt: quin etiam illi in Summi Numinis apertiori cognitione, vt eam ex patriarchis acceperant, paulo longius perstiterint. Neque enim ab initio effinxerunt imagines, neque templa erexerunt: quod Deos immortales in vllam oris humani speciem assimulare, vel eos cohibere parietibus, summum nefas putarent. *p)* Etiam Iulii Caesaris temporibus Deorum numero eos tantum habebant, quorum ope cernebant aperte iuuari, Solem, Vulcanum, et Lunam; reliquos

qui Germaniae nomen peregrinum a fraternitate dictum putant. Confer. VOSSIVS de theol. gent. l. 1. c. 37. BECMANNI orig. et BERNEGGERI quaest. 7. miscell. ad Tacit.

o) Germ. Antiq. lib. 1. c. 4. pag. 40. et cap. 9. pag. 76. confer. LENTVLVS Germ. part. 1. cap. 1. pag. 5.

p) Vid. TACITVS de moribus Germ. c. 9. conf. VINCENTII CHARTARII neu-eröffneter Götzen-Tempel pag. 6. Amplissimi Dom. SCHMINCKII, Praeceptoris et Patroni mei multum suspiciendi, differt. de cultu religioso arboris Iouis praesertim in Hassia §. 1. Et Consultiss. D. IMMANVELIS WEBERI, Professoris Giessensis, differt. de Pustero veteri Germanorum idolo sect. prior. §. 2. p. 7.

quos ne fama quidem acceperant. *) Vt mores eorum antiquissimo et tantum non primorum hominum ingenio valde propinquos atque similes nunc quidem silentio transeam, vnius Dei memoriam strenue asseruarunt, quem sua lingua *Theut*, q) semetipsos vero vt creaturas atque gentem ipsius die Teutschen / Teutones vel Tuiscos nominarunt. †) Item de mundi creatione vestigia haudquaquam obscura, istius videlicet primi hominis formationem ex

H terra,

*) Vid. IVL. CAESAR de bello Gallico lib. *6.*

q) Vnde LVCANVS de bello ciuili lib. 1. v. 444. *Teutatem* Germanorum Deum vocat.

Et quibus immitis, inquit, *placatur sanguine diro*
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus;
Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae.

Sic et gentes aliae Mercurium *Teutatem*, Aegyptii *Thoyth*, vel ΘΕΥΘ appellarunt. vid. LIVIVS lib. 26. c. 44. CICERO de natura Deorum lib. 3. c. 22. PLATO in Phaedro et Philebo. Idem procul dubio *Teutas*, Gallorum Deus, hostiis humanis cultus. vid. LACTANTIVS diuin. instit. l. 1. c. 21. de fals. rel. c. 6. *Hesi* nomine Martem Galli colebant, eumque cruore humano placare solebant. vid. LACT. l. c. et IVL. CAESAR de bello Gallico lib. 6. *Taranis* vero Gallorum Iupiter est, a *taran*, quod in Britannia Wallis, qui veteris Gallicae linguae reliquias et vestigia retinent, *tonitru* significat. vid. CLVVERIVS Germ. antiq. lib. 1. cap. 9. Confer. BORNMEISTERVS de erroribus Historicorum gentilium in rebus sacris recensendis pag. 18. 19. ZENTGRAVIVS de Gomero, Iapheti primogenito, Germanae gentis conditore, sect. 1. et 2. SEBAST. FRANCK Chron. Germ. fol. 1. vbi tamen falsam Berosi de Tuiscone filio Noachi sententiam sectari videtur.

†) Vide quos GOLDASTVS citat de regno Bohemiae l. 1. c. 3. (2) et CLVVERIVS Germ. antiq. l. 1. c. 9. Cum ergo *Theut* communis omnium et primus gentium vniuersarum Deus; *Teutones*, vulgo die Teutschen, vocantur populus Dei.

terra, nomen ipsius proprium Mann / quod idem est Hebraeorum *Adam*, carminibus suis *r*) vtut incomtis ac temporum iniuria varie intricatis, ad posteros propagarunt. *s*) Quibus adeo abunde patet, quoquomodo alii sentiant, Germanos non demum seculis posterioribus à prima populorum migratione, vel ex Graecia, vel Italia, vel aliunde descendisse. Optime hinc TACITVS*) *Ipse*, inquit, *eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos, nullis aliarum nationum connubiis infectos, proprium et sincerum et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur.*

§. VII.

Quos iam suo nomine Germanos vocamus, latiori quoq; sensu, et communi vocabulo, *Celtas* appellare solent. †) Quamuis

r) TACITVS de morib. Germ. c. 2. *Celebrant carminibus antiquis (quod vnum apud illos memoriae et annalium genus est) Tuistonem Deum, terra editum et filium Mannum originem gentis conditoresque. etc.* In quibusdam Taciti exemplaribus scriptum est *Tuston* pro *Tuiscon*, quam scripturam inter alios etiam laudat ALEXAND. AB ALEX. genial. dierum l. 6. c. 4. Paulo post cap. 3. TACITVS: *Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem Barditum vocant, accendunt animos futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur.* Idem fere LVCANVS prodidit Bell. ciuil. lib. 1.

Vos quoque, qui fortes animas belloque peremtas
Laudibus in longum vates demittitis aeuum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi,
Et vos barbaricos ritus, moremque sinistrum
Sacrorum Druidae positis repetistis ab armis.

s) Confer. praeter CLVVERIVM, LENTVLVM atque alios celeberr. HERT. differt. de veteris Germaniae populis part. 1. cap. 1. §. 2.

*) De morib. Germ. cap. 4.

†) Celtas MELCH. GOLDASTVS a *Cheld* vel *Held*; GOROP. BECANVS a *Kelt*

Quamuis enim Celtae *t*) tertiam praecipue Galliae partem constituebant, quam posteri Lugdunensem vocarunt; laxior tamen alibi eorum denominatio est. Quod STRABO *u*) pluribus testatur: *Haec diximus de Gallis, qui Narbonensem prouinciam incolunt, qui quondam Celtae appellabantur. Et arbitror ab his esse a Graecis nomen Celtarum vniuersis Galatis seu Gallis inditum, ob gentis claritatem etc.* Celtarum vero nomen etiam trans Rhenum in Germaniam fuisse translatum, SVIDAS diserte habet: Κελτοὶ, ὄνομα ἔθνους, οἱ λεγόμενοι Γερμανοὶ, οἱ ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ποταμόν εἰσιν. *Celtae gentis nomen, qui Germani dicuntur vtrinque Rhenum accolentes.* Et ne quid amplius verborum faciam, omnem causam isthanc ad CLVVERIVM remitto, qui, quod supra notauimus, multis probat, quicquid terrarum sub Illyrici, Germaniae, Galliae, Hispaniae, Britannicarum et Septentrionalium insularum, vel

a *Kelt*; *Kelt!* quasi *abgekehlt!* voce, vt opinatur, in proeliis Celtarum solemni; LAZIVS a *Wellen*, *gwellten*, ob fluctuantis multitudinis virtutem; PHIL. CLVVERIVS antiq. Germ. l. 1. c. 9. ab Aschenaze, qui *Celta* vocatus sit, appellatos volunt. Confer. BOECLERVS dissert. academ. tomo poster. pag. 338. vbi de lingua Celtica, vel Germanica. Idem notare possemus de Guallis, Gallis, Wallis, qui eiusdem originis gentisque Germanicae, Celticae, vel Scythicae propago. PAVLVS PEZRONIVS, non indoctus Abbas Gallus, huius seculi anno tertio Parisiis edidit *antiquitatem nationis et linguae Celticae, alias Gallicae dictae.* Sed nimio suae gentis amore, vt olim BODINVS histor. methodo, excaecatus, Celtarum nomine non nisi Gallos suos venire statuit.

t) Vid. IVL. CAESAR comment. de bello Gallico vbi ab exordio: *Gallia est omnis diuisa in partes treis, quarum vnam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur.* Confer. STRABONIS Geogr. lib. 4. ab init.

u) Geogr. lib. 4. Edit. Geneu. pag. 131.

peninsularum, nomine venit, Celtarum esse: eorum populis omnibus vna eademque communi lingua vtentibus, dialectis solummodo distincta. *x*).

§. VIII.

Atque etiam *Germani* sensu latissimo *Scythae* vocantur. Sarmatiae praesertim istos CELLARIVS *y*) adstringit. OROSIVS *z*) vero genti vagae et oberranti terminos ita fere ponit: *a monte Imao, h. e. ab imo Caucaso et dextra orientis parte, qua oceanus Sericus tenditur, vsque ad promontorium Boreum et flumen Boreum, et inde tenus Scythico mari, quod est a septentrione vsque ad mare Caspium, quod est ab occasu et vsque ad extentum Caucasi iugum, quod est a meridie, Hyrcanorum et Scytharum gentes sunt 42. propter terrarum infoecundam diffusionem late oberrantes.* In ipsam Germaniam istos extendi, quamplurimis probatur. Ita POMP. MELA *aa*) *Ille* sc. fluuius, *qui Scythiae populos a sequentibus dirimit, apertis in Germania fontibus, alio, quam definit, nomine exoritur.* LVCANVS *bb*) vt passim, in his etiam Germanos Scytharum nomine comprehendit:

Duc

x) Confer. CHRIST. CELLARII Notit. Orbis Antiq. lib. 2. cap. 2. pag. 164.

y) Not. Orbis antiq. lib. 2. cap. 6. pag. 503.

z) Hist. lib. 1. cap. 2. p. m. 15. confer. HERODOTVS HAL. hist. lib. 4. c. 99. PLINIVS Histor. natur. lib. 4. c. 12. POMPON. MELA de situ orbis ab exord. lib. 2. IVL. SOLINVS polyhist. cap. 25. WERNER ROLEWINK fasc. temp. fol. 6. apud PISTORIVM Germ. Scriptor. tom. 2. IOH. FRANC BVDDEVS, Theologus Ienensis celeberrimus, Hist. Eccles. V. T. period. 1. sect. 2. §. 9. pag. 218.

aa) De situ orbis lib. 2. p. m. 40.

bb) De bello ciuili lib. 1.

Duc age per Scythiae populos per inospita Syrtis
Littora, per calidas Libyes sitientis arenas.
Haec manus, vt victum post terga relinqueret orbem,
Oceani tumidas nemo compescuit vndas:
Fregit et Arctoo spumantem vertice Rhenum.

Clarioribus STRABO cc) τὰ πρὸς βοῤῥᾶν μέρη τὰ γνώριμα ἑνὶ ὀνόματι Σκύθας ἐκάλουν -- ὕστερον δὲ καὶ τῶν πρὸς ἑσπέραν γνωσθέντων, κελτοὶ καὶ Ἴβηρες, ἢ συμμίκτως κελτίβηρες καὶ κελτοσκύθαι προσηγορεύοντο. etc. *Notae versus Septentrionem gentes vno prius nomine omnes Scythae appellabantur -- postea vero cognitis regionibus occiduis, Celtae, Iberi, aut mixto nomine Celtiberi, ac Celto-Scythae dici coeperunt.* Atque clarissimis PLINIVS dd) *Scytharum nomen*, inquit, *vsquequaque transiisse in Sarmatas atque Germanos.* Taceo, quod ipsum Scytharum nomen origine Germanicum sit, dictum a Schiten nunc Schießen / quoniam isti cumprimis sagittarum arte praestabant. ee) Atqui vero Scythas ab Historicis pene omnibus pro antiquissima gente olim habitos fuisse, vulgo notum est. MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS, suo tempore celeberrimus eloquentiae et historiarum Professor Leidensis, opus diu meditatum habuit, quo gentium et lin-

 guarum

cc) Geogr. lib. 1. p. m. 22. confer. CORN. NEPOS Miltiad. c. 3.

dd) Hist. Natur. lib. 4. c. 12.

ee) Confer. HERT. dissert. de veteris Germaniae populis part. 1. c. 1. §. 1. Christian Juncker in der Anleitung zu der Geographie der mitlern Zeiten part. 2. cap. 1. p. 111. Lepidam nobis de origine Scytharum fabellam reliquit DIODORVS SICVLVS lib. 2. cap. 43. Natam apud eos ex terra virginem vmbilico tenus hominis forma, reliqua viperae. Eam genuisse puerum, cuius nomen fuerit Scytha. Hunc cum omnium, qui ante eum fuerant, clarissimus euasisset, indidisse populis Scytharum nomen.

guarum Europaearum origines Scythicas nobis demonstraturus erat. Sententiam eius praefatione in origines Gallicas GEORGIVS HORNIVS exponit. *Cum anno* Chr. 1646. inquit Hornius, ex Anglia redux, *ipsum Boxhornium officii et honoris ergo salutassem, tum forte ex grauissimo conualescentem morbo reperi: cumque virium debilitas consuetos in academia labores nondum ferret, neque tamen domi otiosus omnino desidere posset, vt longi temporis taedia falleret, origines vocabulorum Belgicorum examinare coepit. Vidit innumera vocabula Germanis, Latinis, Graecis et aliis per Europam nationibus, communia esse. Inde coniiciebat a communi fonte eam similitudinem profectam, i. e. eadem omnium illarum gentium origine. Displicuerunt Goropii et Schrickii conatus, neque satisfaciebant nouae Cl. Bochardi pro Phoenicibus machinationes. Quare alia via rem aggressus, communem quandam linguam, quam Scythicam vocabat, matrem Graecae, Latinae, Germanicae et Persicae statuit, ex qua illae, velut dialecti, proficiscantur. Non ergo vel Latinos a Graecis, vel hos a Germanis, quae communia inter se habent, hausisse, sed ab eadem, i. e. Scythica origine. Hi ipsius conatus cum in publicum emanassent, multis ipsa nouitate mirabiles videbantur. Quidam praecipiti iudicio labores eius in vniuersum damnabant, quod vel nulla lingua Scythica communis fuisset, vel saltem penitus obliterata nobisque incognita esset. Hi dicebant, eum nouam linguam, suo arbitratu, cudere. Alii fatebantur quidem eiusmodi olim linguam fuisse; ceterum negabant inde* Graecos, *vel Latinos sua vocabula accepisse: nam de Germanis vtcunque id fieri potuisse, fatebantur. Quae quidem praeiudicia non absterruerunt Cl. V. vt vel ab opinione semel concepta desisteret, vel coeptum opus abrumperet: quin magis inflammatus fuit,*

fuit, vt cunctas linguas earumque lexica cum cura et studio excuteret, vnde siluam infinitarum vocum congessit, ex quarum collatione suam de lingua Scythica opinionem sibi stabilire posse videbatur. Et animum in proposito ipsius obfirmauit, quod magnum illum Salmasium, nuper ingenti damno reip. literariae ereptum, in eadem fere sententia ex commentario de lingua Hellenistica deprehendisset. Lingua igitur Scythica apud antiquos notissima fuit, vt et ipsa gens Scytharum, quae septentrionales Asiae et Europae populos complectebatur. Antiquissima enim orbis diuisio in tres partes fuit, quarum media Graeciam, Italiam, Asiam complectebatur; septentrionalis Scythia, australis Aethiopia dicebatur, Strabone teste. Scytharum iis genera Arimaspi, Sarmatae, Hyperborei, Sacae et Massagetae, vt idem auctor libro XI. refert. Sub Hyperboreis Hispanos, Gallos, Germanos, Illyricos, Britannos complectebantur, quae nationes in vniuersum Celtae, vel Celto-Scythae. Iam vero omnes hos Celto-Scythas, i. e. Illyrios, Germanos, Gallos, Hispanos, Britannos, Suecos, Norwagos, vna lingua vsos, ex professo vir diligens Phil. Cluuerius ostendit, ac tum auctoritate veterum, tum populorum appellationibus, nominibus propriis et aliis, quae communia habebant, rerum vocabulis probauit. Alii vero, quos inter etiam Salmasius, Germanos a Getis et Dacis Ponticis ortos statuunt. Hi autem ipsissimi Scythae veterum et ipsorum lingua ea, quam Boxhornius Scythicam vocabat. Sed quid post mortem eius laboriosis illis commentariis acciderit, non constat.

CAPVT

CAPVT V.

De Matre Linguae Latinae Germanica.

§. I.

Priscos Germaniae populos suis limitibus non adeo contentos fuisse, quin proximas Italiae atque Graeciae regiones salutauerint. 2. *Barbarorum* (ita enim istos vocant) *coloniae in Graecia scriptorum auctoritate probantur: vbi sigillatim de Pelasgis.* 3. *Hinc ling. Graecae et Germ. conuenientia ostenditur.* 4. *Peiskeri et Bellini sententia de Ling. Germ. origine Graeca,* 5. *Refutatur.* 6. *Praeuio cordatiorum et Doctissimorum Virorum, de Scythica et Germanica lingua Graecae praeferenda, consensu,* 7. *Demonstratur linguae Latinae Germanica origo, et Praschii argumenta breuiori sistuntur synopsi.* 8. *Quibusdam vocabulis etymologia Germanica proponitur.* 9. *Aliis maiorem et maximam Latinae cum Germanica lingua conuenientiam demonstrantibus.* 10. *Etymologici veteres Latini vernaculae suae veram originem ignorantes, vocabula ex Latinis Latina falso deducunt.* 11. *Num vocabula Latina transierint ad Germanos, quae istorum sermoni apprime respondent.* 12. *Haec quoquo modo se habeant, conuenientia tamen ac Etymologia vocum, ad demonstrandam linguae originem, sola non sufficit.*

§. I.

Quaedam generaliora de origine, amplitudine, et antiquitate Germanorum cognouimus. Hinc ego nunc facili negotio efficerem, non tantum linguam Latinam immediate Germanis originem atque natalem debere; sed et ipsam linguam Graecam, ex qua Latinam plerique dedu-

cere

cere volunt, ex antiquissima ea siue Germanica, siue Celtica, siue Scythica (quoquo enim modo istam vocaueris, nihil impedit) si non primitus ortam, *a*) tamen aliquatenus mixtam atque commerciis, vel coloniis proximarum gentium, egregie interpolatam affectamque fuisse. *b*) Vel quis per somnium etiam persuaderet sibi, Germanos multiuagos atque Barbaros vtrique regioni, Graeciae ac Italiae, proximos finibus terminisque suis quasi cancellis circumdatos, et tam arcte conclusos degisse, vt nunquam eo recta descenderint. Quod ex illis, quae post haec facta sunt, pluribus demonstrari possit, si id nunc ageremus.

§. II.

Saltem *Hecataeus Milesius* apud STRABONEM *c*) de Peloponneso tradit, eam ante Graecos fuisse a Barbaris habitatam. Imo, vt ipse Strabo de suis addit, tota fere Graecia antiquitus Barbarorum sedes fuit: quod pluribus et luculentis exemplis probat. Speciatim *Pelasgos* vetustissimam et maxime Graecos Italosque inter claram gentem,

 testa-

a) Id enim, propter insignia quaedam S. Scripturae loca, dicere nobis religio est. confer. cap. 4. §. 1.

b) Ante aliquot annos Doctiss. Dom. REIMMANNVS, Ecclesiarum Hildesheimensium Superintendens dignissimus, suam de ortu linguae Graecae ex Germania sententiam, quam ipse paradoxon philologicum vocat, prodidit in tentamine introductionis ad Histor. Liter. Germanor. lib. 2. pag. 65. Vbi ex Auentini Analibus Boiorum lib. 1. locum adducit sibi apprime fauentem; Atque etiam p. 67. testatur, Clarissimum HOEPFFNERVM, Conrectorem Halberstadiensem, Lexicon meditari earum vocum, quae in Graeca et Germanica lingua idem significant, idemque fere sonant: non alio quidem fine, quam vt dialecti vtriusque cognationem commonstret.

c) Geogr. lib. 7. pag. Edit. Geneu. 222.

testatur *d*) vagos instar auium modo haec, modo alia adiisse loca: vnde *Pelargos* ab Atticis dictos, quae vox ciconiam significat. Et alibi: *e*) τὸ πελασγῶν ἦν φῦλον καὶ τῶν καυκώνων καὶ λελέγων εἴρηται δ' ὅτι πολλαχοῦ τῆς εὐρώπης ἐτύγχανε τοπαλαίον πλανώμενα etc. *Pelasgorum fuit gens et Cauconum et Lelegum, quas dictum est antiquitus varias Europae partes peruagari solitas.* Idem HERODOTVS quoque perhibet, *f*) cuius latine sufficiat nobis verba transcripsisse: *Praestabant inter Graecos ea tempestate Athenienses, in quorum regione permixti Pelasgi habitant, ex quo coeperunt pro Graecis haberi.* De lingua etiam ille *g*) qua Germanorum, vel similis Barbarae gentis, propaginem Pelasgos tandem in Graeciam descendisse constat, ingenue *Pelasgos*, scribit, *barbara lingua fuisse: et si tota*, porro coniicit, *gens Pelasgica talis erat, gentem Atticam vtpote Pelasgicam, quum in Hellenes i. e. Graecos transiit, linguam simul istorum perdidisse.* Ipsam quoque Philosophiam Graecos a Celtis habuisse, grauissimi auctores sunt ARISTOTELES in Magico et SOTION in decimo tertio successionis libro. Quod etiam DIOGENES LAERTIVS *h*) literis prodi-

d) l. c. lib. 5. pag. 153. confer. DION. HALICARN. antiq. Rom. lib. 1. c. 2. *e*) Geogr. lib. 12. pag. 394.

f) Histor. lib. 2. p. m. 108.

g) l. c. lib. 1. p. 21. confer. PLATO in Cratylo, vbi varia differentiae istius Exempla producit; e recentioribus PALMERIVS a GRENTEMESNIL Graeciae Antiq. lib. 1. c. 9. GVILELMVS BVRTONVS Histor. linguae Graecae pag. 13. MORHOFIVS de lingua et poësi Teuton. part. 1. c. 2. pag. 23. alii.

h) De vita et sentent. clar. philos. prooemio. confer. MORHOFIVS l. c. p. 21. vbi argumentatur, si philosophiam Graeci habuerint a Celtis, etiam habuisse linguam, saltem verba, scientiarum ve-

prodidit: τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἔνιοι φασὶν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι. - - παρά τε κελτοῖς καὶ γαλάταις τοῖς καλυμένοις δρυΐδας καὶ σεμνοθέους καθάφησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ μαγικῷ καὶ Σωτίων ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ τῆς διαδοχῆς. *Philosophiam a Barbaris initia sumsisse nonnulli autumant. - - Celtis seu Gallis Druidas et qui Semnothei appellabantur, eius rei fuisse auctores, ait Aristoteles in magico et Sotion in 13. successionis libro.* His optimorum ex ipsa Graecia laudis suae cupidissima Historicorum testimoniis quae clariora sint, ego certe quidem videre nequeo, ni fortassis luce meridiana lubens coecutire velim.

§. III.

Conuenientiam porro linguae Graecae cum Germanica Viri cordati longa serie probatum iuerunt. Iam tum aeuo suo IOHANN. CAMERARIUS DALBURGIUS, Wormatiensis Praesul, aliquot millena Graecorum vocabula Germanis idem significantia collegit. *i*) Eandem operam praestiterunt IOH. TRITHEMIUS, et qui clarus eodem tempore CONR. CELTES, ille poëtica laurea, a Friderico III. Imperatore donata, illustris. *) Etiam Dalburgii exemplum

excita-

rum vehicula et notionum tesseras, quas vocat FRANC. BACO VERULAMIUS nou. organ. scientiar. p. 30.

i) Teste AVENTINO Annal. Boior. lib. 1. p. 10. Confer. ECCARDI historia studii etymologici linguae Germanicae cap. 2. p. 22.

*) Quibus etiam CONR. HERESBACHIUS, atque in notis ad Taciti Germaniam ANDR. ALTHAMERUS et IODOCUS WILLICHIUS; itemque MICHAEL NEANDER in explicat. orbis terr. part. 1. pag. 279. seq. et WOLFG. LAZIUS de migrat. gent. l. 2. et multi alii applauserunt. Vid. etiam ECCARDUS l. c. VECHNERI Hellenolexia. MATTH. BERNEGGERUS quaest. 9. ad Taciti Germ. IOH CLERICUS praefatione ad Matth. Martinii lexici etymologici editionem Batauam.

excitauit SIGISMVND. GELENIVM Bohemum, vt anno MD XLIII. in Lexico Symphono, Basileae edito, Latinam, Germanicam, Graecam et Slauonicam linguas inter se conferret. Quem recentiores secuti causam isthanc magis magisque perscrutarunt, neque minimam vtriusque deprehenderunt linguae similitudinem. Cui placet, exempli gratia, vocabula quaedam Germanica in Graecis legere: adeat Doctiss. DN. PONATVM, k) qui farraginem istorum, licet non tanta, vti quidem potuisset ac alii fecerunt, haudquaquam tamen aspernenda, non ita pridem congessit copia: atque clarissimus vocum notatu dignissimarum conspectus cuilibet apparebit.

§. IV.

Contra vero nugas aliorum non satis admirari possum, quibus operose admodum linguam ex Graeca Germanicam deriuare conantur. Ita seculo superiori GEORG. CHRIST. PEISKERVS l) statuit vocabula Germanica non alius quam Graecae originis esse: Graecamque et Germanicam non secus inter se differre, quam linguam eruditam et vulgarem. Pari modo IOSEPHVS MARIA BELLINVS eodem tempo-

k) Cum orbe literato ille communicauit librum, cui titulus Anleitung zur Harmonie der Sprachen, atque illius cap. 5. a pag. 43. vocabula Graeca cum Germanicis conferre instituit. Legi quoque meretur MARCI ZVERII BOXHORNII dissertatio de Graeca, Romana et Germanica linguis, earumque symphonia.

l) Tractatu, quem inscripsit *Indicem de vernaculae et rerum Germanicarum significatione pro Graecae ac Germanicae linguae analogia.* Lipsiae 1685. in 12. conf. Acta Eruditorum Lips. 1686. mens. Aug. pag. 419. et IOH. GEORG. ECCARDI hist. stud. etymol. linguae Germ. c. 2. p. 21.

tempore literas e Bononia, Musarum sede antiquissima, dedit, quibus linguam Germanicam prorsus Graecam esse profitebatur; Graecam linguam vocalibus et syllabis circumcisam et consonantibus roboratam: ita, vt Germanica ad Graecam se habeat, quemadmodum Bononiensium lingua in Italia ad vulgarem Italicam. m) Et IOH. PETRVS ERICVS Isenacensis, ling. et geogr. prof. Patauinus, non modo in *renato e mysterio principio philologico, in quo vocum, signorum, punctorum, tum et literarum maxime ac numerorum origo, necnon nouum specimen etymologicum propalatur* *) verum etiam in *anthropoglottogonia siue humanae linguae geneseos partis primae tomo primo* **) audacter asserit, Latinam et antiquam Celticam linguam originem agnoscere a Graeca, quam et Hebraicae et aliarum orientalium parentem esse affirmat. †)

§. V.

Oportet istos vel in omnibus veterum monumentis hospites, vel satis impudicos fuisse, qui vt homines peregrini et noui, testibus aliis et antiquissimis, et domesticis, nullo argumento, praeterquam coniectura et vana quadam imaginatione sua, freti, apertius obloqui et in faciem quasi contradicere non verebantur. Vidimus dudum optimos historicos ex ipsa Graecia oriundos, qui, quod Patriae suae nimis indulgere solent, istius famae laudisque buccinatores audiunt, veritatem non simulare atque Graeciam barbaris, non Barbariam, vel Germaniam, ea videlicet

m) Vid. Acta Erudit. Lips. l. c. confer. Clariss. HECHTI Germania sacra et literata part. 1. lib. 2. cap. 11. et ECCARDVS l. c.

*) Patauii anno 1686. euulgato.

**) Quae prodiit Venetiis 1697.

†) Confer. huius differt. cap. 2. §. 10.

licet Barbariae ipsis nomine venit, *n.*) assignare Graecis. Quid? quod ipsi etiam Graeci scientiam et vocabula plurima Barbaris atque Scythis accepta ferre non erubescunt. Quasi vero id homines isti nesciuerint. Sed haec etiam ne videantur a me fingi, praeter illa paulo superius notata, grauissimorum in promtu sunt Scriptorum testimonia: quorum tamen, missis nunc aliis, rursum breuitatis gratia selectum instituo, ea solummodo in medium proferens, quae tractationi subsequenti nostrae faculam accendere queunt. Haec PLATO Socratis nomine in Cratylo habet: ἐννοῶ γὰρ, ὅτι πολλὰ οἱ ἕλλενες ὀνόματα ἄλλως τε, καὶ οἱ ὑπὸ τοῖς βαρβάροις οἰκοῦντες, παρὰ τῶν βαρβάρων εἰλήφασι. *Arbitror, quod Graeci multa vocabula a Barbaris acceperunt, maxime ab istis, qui habitarunt inter eos.* Apertis ille peripateticorum Philosophorum Princeps, ARISTOTELES, fatetur, a Semnotheis Celtarum philosophiam oriri, et Galliam esse Graeciae magistram: de quibus ex professo PIC-

CAR-

---

n) Principio quidem, vt STRABO Geogr. p. 14. auctor est, per onomatopoeiam *Barbari* vocati sunt, qui difficulter, aspere duriterque verba pronunciabant, vt adeo blaesos quoque et balbos latine dicamus *barbaros*. Elata vero Graecorum superbia fastuque, quo ceteris praecellere populis videri voluere iugiter; *Barbari dicebantur antiquitus omnes gentes, exceptis Graecis*, vt FESTVS habet. Eo respicit gentium Apostolus epist. ad Romanos cap. 1. vbi *Graecis*, inquit, *ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.* Sed elegans est M. Z. BOXHORNII ad Bernardum a Malinkrot, Georg. Philipp. Harsdorfferum, et Augustum Buchnerum epigramma:

Barbara cur aliis Germania dicitur? isto
Graecia cum Latio noscitur ore loqui.

Vid. eius poëmata p. m. 62.

CARDVS *o)* et MORHOFIVS *p)* legendi ſunt. Sed tamen CLEMENS ALEXANDRINVS *q)* iſta paulo clarius expoſuit: *παρεθέμην δὲ αὐτῶν ὀλίγα εἰς σύστασιν τῆς παραβαρβάροις εὑρετικῆς δὲ βιωφελοῦς φύσεως παρ' ὧν ἕλληνες τὰ ἐπιτηδεύματα ὠφέληνται.* *Ex his* (quos videlicet iam citauerat, auctoribus Graecis) *pauca adieci ad confirmandam inuentricem et vitae vtilem naturam, quae fuit apud Barbaros, a quibus in ſtudiis et rebus exercendis Graeci acceperunt magnam vtilitatem.* Poſt haec de lingua notabiliter pergit: *εἰ δὲ τις τὴν φωνὴν διαβάλλει τὴν βαρβάρων, ἐμοὶ δὲ, φησιν ὁ Ἀνάχαρσις, πάντες ἕλληνες Σκυθίζουσιν.* *Si quis autem vocem reprehendit barbaram: mihi autem, inquit Anacharſis, omnes Graeci Scythae ſunt.*

§. VI.

Memoratorum gregem ſectantur Viri cordatiores, quotquot fere de negotio iſthoc e recentioribus commentati fuere. Celeberr. Dominus Von der HARDT *r)* *Scythas*, Profitetur, *iam remotis illis ſeculis in Arabia dominatos patet. Qua via et illis aeuis Scythae Graecae ſuae linguae vſum, infinitis ad minimum vocibus illis et finitimis vel non ſentientibus communicarunt.* SALMASIVS *s)* *Homines primi, qui Graeciam populis repleuerunt et Graecae linguae auctores fuerunt, e ſeptentrionali plaga et Scythica aduenerunt.* Denique BOXHORNIVS aliquando etiam *Pouello* reſpondit: Germanorum linguam non Graecae aut Romanae deberi, ſed

o) In Celtopaedia.

p) Von der Teutſchen Sprach und Poëſie part. 1. c. 2. pag. 21. ſeq. confer. PONATI Anleitung zur Harmonie der Sprachen cap. 1. et 5.

q) Stromat. lib. 1.

r) Elegantiſſ. programm. ad Aben-Eſram pag. 70.

s) De lingua Helleniſtica pag. 378.

ri, sed ex eadem gente tanquam matre h. e. Scythica prodiisse has nationes et ab eadem eundem sermonem, sed dialecto fere tantum distantem desumsisse. *t*) GOROPIVS BECANVS *) de voce *reta* haud ab re, *prisci illi Latini*, inquit, *videntur et retas agnouisse; sed quid ea voce significaretur, non perinde intellexisse. Si quae post dicenda sunt, nunc aperta fecissem, facile persuaderem, hanc vnam esse de vetustissimae linguae Cimmeriae vocibus, qua Latinos multo antequam Italico sermone vsos fuisse, clarissime suo loco demonstrabo.* Confer. eiusdem Hermathena, qua ex professo et pluribus hanc materiam pertractare instituit, Graecae Germanicam praeferendo. Et GEORG. HENRICVS VRSINVS, Ratisbonensis professor, cum anno superioris seculi nonagesimo *onomasticon Germanico-Graecum* ederet, Graecarum et Germanicarum vocum harmoniam exhibuit, atque Graecas a Germanicis descendere breuibus asseruit, plura dissertationi *de origine Germanica Graecae linguae*, quam pollicetur, reseruaturus. Reliquos iam silentiae inuoluam sipario.

§. VII.

Quanto magis Latina Scythicam, vel antiquam Germanicam, matrem cognosceret suam. Certo enim certius veterum monumentis constat, non solum priscos et quos penetrare potuerunt, primos Italiae populos e Scythis prouenisse; verum etiam posthaec continuo Celtas atque Gallos, quos vocant, cum Italis bella gessisse et crebro hos inter partim commertia, colonias hospitiaque, partim necessaria, partim violenta, habuisse. Vnde maxima

t) Vid. Acta Erudit. Lipſ. 1686. menſ. Iul. pag. 327.

*) Orig. Antwerp. l. 1. p. 32. Conf. pag. 115. seqq. l. 4. p. 378.

xima vocabulorum conuenientia. Quando ſuperiori ſeculo PRASCHIVS, Vir Doctiſſimus et Ratisbonenſium conſul, materiam iſthanc paulo fuſius tractauit: *u)* nihil aliud inuenire potuit, quam quod Germanica lingua ſe haberet inſtar matris, Latinam inſtar filiae; imo quod Germania veras Latinae linguae radices poſſideat. Putat ille, non Tuſcos ſolum, a quibus Germanica vocabula in Latium tranſierint, ſed Gallos et Galatas quoque, Hiſpanos, Britannos, Celtas et Scythas Germanicam originem habere: et bella Celtarum cum Italis crebra, commercia, hoſpitia, et colonias Germanicas voces in Italiam detuliſſe. Vti vero conſtanter Latinam et Germanicam linguam eiuſdem originis

K

u) Diſſert. de origine Germanica Latinae linguae. Ratisponae 1686. in 4. confer. Acta Erudit. Lipſ. 1686. menſ. Iul. p. 325. ſeqq. Haec prima Praſchii diſſertatio eſt: quam ſecutum eſt eodem anno *organon Latinae linguae*, h. e. *noua eaque perſpicua didactica, qua pure Latina lingua (vna cum bonis moribus atque ſcientiis) iuſto ordine, ab initio ad ſummum vſque faſtigium doceri addiſcique queat, idque facile et citra temporis ſumtuumque iacturam, imo cum voluptate et per ludum quaſi, abſque adminiculo Veſtibuli, Ianuae, aliorumque omnium nouorum librorum, vna cum ſubſidiis eam in rem neceſſariis, vel triplici opuſculo.* Exhibetur in opere hoc onomaſticon Germanico-Latinum, quod vocum Latinarum pluſquam octingentarum, quae cum Germanicis euidenter conueniunt, catalogum continet. Hunc librum porro excepit anno 1689. *diſſertatio altera de origine Germanica Latinae linguae:* qua diſſertatio prior vna cum onomaſtico Germanico-Latino ſuppletur et explicatur; via denique aperitur nouo etymologico, cui gloſſarium Bauaricum accedit. De conſilio eius erigendae ſocietatis teutophilorum vid. ECCARDI hiſtoria ſtudii etymologici linguae Germanicae pag. 247. et FRANCISCI PAVLINI Zeitverkürtzende erbauliche Luſt tom. 2. cap. 16.

riginis esse statuat: ipsum commouit inter alia I. consonarum vocum multitudo maxima, quae casui adscribi nequeat. II. terminationes vocum Germanicarum, quae apparent in Latinis, vt pater *Vater*, mater *muter*, magister *meister*, macer *mager*, ager *acker* etc. III. comparationes. Nam in vtraque lingua comparatiui fiunt per R. et superlatiui per S. vt doctior *gelehrter*, honoratissimus *geehrtest*, vel *geehrtist*. IV. Coniugationes, quae in temporibus et modis, et notatione apud Latinos aeque ac Germanos mire conueniunt; vt et participia, vt legens *lesend*, legendus *zulesend*. V. Constructio, quae vtique fere eadem. †) Deinde subsequentia sex illi placuerunt postulata: quibus concessis, facile sperat se obtenturum, Latinis vix vllam remanere vocem propriam; quanquam nec illud abnuit, vnam eandemque nationem subinde nouas sibi fingere voces. (1.) Argumentatur laudatus Vir: Quaecunque vocabula Latina a probatis scriptoribus, a Latinis ipsis Barbara habentur, siue ortu peregrina, Celtisque aut Germanis tribuuntur, merito pro talibus accipi, nec a lingua Graeca repeti debere. (2.) Quae res in Germanis atque Celtis natae vel inuentae sunt, vel quae semper ibi fuere ac necessario nomen habuere, earum vocabula merito Germanica haberi. (3.) Quae vocabula radices suas simplices in lingua Teutonica aliquid significantes, usitatas et noua parientes deriuata, composita, decomposita non spernendo numero ostendere possunt, ea suo merito credi Germanica. (4.) Quae vocabula cunctis populis aut dialectis Germanicis aut multis certe cognita dudum, ea similiter Germani-

†) Conferatur IOH. VORSTII Liber de Latinitate falso suspecta, deque Latinae linguae cum Germanica conuenientia.

manica putari. (5.) Quae vocabula, in terris remotioribus, in receſſu ſeptentrionis, quo Romani aut Germani Romanenſes nunquam penetrarunt, aut infrequentius certe commearunt, pridem cognita, vſitata, vel exoleta, Germanica itidem fateri. (6.) Quae vocabula non tam ciuibus primariis, quam vulgo ſordido ruſticisque in ore ſunt, ea vtut Latina videantur, exiſtimanda Germanica eſſe. Haec et ſimilia, licet in aliquibus nimiam ſibi licentiam tribuat modoque rigidiori linguas tractet, paſſim exemplis tamen minime aſpernandis ſufficienter illuſtrat: quae nunc quidem ego, ne acta viderer agere, lubens praetermitto. Sic tandem concludit, Germanorum linguam non Graecae aut Romanae deberi, ſed ex eadem gente, tanquam matre, h. e. Scythica prodiiſſe has nationes, et earum etiam linguas dialecto tantum a Germanica diſtare.

§. VIII.

Quantum ad Etymologiam Latinae linguae Germanicam attinet, copiae tantum gratia, vocabulorum quorundam etiamnum in vtraque lingua maxime vulgarium conuenientiam ordine Alphabetico et id breuiter commonſtrare animus eſt. *Ab*, praepoſitio Latina idem veteribus atque etiamnum hodiernis Alemannis ſignificat: ita **ab-thun / abſchlagen / abtragen /** innumera alia. *Acerbus*, **Herbe.** *Adamas*, **Demant.** *Aes*, *Aeſis*, *Aiſis*, **Eißen.** Ita more Graecorum Latinis olim ſcriptitatum fuiſſe AIDIS pro AEDES tabula Scipioni Barbato poſita teſtatur et alibi veterum monumentis demonſtratum iuimus. Ceterum in his atque ſequentibus valent mutationis cauſae, ipſi VARRONI, x) notatae. *Litterarum fit demtione aut additione;* *et pro-*

x) de Latina lingua lib. 4. cap. 1.

et propter earum attractionem, aut commutationem, item syllabarum productionem. *Aeuum*, αἰὼν, veter. Britann. Ae / hodie Eewe / Ewig. *Ager*, Acker. *Agmen*, Menge. *Ajo*, Sage. *Alter*, Ander. *Altercari*, Terren / tarren / targen / zargen. *Ambactus*, Amt. FESTVS vel epitomator eius PAVLVS DIACONVS *Ambactus*, inquit, *apud Ennium lingua Gallica* NB. *actus dicitur*. et veteri lingua belgica *ambacht* significat iurisdictionem. *y*) *Anas*, Ante / Ente / Veter. Teuton. Aneta / apud Haiminsfeldium, hodie Belgis *Ande*, Gallis *Anette*. *Anchora*, Ancker. *Angelus*, Engel. *Angor*, Angst. *Anguis*, Schlang. *Angustus*, Eng. *Anser*, Ganß. *Aper*, Eber. *Applodere*, apploten / abblasen. Hinc fuere, qui apud FESTVM Appludam sorbitionis liquidissimum putant genus, quod flatu deiiciatur et quasi applodatur. *Aqua*, Ack vel Ach / recentioribus Wasser. z) *Arca*, Arch / Arck / Kaste. *Area*, Aern. *Arista*, Ar / Aer. *Armus*, Arm / hinc Armillae Armbände / et Arma die Waffen / quae milites brachio manibusque huc illuc portare ac dirigere debebant. *Ascia*, Axt. *Asinus*, *Asellus*, Esel / Suec. Asna. *Aster*, Stern. *Auena*, Haber / Haver. *Auersus* Belg. Afstich / veter. Teuton. Abach / Abuf apud Otfridum videtur fuisse recuruatus, curuus, abhorrens a recto. *a*) *Auris*, Oris, Ohr. Nam, quod notandum AV et O promiscue Latinis pronunciabatur: vnde *Aula* pro *olla*, *Auricalchum* pro *Oricalchum*. FESTVS *Aut* veter. Teuton. Auo apud Willeramum *b*) *Axis*, *Axilla*, Axe / Achsel / Uchs. *Bacrio*, *Bacar*, Becher / Bacher. *Bacrio*

y) Vid. thesaurus erud. schol. in verbo *ago*, *ambactus*.

z) Vid. ZEILLERS Epistolische Schatzkammer epist, 344. pag. 390.

a) Vid. Archaeologus Teuto apud LEIBNITIVM.

b) Vid. Archaeologus Teuto in collectaneis etymologicis illustris LEIBNITII.

crio FESTO, vel istius epitomatori, PAVLO DIACONO, dicitur genus vasis longioris manubrii, quod alii trullam appellant, *Bacar* vero vas vinarium simile Bacrioni. *Balare*, Blecken. c) *Basgauda* Brit. *Basgaud* et *Basged*, sporta, cophinus, corbis, canistrum. Vnde MARTIALIS: d)

Barbara de pictis venio Basgauda Britannis,
Sed me iam mauult dicere Roma suam.

Basium a Germ. Baßen / adaequate coniungi ein Kuß; Vnde *Bas* Britann. depressus et *Bastard* ex *Bas* et *art*, quasi genus depressum dicitur filius extra matrimonium et illegitime natus. *Barba*, Bart. *Bardus* Hart. Vnde FESTVS: *Bardus stultus a tarditate ingenii appellatur.* e) *Benna* lingua Gallica genus vehiculi appellatur. Idem Gespann. *Blaterare*, Plauteren. *Bos*, βοῦς, Ochs/ Oß. *Bracha*, *Braca* seu *Braccae*, Bruch. Vnde *Brachium*. *Bucca*, Backe. *Butyrum*, Butter. *Caballus*, Gaul. *Calamus*, Halm. *Calasis* apud FESTVM tunicae genus est ein Köller. *Caliptra* genus vestimenti, quo capita operiebant. FESTVS. eine Kappe. *Calpar* genus vasis vel dolii, apud FESTVM, eine Gölpe. *Calx*, Kalck. *Camelus*, Kamel. *Camera*, Kammer. *Cantharus*, Kanne. *Caseus*, Käse. *Cauea*, *Scapha*, Kaff/ verb. Gothicum, quod profundum significat. *Caluus*, Kahl. *Capulum*, ein Kaste. f) *Caput*, Kopff/ Kop. *Caulis*, *Colis*, Kohl. *Caulis* et *Colis* scripsi, nec iniuria, antiquitus enim AV et O lectitatum fuisse iam iam notauimus: vt *aula* pro *olla*. Caulis vero rei rusticae scriptoribus significat plantam horti: Germ. Kohl. g) Ita enim *Caulae* apud FESTVM

K 3 a *Cauo*

c) FESTVS in voce Barrine. d) Lib. 14. epigr. 99.
e) Confer. NONIVS MARCELLVS cap. 1. n. 32.
f) NONIVS cap. 1. n. 13. g) Vid. VARRO de LL. lib. 4. c. 21. ISIODORVS Orig. lib. 17. cap. 10.

a *Cauo* Germ. Hohl / Hôle dictae: quod oues antiquitus clauderentur in antris. *Celare*, Helen. *Celer*, Schnel / Geling. *Cella*, Keller. *Ceruus*, Hersch. Hirsch. *Claua*, Kaule. *Clepere*, Schleppen. Graec. κλέπτειν apud NONIVM *h*) *furari*. *Cliens*, Klein. *Collum*, Kehl. *Corbis*, Korb. *Cornu*, Horn. *Corona*, Kron. *Corpus*, Körper. *Currus*, Karn. *Cutis*, Hut / Haut. *Daliuus*, Angl. Delff / tolpel / toll. *Daliuum* Aurelius apud Festum ait esse supinum, Aelias stultum. Oscorum quoque lingua significat insanum. Cambro - Britannis aliisque Germ. populis Delff / tölpel / toll / homo barbarus dicitur. *Damnare*, verdammen. *Decem*, zehen. *Depuuere*, quod priscis et Lucilio apud FESTVM est caedere, Puffen. *Deus*, Theuth / tod / GOtt. *Deus*, vt supra aliquoties monui, veter. Germ. dicebatur Theuth / ac variante dialecto diet / dit / thoth; vnde forsitan hodie seruamus nostrum mortis vocabulum tod: quod veteres Germani haberent mortem pro Deo, omne genus humanum deuorante. *i*) *Dies* Brit. *Dydd*, cui nostrum respondet Tit / Zeit. *k*) *Discus*, Tisch. *Draco*, Drache. *Dumecta*, Hecke. *Duo*, Two / Zwo / Zwey. *Edere*, Esse, Eten / Essen. *Ego*, Ich. *Equus*, lingua Runica veteri Eick / *Errare*, Irren. *Eruum*, Erfften / Erbsen. *Est*, Ist. *Facula*, Fackel. *Falco*, Falcke. *Falla* veteribus Latinis *deceptio*. Germ. Fehl / Fall. *Falsus*, Falsch. *Febris*, Fieber. *Fenestra* antiq. Festra, Fenster / a Germ. Finster. *Fellis*, Vellus, Pellis, Fell. *Flagellum*, Flegel. *Flamma*, Flam-

h) cap. 1. n. 72. *i*) Confer. CLVVERIVS Germ. Antiq. lib. 1. cap. 9. §. 9. et 10. Geogr. lib. 3. c. 6. §. 1. LENTVLVS Germ. part. 1. c. 1. pag. 5. HERT. differt. de veteris Germ. populis part. 1. cap. 1. §. 2. ZEILERS Epistolische Schatzkammer epist. 346. pag. 393. *k*) Vid. LEIBNITIVS in collect. Etymol. part. 2. pag. 117.

Flamme. *Flectere*, Flechten. *Fluuius*, Fluß. *Frenare*, Frönen / Anhalten. *Frigere*, Frieren. *Frigus*, Frigos, Frost. *Friuolum*, Frevel. *Fructus*, Frucht. *Garrire*, inepte strepere, Girren. *Genu*, Graec. γόνυ, Knie. Gladius, Gleave / Gleve *l*) *Globus*, Suec. Kloot. Gubellum quasi globellum, Gübbel. *m*) *Gramen*, Graß. Gula veter. Teut. Gela / hodie Keel. *n*) *Gruma*, *mensura quaedam*, *qua flexae viae ad lineam diriguntur*, *vt est agri mensorum* *o*) a Germ. Grumm / grümmen. *Grunire*, Grunzen / Dan. Grynte. *Gurdus*, Schurck / homo stolidus. *p*) *Gustare*, Costare, Kosten. *Gyrus*, Wire / Wirbel. *Habere*, Haben. *Hamus*, Hame / a Germ. Hemmen. *Heres*, Erbe. *Herus*, Häre / Herr. *q*) *Hesternus*, Gestern. *Hetta*, *res minimi pretii*, apud FESTVM, vnde *non hette te facio* i. e. flocci habeo, Germanicae originis est a Kletten / Kleben / das geringste / so an einem hangen bleibet. *Histrio*, Hitscher / i. e. corporis agitator. *Hoedus*, Höcken. *Honos*, Hohn. *Honos* in bono et sequiori sensu Latinis sumitur; vnde *honos malus* idem est, quod iniuria. *r*) *Hora*, Uhr. *Hortus*, Graec. χόρτος, Garte. *Hostis*, Gast. *Prisci hostem* dicebant *peregrinum*, qui suis legibus vteretur: nunc dicunt eum, quem tum dicebant perdue-

l) Vid. excerpta Meieriana, apud LEIBNITIVM in collect. etymol. pag. 252. *m*) Isidorus Orig. lib. 19. cap. 29.

n) Videatur Archaeologus Teuto apud LEIBNITIVM.

o) NONIVS cap. 1. n. 316. *p*) QVINTILIANVS instit. Orator. lib. 1. c. 5. *Gurdos*, *quos pro stolidis accipit vulgus*, *ex Hispania duxisse originem audiui.*

q) Heres idem fere quod Herus; ille quandoquidem pro domino et Festo teste ponebatur: quod magis nostram coniecturam comprobare videtur.

r) Vid. A. GELLIVS N. A. lib. 12. c. 9.

perduelem. s) *Imbuere*, Bürn. *Incendere*, Anzünden. *Insula*. Insel. *Ira*, *Iritare*, Irre/ Irren oder irr machen. *Iterum*, wiederum. *Jugum*, Joch. *Juuenis*, Jung. *Junior*, Jünger. *Juramentum*, Schwur. *Labium* Suec. Läpp. *Lacit*, apud FESTVM, *decipiendo inducit*; a Germ. Lügen. *Lacryma*, Lacrima, Goth. Tagr. *Cambro Britann.* Daigr. Dacrima pro Lacryma dicebatur olim. FESTVS. Graec. θρῆνος, Thränen vocabulum Germanicum est. *Lancea*, Lantze. t) *Lectus*, Läger. *Lectus* dicitur FESTO POMPEIO, vel a collectis foliis ad cubitandum, vel quod fatigatos ad se alliciat, vel a Graeco λέκτρον. Cuinam vero non arridet Germanica radix Legen/ vnde Läger/ et terminatione variata, *Lectus*. Nam, quod notandum est, G litera diu carebant Latini eiusque loco C tertio Alphabeti eiusdem valoris elemento vtebantur. v) *Linum*, Leinen/ Belg. Lynen. *Locus*, Lock/ Loch. *Longus*, Lang. *Lux*, Licht. *Lyra*, Lier/ Leyer. *Macer*, Mager. *Magister*, Meister. *Magistratus*, Macht/ Mögen/ Angl. Sax. Mighty. *Maia*, Graec. μαῖα, obstetrix, Germ. Magd/ Cimbr. Moye / Goth. Maye/ Angl. Maid. *Mancus*, Mangel. *Mantellum* genus pallii. Germ. Mantel. x) *Mare*, Meer. *Mater*, Moter/ Mutter. *Matta*, Mataxa, Matze/ Matte. *Mata*, Latinis storea, vel teges alias vocatur et Germanicae originis est nomen etiam hodie apud nos vsitatum Matze / Bintz-Decke. y) *Mattya* vel Mactea, Matte. *Mattya* apud MARTIALEM,

s) VARRO de L. L. lib. 4. c. 1. et FESTVS in hac voce. Confer. Leg. XII. Tab. *Aduersus Hostem aeterna auctoritas esto.*

t) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 15. c. 30.

v) Confer. tabula rostrata Duilii victricibus armis Romae dicata.

x) PLAVTVS Captiv. A. 3. S. 3. v. 5. 6. y) Vid. ISIDORVS Orig. lib. 19.

TIALEM, z) et Mactea apud SVETONIVM, a) *genus cibi delicatum* eſt: Germanis Matte / Käß-Matte. Quod cibi genus priſcis Germ. populis, vti nouimus, valde gratum acceptumque fuit. Quamobrem prouerbio etiamnum dicere ſolemus: *Caſeus et panis ſunt optima fercula ſanis. Medium*, Mitten. *Meno*, Memini, Meenen / Meinen. *Meno* verbum obſoletum eſt, cuius praeteritum *Memini* praeſentis loco nunc valet ac noſtro Meinen / Menen oder Gedaucken apprime reſpondet. *Menſa* Goth. Meß / Anglo Sax. Meſa / a Germ. Meßen. *Mercatus*, Marckt. *Metallum*, Metall. *Meus*, Mein. *Miriones*, Mären. *Miriones* priſcis Latinis inuenuſtae ac deformes dicebantur perſonae. b) Pari modo Germanis eine Märe: quod vocabulum proprie *Equam* ſignificat: vnde Marſtall / Marſchalle etc. per translationem vero ſignificat foeminam quamque peſſimam, eine loſe und garſtige Märe. Ceterum lingua veteri Runica Maër ſiue Moër etiam vocatur *Virgo* c) Nec abſimile hoc vocabulum Germanicum eſt a Latinorum *Meretrix* a *mereri*, quod illa corpore ſuo quaeſtum facit, alias etiam a veteri Germanorum heuren / quod eſt *conducere*, eine Hure vocata. *Miſcere*, Miſchen. *Mola*, Mühle. *Murricidus* PLAVTO d) atque FESTO e) *ignauus*, *ſtultus et iners*, Murriſch. *Murus*, Mure / Mauer. *Mus*, Muß / Mauß. *Muſtum*, Muſt / Moſt. *Naſſa* PLAVTO f) atque FESTO g) *piſcatorii vaſis genus*, quo

L

lib. 19. c. 29. OVIDIVS Faſt. 6.
In plauſtro ſcorpea matta fuit.

z) Lib. 13. ep. 92. a) Caligul. cap. 38.

b) Videatur VARRO de L.L. lib. 6. cap. 3. apud GOTHOFREDVM columna 54. c) WORM. Lex. Runic. d) Epidic. A. 3. S. 1. v. 12. e) In hac voce. f) Milit. Glorioſ. A. 2. S. 6. v. 98. g) In h. v.

quo cum intrauit piscis, exire non potest. Germ. Netz. *Nasus*, Nase. *Natrix*, Natter. *Naucus* Graec. ναὶ καὶ οὐχὶ, Germ. Naut und nichtig. *Nebula*, Nebel / νεφέλη; hinc nubes, Nebbia / Nebesi / Bohemis, Croatis et Seruiis coelum. *Nictare*, quod est apud FESTVM, *et oculorum, et aliorum membrorum nictu aliquid conari*; a Germ. Nicken; Er nickt dem Kopff. *Nomen*, Nahme. *Nouus*, Neu. *Nox*, Nacht. *Nunc*, Nun. *Nurus*, Schnur. *Nux*, Nuß. *Occare*, Egen. *Occulare* a voce Germ. infer. vsitata Kül / ein Loch / darin man etwas vergräbet; hinc obscoenum Gallorum vocabulum *cul, cú*. *Octo*, acht / Ocht. *Oculus*, Og / Auge. *Offerre*, Opffern. *Oleum*, Oehl. *Ordinare*, Ordnen. *Origo*, Ur / Ursprung / Uralt / Ursach. *Palatium*, Pallast. *Palus*, Pfal. *Parare*, Bereiten. *Pater*, Vater / Vatter. *Pauo*, Pfau. *Pellis*, Fell. *Pes*, Graec. πὸς Fuß. *Pirus*, Birn / Belg. Pir. *Piscis*, Fisch. *Pix*, Pech. *Plaga*, Plage. *Plaga* Flagge / plagge / platz / Fläche. *Plancae*, Plancken. FESTVS: *Plancae, tabulae planae, ob quam causam Planci appellantur, qui supra modum pedibus plani sunt.* *Plantare*, Planten / Pflantzen. *Poena*, Pein. *Pondo*, Pfund. *Populus*, *Popellus*, Pöbel. *Porcus*, Borg. *Porta*, Port. *Procellae*, Wellen. *Pubes*, Bube. Apud FESTVM: *Pubes, qui pubem generare potest; Is incipit esse a quatuordecim annis: femina a duodecim viri potens siue patiens, vt quidam putant.* Nugae sunt. *Puer*, antiq. Por, Bur / Baur. Graec. πὸρ. Vnde Mancipor, Lucipor etc. a Germ. Bur / Bauer: hodie ein Knab oder Knecht. Sic dicitur illis etiam Schildpor / Schildknap / Cypripor etc. h) *Puteus*, Put. *Quassare*, Quetschen. *Quaxare*, dicuntur ranae cum vocem

h) Confer. FESTVS in voce *Quintipor.*

cem emittunt, Germ. Quäcken. Quaercus FESTO die Eiche *quod id genus arboris graue sit ac durum, tum etiam in ingentem euadat amplitudinem,* a German. Schwer / aliis Querquer quod apud FESTVM l. c. legimus. Vnde querquera, ein schweres Fieber *i*) *Rabies*, Rasen. *Rapa*, Rübe / Belg. Rape. *Rapere*, Rauben / raffen / Dan. Rape. *Rastrum*, Karst / Harcke. *Ratus*, Rath. *Rauus color*, Grau. *Raua*, vox rauca et parum liquida proxime canum latratum sonans, vnde etiam Causidicus pugnaciter loquens rabula dicitur, apud FESTVM a Germ. Rau. Inde porro Rodus vel Raudus, apud eundem, Res rudis et imperfecta. Aliis Rabulae litigiosi dicuntur a Rabie Rasen. *k*) *Rectus*, Recht. *Regula*, Regel. *Reicula ouis*, ein reidig Schaf. *Rheda*, ῥέδη a Germ. Rädern / ein Kutschwage. *l*) *Rica*, Rock. FESTVS, eiusque epitomator, PAVLVS DIACONVS: *Rica est vestimentum quadratum fimbriatum purpureum quo Flaminicae pro palliolo vtebantur. m*) *Rogus*, Roost / Rost / a German. Rösten. *Rosa*, Roose. *Rota*, Rad. *Rotundus*, Rund. *Ruma*, Rum / Raum. *Rumam* veteres mammam dixerunt. *n*) Et *Rumen* locum in ventre, quo cibus sumitur et vnde redditur. Hinc etiam *Ruminare. o*) FESTO *Rumen* pars colli est, qua esca deuoratur. *p*) Vtrique vocabulo Germanicum Raum valde quadrat: significat enim locum, vbi aliquid colligitur. *Rumor*, Ruhm. *Rumpus*, Rumpf.

L 2 *Rumpus*

i) ibid. *k*) Vid. NONIVS cap. 1. n. 106. et 198.

l) Ita expressis QVINTILIANVS Instit. Orat. lib. 1. cap. 1. *Plurima*, inquit, *Gallica valuerunt, vt Rheda ac petoritum: quorum altero Cicero tamen, altero Horatius vtitur.*

m) Confer. Leg. XII. tabul. *Tribus Riciniis et X. Tibiciniis feris ecferre ius esto.* *n*) Vid. NONIVS MARCELLVS cap. 2. n. 756.

o) Idem cap. 1. n. 64. *p*) Apud GOTHOFREDVM col. 415.

Rumpus ein abgerissener Zweig/ a Germ. Rumpff/ quod vocabulum corpus truncatum significat. *Rutabulum*, *quo Rustici*, FESTO dicente, *in proruendo igne, panis coquendi gratia vtuntur.* Ein Rütel/ Rödel/ Röde. Ceterum ad nos obscoena nihil attinent, quae ex Naeuii naeuo auctor habet. *Rutilum*, Rufum, Roth. *Saccharum*, Zucker/ Arab. Zuchara. *Saccus*, Sack. *q*) *Sal*, Saltz. *Satur*, Satt. *Scabere*, Schaben. *Scaeuus*, Scheff. *Sceptrum*, Zepter. *Schola*, Schule/ Graec. χολὴ, a verbo χολάζειν, vel Hebr. שלה quorum vna significatio est, quiescere et ab aliis negotiis vacare. *Scorteum pelliceum*, *in quo Sagittae reconduntur*, Gort/ Gurt/ vnde Gürten. *Scribere*, Schryven/ Schreiben. *r*) *Scutum*, Schild/ Skutt/ Schütz. *Secare*, Sägen. *Sedere*, Sitzen. *Semen*, Samen. *Sensus*, Sinn. *Silices*, Sichel. *Solidum*, Solt. *Specere*, Spi/ Sehen. *Specere* verbum obsoletum *videre* deriuatur a Scythico vocab. Spi i. e. Sehen. Vnde *Arimaspi* die mit einem Auge sehen. Hinc etiam vocabula nobis sat vulgaria Spiren/ Ausspähen/ et Latina *Speculum*, *Species*, *Spicilegia* etc. *Vestispici*, vestium custodes serui, quod frequenti diligentia vestes inspiciant. *s*) *Spectile*, Speck. *Spectile* al. Spetile obsolet: *vocatur infra vmbilicum suis quod est carnis, proprii cuiusdam habitus, exos,*

---

q) Miram conuenientiae istius rationem reddit IOH. MARTIN. ZEILLER in der Epistolischen Schatzkammer Epist. 69. p. 74. das Wort Sack, ita ipsius verba sonant: ist fast in allen, auch in der Hebräischen Sprache geblieben: Weilen in der Vermischung der Sprachen ein jeder seinem Sack zugeloffen: Welches man sonst von keinem Wort sagen kan. Sed risum teneatis amici. *r*) Quamuis id vocabulum artis in nostram linguam transiisse CLVVERIVS velit Germ. Antiq. lib. I. c. 8. §. 7.

s) NONIVS MARCELLVS cap. I, n. 41. *Extispices* ibid, n. 53.

exos, *qua etiam antiqui per se vtebantur. Plautus enumerandis vilibus obsoniis in Carbonaria meminit. etc.* FESTVS. *Spuere*, Speien. *Sputum*, Spott. *Stabulum*, Stall. *Stare*, Stehen. *Stega*, Steg. *Stega* apud PLAVTVM significat navis tabulatum, in quo nautae ambulant. *Stemma*, Stamm. *Stercus*, Dreck. *Stilus*, Stiel. *Stipula*, Stoppel. *Stolitus*, Stolt/Stoltz/Närrisch. *Storia*, Stratus, Streu. *t*) *Strenuus*, Streng. *Stritare*, Belg. Strieden. *Stritare*, veteres Latini istos dicebant, qui aequali passu ire non possunt, sed vel summo pede vel talo terram stringebant. Cui simile verbum adhuc Belgis residuum est, Strieden. *Strundus*, Strund. *Sugere*, Sugen/Saugen. *Sus*, Su/ Sau. *Suus*, Sein. *Tabula*, Tauble/ Taffel. *Tegere*, Decken. *Tenus laqueus* apud NONIVM *v*) Strang. *Terere*, Tretten. *Terra*, Erde. *Templum*, Tempel. *Throcum*, Trog/ a verb. Tragen. *Throcum* Graec. τρόχος scamni genus erat, quod deportare solebant. *x*) *Tippula* punctum apud NONIVM *y*) Germ. Tippel. *Titulus*, Tittel. *Tonitru*, Donner. *Topper*, Tapper/ hurtig/ geschwind. *Topper* antiq. significabat Latinis cito, celeriter *z*) Atqui etiam idem vox hodie in rustica Germanorum lingua valet. Der hats tapper gemacht; das ist ein tapperer Jung 2c. *Torrere*, Dürren. *Torridus*, Suec. Toor. *Tortum*, Tort. *Torto* pro tormento Pacuuius vtitur. *a*) *Nam te in tenebris saepe lacerabo fame, Clausum et fatigans artus torto distraham.* Germ. dicimus Einem Tort thun. *Tres*, Drey. *Tricones* morosi et ad reddendum duri apud NONIVM *b*) Germ. Drücker/ Drocker/ homo tardus

L 3 et

t) Vid. ISIDORVS Orig. lib. 20. cap. 11. *v*) Cap. 2. n. 17.
x) ISIDORVS Orig. lib. 19. cap. 2. *y*) Cap. 2. n. 857.
z) FESTVS in hac voce. *a*) Apud NONIVM MARCELLVM cap. 2. n. 849. *b*) Cap. 1. n. 85.

et auarus. *Trua* seu Trulla, Truhe. *Tu*, Du. *Turris*, Turn. *Vadere*, Waden/Baden. Nam olim, quod notandum est, etiam Latini V efferebant, vt Germani duplex VV. Sic pronunciabant *VVinum*, *VVacillare* etc. vnde nostrum Win v. Wein/ Wackelen etc. *Vae*, Weh. *Vallum*, Wall. *Vannus*, die Wanne. *Vates* a Germ. Faten/ Germanis superioribus Faßen. Vates enim sibi augurium etid, quod futurum erat, capere videbantur. Celtas vero atque Germanos *Druidas*. Sapientes, *Bardos* poëmatum cantores et *Vates* c) euentuum ex auspiciis praedicatores habuisse, vulgo notum est. *Veiae*, vt FESTVS inquit, *plaustrum vocabatur*, Germ. ein Wage. *Velle*, Wollen. *Vellus*, Fell. *Ventus*, Wind. *Venus*, Win/ Wine/ Weib. *Venus* quam CICERO aliique a veniendo conantur deriuare, quod ad omnes veniat; d) reapse descendit tamen a veter. Germ. Win/ Wine. i.e. dilecta. Hinc *Anglo-Sax.* lingua Win/ uxor: et *Gothica* Wino/ Wen Amicus vocatur. Posset hinc etiam deduci notum omnibus vocabulum Weinen/ quod sexus foeminini proprium est. *Vermis*, Wurm. *Verres*, Ber/ Bern/ Barch/ Eber. *Versus*, Dwer/ quer. *Vertere*, Wirren/ Weren vnde Werelt/ Welt. *Verum*, Wahr. *Vespa*, Wespe. *Vidua*, Witwe. *Vinulus* Lat. lieblich a Germ. Win. e) *Vinum*, Wein/ Win. f) *Vir*, Wirth/ Mann. *Vir* idem

c) Strabo Geograph. lib. 4. οὐάτεις nominat. d) ISIDORVS Orig. lib. 8. cap. 11. exinde vult nominatam fuisse, quod sine vi foemina esse virgo non desinat. e) Vide quae supra de *Venere* notauimus. f) Haud quidem ignoro praeter alios I. LIPSIVM Centur. 3. ad Belgas epist. 44. scribere: *Quis abnuit* NB. *Vinum, oleum, ficus a Romanis ducta, cum nec rem ante haberemus?* Quasi vero Germani ea vocabula resque ipsas ex oriente, vbi istis homines abundabant, non transportauerint, ad ipsos Romanos postmodum propagatas.

idem esse apparet, quod Germanicum Wirth/ Wert i. e. Mann/ lingua *Runica* Fierhar; Anglo Sax. Ver; Goth. Wair; Belg. Waer: cui obsoletum Bar vicinum est; vnde Baron/ Vir nobilitate clarus et insignis. *Vlula*, Ule/Eule. *Vncus*, Ancker. *Vnum*, Graec. ἓν Germ. En/ Ein/ Eins. *Vola*, fühlen. *Vulgus*, Volgos, Volck. etc. etc.

§. IX.

Haec, a nobis tantum conniuenti oculo et obiter perlustrata, inter meditationes atque calamum, ad trecenta vel maiorem numerum excreuerunt. Plura alia, forsan etiam solidiora, producere potuissemus; vtriusque si nobis linguae prisca in promtu fuissent vocabula omnia: quibus cum hodierna si comparare velimus, pene quicquid iam loquimur, figura est. *a*) Nihilo tamen minus iam pridem Viri docti

a) Longe aliam fuisse linguam Teutonum veterem istam atque recentiorem, qua nunc vtimur, quis inficias ire poterit? cum non semel ista longo temporis interuallo, si pronunciationem, flexionem atque scripturam magis magisque perpolitam considerare velis, ita inuersa transque mutata videatur, vt aliquis penitus eam venisse in obliuionem sibi persuadere possit. Quod AVENTINVS iam tempore suo ingenue professus est, vbi *maxima*, inquit, *in nostra lingua facta est mutatio, adeo vt eam, quae olim fuerit, aegre etiam peritus intelligat.* POLYBIVS grauissimus historiarum scriptor l. 3. non diffitetur, eam fuisse linguae Romanae iam suo tempore mutationem, vt primum maiorum suorum sermonem vix doctissimi homines intelligerent. Et QVINTILIANVS de sacris Saliorum carminibus testatur, ea ipsos Sacerdotes posteriores aegre intellexisse. *Latine loqui a Latio dictum est*, inquit FESTVS, eiusue epitomator PAVLVS, *quae locutio adeo est versa, vt vix vlla pars eius maneat in notitia.* Confer. CHRIST. DAVMIVS, scholae Cygneae Rector optime

docti tentarunt ex superstitibus examinare vtriusque radices: quas adeo suaui et facili conuenientia, linguae Latinae deprehenderunt a Germanica fuisse communes: vt dubium ipsis omne interierit, certius, ac studio alicuius huc vsque factum, asserere, Germanicam, ceu quae mater et propagatrix vetustissima Europaearum est, proximam quoque Latinae linguae primordia dedisse. Ita celeberrimus olim Belga, CORNELIVS GISELBERTVS PLEMPIVS, *b*) praeter alia ostendit, quam plurimas Celtarum voces Latinis fuisse redditas: ducentis et triginta circiter exemplis in medium productis. BIBLIANDER *c*) itidem notauit ex 2000. linguae Germanicae radicibus vltra 800. Graecis atque Latinis conspicuas esse: qui tamen, profitente MORHOFIO, *d*) nume-

ptime meritus et Philologus apud posteros etiam celebris, in egregio libello *de causis amissarum quarundam Latinae linguae radicum, vt et multarum vocum deriuatarum.* Cygneae 1642. Qui prostat quoque in syntagmate dissertationum rariorum CL. GRAEVII Vltraiecti 1704. 4. edito.

b) In Orthographia Belgica, quae Amst. 1637. prodiit.

c) De ratione communi omnium linguarum, tractatu satis eleganti. IAC. REDINGERVS Hanouiae 1659. affinitatem linguae Latinae et Teutonicae edidit. Eiusdem Latini sermonis cum Germanico, etiam integris phrasibus, harmonia apparet in elegantissimo IOH. VORSTII libro de Latinitate falso suspecta deque Latinae linguae cum Germanica conuenientia.

d) In dem Unterricht von der Teutschen Sprach und Poësie, part. I. c. 2. p. 25. Et P. P. PEZRON l'Abbé de la charmoye Literis ad quendam scripsit in causa operis sui de origine nationum: *Vous serés surpris, Monsieur, quand ie vous diray, que i'ay enuiron sept ou huit cent mots Grecs, ie dis des simples racines, qui sont tous tirés de la langue des Celtes auec presque tous les nombres. • Pour ce qui est de la langue latine, i'ay*

numerum istarum longe maiorem conquirere potuisset. Ipse vero celeberrimus Polyhistor simul atque etiam fidem dat sua manu, in vtraque, Latina & Graeca, lingua vltra dimidium voces Germanicas atque Gothicas se praemonstraturum fore: quantumuis prima fronte cuiquam admodum alienae viderentur, ceu quae successu temporis multifarias literarum mutationes, flexiones, terminationes, compositiones, translationes aliaque fata expertae fuerunt: vt iam diuerso indutae habitu nemini, nisi iugiter attentiori mente istas perscrutanti, coniunctissimas vel ex eodem fonte appareant fuisse deriuatas. Ita etiam superiori seculo Doctiss. IOH. LVDOVIC. PRASCHIVS dissertatione supra aliquoties nobis laudata commonstrauit, Germanicam linguam se matris, & Latinam filiae instar habere: imo Germanicam eam ipsam esse, quae veras Latinae linguae radices possideat. Atque ille insuper affirmat, se nullum adhuc vocabulum Latinum tentauisse, quin radice Teutonicum inuenerit. Sed video his tamen atque mihi perpetuo a quibusdam obiici, conspicuam nullam in Latinorum et Germanorum lingua conuenientiam esse; et eam, quae fuerit demonstrata, vi et iniuria in nostras par-

M tes ra-

j' ay actuellement plus de douze cent mots, qui viennent tout visiblement du Celtique. Apud illustrem LEIBNITIVM in collect. Etymol. part. 2. p. 65. Quae Doctiss. Auctor ibi in Celtarum Gallorumue honorem molitur: Istis Germani etiam omnes fauere debent. Hos etenim cognatos fuisse populos eosdemque ab antiquis saepe confusos, paulo superius satis clare vidimus. Ideoque noster aeque ac ipse Rudbeckius, dum suis studet, Germanorum gloriae simul atque etiam velificatur: cum extra omne dubium Germania nostra Daniae Cimbros, Sueciae Suionas, et Galliae Celtas suos Galatasue dederit. Confer. IOH. LIMNAEI Ius publicum Imperii Romano-Germanici tom. 1. lib. 1, cap. 6. §. 6. seq.

tes rapi; recentiores esse nostras, nec adeo deformes, vtut etiam flectantur nostris similes haudquaquam, vel consono tam alieno prolatas olim gentis politissimae voces. Sunt illi fere, qui humanitatis expertes naturam linguarum ignorant, eandemque semper, qualis nunc est, vocem mortalibus fuisse putant. Hi, si didicerint, omnium rerum esse vicissitudines et linguarum, non admirabuntur adeo, nos in demonstranda L. L. origine aliqualem potuisse inter memoratas conuenientiam tentare, nec omnino vanam; sed quam, vt istis omnia concedamus, etiam nosmet ipsi noluimus tanti facere, quod ex paragrapho huius capitis vltimo ac sequentibus satis patet. Interim nec istis contenti vel responsionem hic vel risum desiderant meum. Responsionem ergo habeant, non meis quidem, sed claris antiquiorum Romanorum verbis; ne forsitan ipse qui lepus est, in me pulpamentum quaerat. VARRO *) *Vetustas*, inquit, *non pauca deprauat, multa tollit. Quem puerum vidisti formosum, hunc vides deformem in senecta. Tertium seculum non videt eum hominem, quem vidit primum.* HORATIVS **)

> *Vt siluae foliis pronos mutantur in annos,*
> *Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,*
> *Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentque.*

Paulo post:

> — — — *Mortalia facta peribunt:*
> *Nedum sermonum stet honos et gratia viuax.*
> *Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque*
> *Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus,*
> *Quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi.*

Denique

*) De lingua Latina lib. 4. cap. 1.

**) De arte poëtica.

Denique FABIVS: ***) *Quid multa? totus prope mutatus est sermo. Quaedam tamen adhuc vetera vetustate ipso gratius nitent, quaedam etiam necessario interim sumuntur etc.*

§. X.

Vltro fateor, M. IER. VARRONEM, ipsum Eloquentiae Romanae parentem, M. TVLLIVM, VERRIVM, FESTVM, NONIVM, ISIDORVM, PAVLVM DIACONVM, atque alios Latinae linguae commendatores, quos vt plurimum sequuntur recentiores incauti erroris ad vnum omnes, Latinitatem longe aliter tractare, vocabula sua plurima e vernaculae radicibus, pauca ex Graecis protrahentes, Germanicarum vix ac ne vix quidem ratione habita. Nihil vero obstat, quin eodem iure dixerim homines istos, vt L. AELIVM Graecas negligentem voces suo tempore VARRO e) dixit: *memoria nostra erraße aliquoties. Nam aliquot verborum antiquorum* Celtarum, *perinde atque essent Latinis propria*, reddiderunt *causas falsas*. Atque ego etiam suo quemque iudicio abundare patiar eo facilius, quod in scholis ita vsu receptum esse videmus, vti, veris e Germanica radicibus deperditis, etymologia et ratio vocabulorum ex Latinis Latinorum detur. Neque nos poenitebit, salua Latinae linguae ex Germanica origine, posthaec optimos Latinitatis auctores sequi, et vbi nobis earum dabitur copia, vocum deriuationes exhibere vulgo receptissimas, qui de obsoletis et cum lance licioque dudum sepultis parum solliciti fuerimus. Nunc vero de origine acturos oportet nos causam paulo accura-

***) Instit. Orator, lib. 8. c. 3. Confer. huius differt. cap. 3. §. 5. seqq. et cap. 10. §. 5. Etiam differt. de pueritia L. L. passim.

e) AVLVS GELLIVS noct. Attic. lib. I. c. 17. Auctores Latin. linguae apud GOTHOFREDVM columna 1.

curatius examinemus: qua penitus cognita, non, nisi valde coacti, pedibus in diuersam poterimus ire sententiam. Quam dein, vbi aliam non perspicimus clariorem, maxima cum lubentia et ambabus, quod aiunt, amplecti vlnis, parati sumus.

§. XI.

At, regerunt, pari modo facile fieri potuisse, vt radices ex Latina in Germanicam transierint: atque istam potius versa vice huius extitisse matrem. †) Id quod constanter nego. Puta in regionibus Septentrionem versus, quo Romani, vt omnes norunt, minime gentium, vel sero et rarissime peruenerunt, populos vernaculae ad Latinitatem accedentis tenaciores esse, ac deprehendi inter illos, qui radices veteris Germaniae atque Latii copiosius apertiusque conseruant; quam qui versus meridiem, vt aliquando moribus, sic etiam linguae Romanorum assueuere: qua de re, vt non sine causa arbitramur, optimus temporum memoria testis erit. Hinc male sane quisquam tentauerit eiusmodi radices, nunc in Gallia, vel in Hispania quaerere, vtraque prouincia a tot retro seculis Romanorum virtute et victricibus armis subiugata. Ipse, quod scio, Romanos aliquantisper in Britannia commoratos fuisse, manum cuique, id asserenti, sponte darem, linguae ibi vestigia quaedam remansisse, tandem a Britannis ad Anglo-Saxones propagata. Quamobrem non adeo rigide vocum Britannicarum similitudinem, pro Latinitatis origine, adstruxissem: quales sunt

†) Hoc asserit REINHARDVS ROBBIGIVS in Robigalibus, siue de rebus criticis, lib, 10. c. 18. vbi Germanicas voces deriuauit a Latinis. Sed validioribus argumentis contrariam sententiam IOH. LVD. PRASCHIVS defendit.

ſunt exempli gratia: Aduena *Adſan*, Auis *Afais*, Aurum *Aur*, Aër *Awyr*, Gemma *Gem*, Velum *Awyl*, Iugum *Iau*, Lethum *Laith*, Macula *Magl*, Naſus *Naeſe*, Ora *Or*, Padella *Padell*, Rota *Rhod*, Succus *Suy*, Taurus *Tarw* etc. Etiam ego neutiquam negauerim, noua nomina rerum ab aliis nationibus, et ipſis Latinis ad noſtrates remotioresque Germaniae populos ſenſim ſine ſenſu tranſiiſſe: ea videlicet, quorum res ſignificatas ante nunquam habuere, vocabula artium, conſuetudinum, ceremoniarum, cultus diuini, auium exoticarum, ferarum, piſcium, plantarum etc. *f*) Sed haec primo tanti non ſunt, atque etiam poſtremo loco ſtatim vt aliena et Germanis nunquam domeſtica, per ſe cuique oculos auresue incidunt, vt ea quidem linguae patriae antiquitatem infringere nequeant. Qua de IVL. CAESAR SCALIGER in commendatione eorum Germanorum, qui ad Viennam bello Turcico ceciderunt: *Non numerabo noſtram* linguam, *quae nobiſcum nata, ab occupatore nullo adulterata, ſua eſt; quaque puto naturae genium ſuis in conſiliis loqui ſecum.* Et paulo poſt: *De-*

f) Quo ſenſu quidem I. LIPSIO Centur. 3. ad Belgas epiſt. 44. PAVLO HACHENBERGIO German. med. diſſert. 7. de lingua veter. Germ. §. 3. ſeqq. atque Aliis, multa in linguam noſtram exotica irrepſiſſe concedimus. Quin cuicunque nationi etiam pro lubitu rerum nouarum ex ſuis noua verba dare licet. *Idque* M. TVLLIVS de finibus lib. 3. cap. 1. inquit, *quum Graecis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda ſunt, imponendaque noua nouis rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cuius vſus vulgaris communisque non ſit, multam nouitatem nominum eſſe, quum conſtruantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte verſentur.*

inde puriſſimam intelligas, quae nullius exteri dominatus illuuie contaminata fuerit: neque enim amittere debuit, quod aliis dare poſſet. g)

§. XII.

Iſthanc vocabulorum, etiamſi proxima et omnium euidentiſſima fuerit, affinitatem ſolam, pro certo argumento, ego tamen nunquam citauerim: niſi alia, eaque grauiſſima et ipſis Latii, et Graeciae ſcriptoribus optimis comprobata, de primis Italiae colonis, ſe cumulatim obiicerent. Saltem quod in lingua vocis conuenientiam attinet: eam plerisque, etiam aliquando remotiſſimis, nationibus facile largimur. †) Sic in lingua Latina, quam pro exemplo habemus:

g) Confer. ICH. LIMNAEI Ius publicum Imperii Romano-Germanici tom. 1. lib. 1. c. 6. §. 50. ſeqq.

†) Scio, quid ANDREAS MVLLERVS, in epiſtola ad Tentzelium, de Eduardi Bernardi etymologio ſentiat. *Mihi ſemper placuit certis inhaerere hypotheſibus, non qualibuſcunque et vulgo obuiis, ſed ex abſtruſiori officina. His datis, et facile a doctiorum corona concedendis, nugae reliquae omnes cadunt. Ex. gr. linguarum vnius ab altera originatio non dependet ab alliteratione vocum huius et illius linguae, millenarum etiam; ex. gr. Perſica et Saxonica lingua adeo multa habet vocabula, idem et ſonantia, et ſignificantia, vt rhythmum vnum et alterum olim confecerim, qui hodieque ab vtraque gente in eundem ſenſum intelligi poſſit. Cuius rei teſtem Perſam olim habebam. Neque tamen Perſae a Saxonibus, vti nec Saxones a Perſis deſcendunt. Affinitas autem illa vocum (in genere loquor) vel nuda alliteratio eſt, plerumque caſualis, nonnunquam etiam coacta; vel ex priſco vtriuſque gentis commercio, ſine militari*

mus: non tantum vocabula Graeca, verum et Hebraica, et alia pari ratione potuiſſemus commonſtrare. *h)* Quod nemini mirum videbitur, qui ſecum reputarit, vnam ab initio, et vniuerſalem omnibus vernaculam fuiſſe: Eam deinceps varia populorum migratione, primo propter ſubortam Babylonicorum architectorum diſcordiam inuidiamque inſtituta, in varias diuerſasque dialectos atque linguas tractu temporis conſciſſam. Quam vtique, ſi eſſentialia conſiderare velis, nemo eorum, vtut linguam variatam degeneratamque videmus, e medio plane et plene vnquam ſuſtuliſſe dicendus eſt. Cum adeoque gentes variae varia tantum ab exordio ἰδιώματα, variasque διαλέκτους ducerent: facile fieri potuit, imo factum eſt, vt remotiſſimi et longo temporum atque locorum ſpatio disiuncti populi, per vniuerſum terrarum orbem, multa ſeruauerint rerum vocabula, aliis atque aliis etiamnum communia. Neque id aliter eueniſſe, nulla etiam tot inuerſionum flexionumque habita ratione, vulgo ſcire poſſunt omnes.

CAPVT

litari, ſiue coloniario, eoque non immediato ſemper, ſed et mediato. etc. Confer. IOH. GEORG. ECCARDI hiſtoria ſtudii etymologici linguae Germanicae cap. 2, pag. 34. ſeq.

h) Vid. CRINESI Diſcurſ. de confuſione linguarum cap. 10. BECMANN de originibus Latinae linguae p. m. 132. et ceteri quotquot de linguarum harmonia commentati fuere. Confer. SELDENI de DIs Syris proleg. cap. 2. p. m. 19. IOH. FRID. STÜVENI de vero noui Orbis inuentore diſſert. erudiriſſ. cap. 1. §. 9. Doctiſſ. HAGELGANSI obſeru. ad DILLHERRI hiſtoriam priſcae Germaniae cap. 1. §. 3. pag. 4. Et IOH. LIMNAEI Ius publicum Imperii Romano-Germanici tom. 1. lib. 1. c. 6. §. 5.

CAPVT VI.

De Aboriginibus, antiquissimis et primis Italiae incolis, e Germania oriundis.

§. I.

Antiquissimi Italiae incolae sine dubio Latinae linguae auctores fuere, quibus, vel merito suo, oportet illius adscribatur origo. 2. Ryckius de primis Italiae colonis commendatur. 3. Omnium antiquissimos haberi Aborigines: et istos natione Germanos fuisse probatur: 4. A facili ad haec loca transitu. 5. A scriptorum silentio. 6. Absurda Aboriginum cum Oenotris confusione. 7. Triplici vetustissimorum de Aboriginibus sententia, et ipsius Dionysii consensu. 8. A Celtis primitus Siciliam, quae infra Italiam sita est, inhabitantibus. 9. Consuetudine, moribus et vitae genere. 10. Obiectionibus respondetur de Ctheis. 11. Aenea Troiano. 12. Et Siculis, gente Aboriginibus secundum Dionysium antiquiori.

§. I.

Hactenus meris pro L. L. origine coniecturis militauimus. Sequitur nunc argumentum vere vnicum, quo veluti suo fulcro nititur, quicquid supra demonstratum fuit. Vti enim recte sciamus, vnde primitus descenderit lingua huius vel illius regionis: oportet nos primum indagare, quinam eius incolae antiquissimi, cuius isti nationis, cuius populi propago, ex qua terra colonia missa vt eam occuparet; imperium quinam constituerint, atque magna prouinciis dederint copia ciues. Isti et non alii videntur suam regioni communicare linguam: vt fert rerum omnium vicissitudo, primum castam, et parentibus perquam similem,

milem, mox leuiter corruptam flexamque, ad nouum idioma declinantem, et denique vſque adeo degenerantem, vt paſſim a materna toto coelo diuerſa appareat. Ecquis non fatebitur, fruſtra linguarum origines erui, niſi curatius ante in populorum migrationes atque fata inquiſitum fuerit. †) Examinemus ergo, quoad mens noſtra longiſſime poteſt reſpicere ſpatium praeteriti temporis, cauſam ab ouo, & primas omnium, quae in Italiam vetusque Latium vnquam venere, nationes videamus. Quibus et ordine, et clare ob oculos poſitis, partim ratione, partim optimorum, qui, quod ſcire noſtra maxime intereſt, omnium fideliſſime literis mandatum reliquerunt, hiſtoricorum teſtimoniis abunde patebit, iſtos populos, qui ab initio has regiones coluere, non tandem ex Graecia primum, ſed ex terra continua, et proxime ad eorum oram iacente Germania deſcendiſſe: dein vero etiam alios atque alios ex Graecia iſtos Germanorum priores incolas ſecutos:

N qui

†) Publico ſcripto id primus oſtendit WOLFGANGVS LAZIVS *libris XII. de gentium aliquot migrationibus, ſedibus fixis, reliquiis, linguarumque initiis et immutationibus ac dialectis.* Germanorum origines et migrationes poſt SCALIGERVM, CASAVBONVM, PETAVIVM, VSSERIVM, CLVVERIVM, BOCHARTVM, SALMASIVM, VOSSIVM et alios, CHRISTOPH. ADAMVS RVPERTVS in obſeruationibus ad ſynopſin hiſtoriae Beſoldi, IOH. HENR. VRSINVS in iſagoge hiſtorico-chronologica, PAVLVS HACHENBERGIVS de originibus Germanorum et Suedorum, WILH. CHR. KRIEGSMANNVS in coniectaneis de Germanicae gentis origine, IOH. NICOL. HERTIVS de notitia veteris Germaniae populorum et MICHAEL PRAVN in dem wahren neu-entdeckten Vrſprung der Teutſchen vnd anderer Europaeiſchen Voelcker, plures alii illuſtrarunt.

qui tamen, quod ſupra docuimus, maximam partem Celticae originis nonniſi dialecto a prioribus potuere diſtingui.

§. II.

De primis Italiae colonis non ita pridem accuratiſſime et elegantiſſime ſcripſit celeberrimus THEOD. RYCKIVS, qui et ipſe aduentum et tempus cuique, pro ſummo iudicio et incomparabili eruditione adſcripſit, neque adſcripſit tantum, verum etiam ſolidiſſimis argumentis optime comprobauit. Notat vetuſtiſſimos Italiae populos, quorum aduentus non ſatis conſtet, fuiſſe *Aborigines*, *Siculos*, *Vmbros*, *Ligures*: Hos denique ſecutos Anno period. Jul. 3146. *Auſones*, 3186. *Pelaſgos*, 3208. *Oenotros* ſ. Arcades, 3450. *Thyrrhenos*, 3470. *Euandrum*, 3477. *Herculem*, 3532. *Aeneam* etc. Filum auctoris vt perſpicaciſſimum et nos ſequamur, ita tamen, vt quae dudum ipſe maxima pertractauit et eruditione, et ſolertia, tranſeamus ſilentio, neque poſt Homerum Iliada ſcribamus: ea ſolummodo in medium prolaturi, quae ad forum et inſtitutum noſtrum inprimis faciunt. Quibus adeo nobis per partes eundum.

§. III.

Quotquot Italia populorum vnquam vidit, omnium antiquiſſimi *Aborigines* memorantur, penes quos et regimen inſtitutum, et confirmatum, et longiſſime propagatum fuiſſe, nemo facile negabit. Ille ipſe populus ab initio quidem ſparſim agros et montana Italiae loca colebant: poſtea vero in vnam gentem rurſus confluxerunt, remque conſtituere publicam, in quam nationes reliquae non ſolum recipiebantur; ſed etiam lingua aliorum, vt minus valida, tandem euaneſcens, in vnam iſtam Aboriginum linguam tranſiit: vnde, quod paulo inferius demonſtrabitur,

bitur, lingua prouenit fatis illa celebris, a Latino, quodam Aboriginum Rege, Latina nominata. In eo quidem consentiunt omnes, Aborigines fuisse primos Italiae incolas: *a*) addo originis Germanicae: id quod, nec difficulter, nobis nunc demonſtrandum eſt.

§. IV.

A. Probabile non eſt, Germanos, Scythicam nationem vagam atque barbaram, qui ſuas, quod paulo ſuperius veterum teſtimoniis illuſtrauimus, *b*) colonias ab antiquiſſimis temporibus in ipſam Graeciam traduxerunt; vſque adeo proximam, et fertiliſſimam, et maxime ſibi commodam regionem neglexiſſe, vt eo nihil plane gentis ſuae miſerint. Idque eo magis, quod facilior ipſis acceſſus, terraque firma certius fuerit iter, quam Graecis, qui caſu diuerſo multisque calamitatibus incertam pelago viam ad dubios terrae tractus, inter tot fluctuum marisque ſaeuientis iniurias quaerere debuiſſent. *c*)

N 2 §. V.

a) Vid. IVSTINVS Hiſt. lib. 43. c. 1.

b) Cap. V. §. 1. 2. 5. etc. Hinc ipſe quoque Illuſtris Dom. G. G. LEIBNITIVS epiſtola d. 3. April. 1699. ad Iobum Ludolfum in collectaneis etymologic. part. 2. p. 58. *Equidem ſi totius generis humani per orbem diſperſi originem ex inſanae Babyloniorum ſubſtructionis auctoribus petamus, lineam coloniarum per Scythiam, ad Iſtrum et Celtas, ducendam putem: nec dubito ex Germania in Galliam et Italiam primos habitatores veniſſe, etc.*

c) Confer. huius diſſert. Cap. IV. §. 3. 4. Atque etiam ingenue hoc fatentur les Lettres ſur des antiquites, qu'on vient de deterrer à Paris: *que les Peuples d' Europe ſont venus de l' Orient, et - - les plus anciennes migrations ont été faites par terre, les hommes ayant ſû marcher, avant qu'ils ont appris à naviger.* Apud Illuſtrem LEIBNITIVM in col. etym. part. 2.

§. V.

B. Nulla fuerit ratio ſilentii vel ignorantiae, quam vetuſtiſſimi et diligentiſſimi antiquitatis ſcrutatores ad vnum omnes de aduentu et origine iſtius populi teſtantur: ſi ex Graecia, nec aliunde, ab iſtis videlicet Germaniae et magnae Scythiae obſcuris ac incognitis Barbaris, quos vocant, propagatus fuiſſet. Nouimus enim Germanos de praeclare fortiterque geſtis mage ſollicitos, quam de nominis immortali fama, nihil ad poſteritatis memoriam ſcripſiſſe. Quo adeo factum, vt quicquid in alias regiones tentarunt, obliuioni traderetur. Contra vero Graeci facinora et quaſi miracula ſua ab antiquiſſimis temporibus perpetuis atque diuinis laudibus non ſatis efferre potuerunt: quorum adeo ſcatent annales continuis patriae commendationibus in quibus toti fuerunt, parum curioſi aliorum, quos nomine barbarorum inuiſos flocci et nihili habuere. Vnde nomen *vanae Graeciae et propriarum laudum buccinatricis*. *d*) Ideoque ſcriptoribus profanis ac recentioribus vix et ne vix quidem conſtitit, quando, vel quomodo Italia primum a mortalibus occupata: cum id ex ſe factum aſſerere non conarentur. Accedit, quod ipſis terrarum inundatio, et ea diuerſorum ab vrbe Babylonica profectio inſtituta, et temporis longo interuallo dudum obliterata, non niſi ex ſacris literis, quas vel neſciebant, vel ſuperſtitioſe reiiciebant, innoteſcere potuit. Quamobrem ſatis ſtolite et inconſideratius antiquiſſimos cuiuſuis terrae populos indigenas, et patrio innatos ſolo, vocare ſolebant: cuiuſmodi pleriſque Aborigines fuere. *e*)

§. VI.

d) Vid. LINCKER theatr. hiſt. polit. part. 1, pag. 8.

e) Vide huius diſſert. Cap. II, §. 1, 2, 3.

§. VI.

C. Aborigines vel antiquior dicendi Germanorum propago, vel cum Arcadicis, siue Oenotris, Halicarnassensi DIONYSIO *f*) praeeunte, contra omnem historiae et rationis fidem, *g*) confundendi sunt. *Arcadici* namque, ipsius Dionysii verba sunt, *primi Graecorum, duce Oenotro Lycaonis filio, Ionico sinu traiecto, Italiam habitarunt.*

§. VII.

D. Trifaria Antiquiorum sententia apud DIONYSIVM modo citatum pro nobis militat, nostrasque mirifice tuetur partes. Quartam, vtut illa forsan aliis arrideat, optimus historicus haud immerito perstringit, ac nobis valde suspectam relinquit. Primo *Aborigines*, inquit, *Romani generis auctores alii indigenas Italiae, gentem ipsam ex se oriundam asserunt — — nomenque primum illis inditum, quod posteris suis generis auctores fuissent. etc.* Secundo: *Alii vero aiunt, quosdam sine laribus et errones, qui ex variis locis conuenerant, forte fortuna sibi inuicem occurrisse, et sedes in locis munitis posuisse, et latrocinio, et re pecuaria vixisse etc.* Vnde istos quidem Aberrigines atque Leleges maluerint appellare. Tertio: *Alii vero fabulantur, eos fuisse colonos Ligurum, qui Vmbris sunt finitimi. Ligures enim multas Italiae partes habitant, Galliae etiam quasdam incolunt.* Quartam Catonis C. Sempronii aliorumque Doctissimo RYCKIO *h*) valde plausibilem, vti videlicet a

 Graecis

f) Roman. Antiq. lib. 1. c. 2. Dionysium sequitur CRAMERVS Orat. de fato linguae Latinae. pag. 8. et 9.

g) Vid. Doctiss. THEOD. RYCKI dissert. de primis Italiae colonis et Aeneae aduentu cap. 1.

h) l. c. cap. 1. §. 4. seq.

Graecis vnice gentem Latinam deriuaret, opinionem, Aborigines fuisse *ex iis Graecis, qui quondam in Achaia habitarant, et multis ante bellum Troianum aetatibus inde migrarant*, ipse DIONYSIVS, homo Graecus, at rerum commentator omnium fide dignissimus, iuste reprehendit: quod auctores illi disertis verbis non scribant, aut ex qua Graeca natione fuerint, aut ex qua vrbe migrarint, aut quo tempore, aut quo coloniae Duce, aut quibus acti casibus antiquam patriam reliquerint, et quod fabulam Graecam secuti hoc nullius auctoris Graeci testimonio confirmarint. Quamobrem et ipse huius caussae veritatem in dubio relinquit. Quid, quod celeberrimus etiam Dominus RYCKIVS asserti huius consequentiam, ab auctore deductam, Aborigines si Graeci fuerint, eosdem cum Oenotris, et nullos alios haberi, et docte, et solide confutauerit? Aliter ego quidem sentire nequeo, innixus cum rationibus conspicuis, tum modo citata veterum obscuriori licet assertione triplici, quam quod Aborigines, Italiae incolae antiquissimi, fuerint primitus Scytharum, Celtarumue coloniis e Germania huc missi, et variis dissipati hinc inde locis, et propagati: vsque quo tandem, quod tractu temporis plurimum fieri solet, aliis aliisque nominibus foedere iuncti imperium constituerent.

§. VIII.

E. Siciliae, quae insula infra Italiam sita est, eamque cum Germania medio inclusam tenet, incolae antiquissimi fuerunt Hispani et Celtae. Ita enim STRABO *i*) Ἴβηρες, ὥς περ πρῶτον

i) Geogr. lib. 6. p. m. 186. Neque dicendi sunt Iberi ipsi fuisse Itali, Distinguit enim Iberos a Siculis, gente alias Iberica. Conf. ISAAC CASAVBONI Comment p. 104, CLVVERII Geog. lib. 3, c. 41. §. 1.

πρῶτον φησὶ τῶν βαρβάρων Ἔφορος λέγεσθαι τῆς Σικελίας οἰκιστάς. *Iberi*, vel Hiſpani, qui occidentales ſunt Siciliae ac Italiae populis, *quos Ephorus primos de Barbaris ait Siciliam habitaſſe.* Quidni etiam dicendi habitaſſe Italiam, regionem et ipſis propiorem, et terrarum feliciſſimam: quam adeo neglexiſſe, vltima tantum eius parte occupata, nemini poteſt credibile videri.

§. IX.

F. Velimus denique primam iſthanc gentem Italiae, Aborigines, in priſtino ſtatu ſuo cum vetuſtioribus Germanis conferre: maxima vtramque nationem inter et generis, et vitae morumque ſimilitudo apparebit. Nouimus, referente TACITO †) Germanos (1.) habuiſſe *magna corpora et tantum ad impetum valida*, nemoribus atque ſyluis ſub dio, vel ramis arborum habitantes. Idem conſtat de Aboriginibus, fuiſſe rudes Fauni homines, et brutorum inſtar ſub dio agentes: quibus nymphae ſuae foetum ſub ilicibus aut fagis fuderunt: ipſis aliquando arbores habitantibus cauas, vnde naſci dicebantur. Quamobrem VIRGILIVS *k*)

Haec nemora, inquit, *indigenae Fauni Nymphaeque tenebant*,
Gensque virûm truncis et duro robore nata.

(2.) Germani nullas frequentarunt vrbes neque inter ſe iunctas quidem ſedes paſſi ſunt; agros coluere diſcreti ac diuerſi, vt fons, vt campus, vt nemus placuit. Vicos locarunt, non in noſtrum morem, connexis cohaerentibusque aedificiis: ſed domum quiſque ſuam ſpatio circumdedit, ſiue aduerſus caſus ignis remedium, ſiue inſcitia aedificandi: vt

†) De Germanorum moribus cap. 4. et 16.
k) Aeneid. lib. 8. verſ. 314.

di: vt iterum TACITVS sufficiens nobis testimonium suppeditat. *l*) Pari modo *Aborigines*, confirmante DIONYSIO *m*) *in montibus siue moenibus vicatim et passim habitabant*. Quoad *Pelasgi, et alii quidam Graeci admixti, eos iuuerunt in bello contra finitimos populos, Sicula gente inde expulsa:* vt multas deinde vrbes moenibus cingere instituerent. (3.) Germani sine legibus scriptis libere agebant, omnis dominii impatientes; Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumebant. Nec Regibus infinita aut libera potestas; et Duces exemplo potius, quam imperio, si promti, si conspicui, si ante aciem agant admiratione, praesunt etc. TACITVS. †) *Aborigines* habentur apud SALLVSTIVM *n*) *genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.* Quamuis hoc etiam negare nolim, vniuersi generis humani conditionem eam fuisse, vt cupiditate libertatis teneatur, neque alterius vel imperio, vel libidini obnoxium fieri. *o*) Vnde reges plurimarum nationum antiquitus non alii fuere, quam Duces, quorum auctoritas quidem

l) Germ. c. 16. Confer. CLVVERIVS Germ. Antiq. lib. 1. cap. 13. CHRISTOPH. LEHMANN. chronici Spirensis lib. 1. c. 5. pag. 10. edit. nouiss. 1711. in fol. SEBAST. FRANCK Chron. Germ. fol. 5.

m) Rom. Antiq. lib. 1. c. 2. haud longe ab exordio. Confer. FABIVS Instit. Orat. lib. 3. c. 2. in fine et MOSELLANVS ad h. l.

†) Hist. l. 4. cap. 76. Germ. cap. 37.

n) Bello Catilinario cap. 6.

o) Videatur elegantissima dissertatio *de conditionibus quibus nascuntur Resp.* non ita pridem in celeberrima Rauracorum Academia ventilata ab Expertissimo et facundissimo Domino HARSCHERO Praeceptore et Patrono meo, cuius nunquam sine maxima et veneratione et voluptate mentionem facere possum.

quidem pace belloque valuit: sed tributa imperare, ciuium bonis et corporibus abuti, leges imponere quasuis, ac pro lubitu de bello et pace decernere ipsi nullatenus potuere. (4.) Germanis priscis nec arare terram, aut expectare annum, tam facile persuaseris, quam vocare hostes et vulnera mereri: pigrum quinimo et iners ipsis videbatur, sudore acquirere, quod possis sanguine parare. Quoties bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium transigunt. †) Simile quidpiam de Aboriginibus proditum:

Queis neque mos, neque cultus erat: nec iungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami, atque asper victu venatus alebat. p)

Atque ita venatione victitabant, et fructibus sponte natis glandibusque vescebantur. Quod genus frumenti istis commune et optimum erat: vt eo nomine omnes etiam fructus deinceps comprehendere voluerint. Inde Lex XII. Tab. de glande legenda: *q)* SEI CLANS. ENDO. ALIENOM. CADVCA. SIET. DOMINO. LECERE. IOVS. ESTOD. (5.) Vestitus et cubitus veterum Germanorum maximam partem vel ideo infamis est, quod pellibus tantum, aut paruis rhenorum tegumentis vterentur; magna corporis

O parte

†) TACITVS de Germ. moribus cap. 14. extremo. Sic et IVL. CAESAR de bello Gallico lib. 6. *vita omnis in venationibus, atque in studiis rei militaris consistit.* Post pauca: *Agriculturae non student, maiorque pars victus eorum in lacte, et caseo, et carne consistit.*

p) VIRGILIVS Aeneid. lib. 8. vers. 316.

q) Vid. PLINIVS hist. natur. lib. 16. c. 5. Lex 236. ff. de verborum significatione. DEMPSTERVS paralip. ad ROSINI Antiq. Rom. lib. 2, cap. 11. p. m. 193.

parte nuda, substratis pellibus nudi atque etiam promiscue humi iacerent. r) De priscis Latinis idem testantur plerique s) LVCRETIVS disertis:

Tunc igitur, inquit, *pelles*, *nunc aurum et purpura curis*
Exercent hominum vitam belloque fatigant.

Rursum:

Inde casas postquam ac pelles ignemque paratur,
Et mulier coniuncta viro concessit in vnum.

PROPERTIVS t)

Atque hinuli pellis totos operibat amantes.

IVVENALIS u)

Siluestrem montana thorum cum sterneret vxor
Frondibus, et culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus — — —

Inde noua nupta quoque statuebatur, vt FESTVS tradidit, in pelle lanata, propter morem vetustum, quo antiquitus homines pellibus erant induti; tum etiam vt testaretur, se lanificii munus viro praestituram. *Pellem habere Hercules fingitur*, idem alibi scripto reliquit, *vt homines cultus antiqui admoneantur. Lugentes quoque diebus luctus in pellibus sunt.* (6.) Inter vitia Germanorum praesertim

r) IVL. CAESAR de bello Gallico lib. 6. *Intra annum vero XX. faeminae notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus, cuius rei nulla est occultatio, quod et promiscue in fluminibus perluuntur, et pellibus, aut paruis rhenorum tegumentis vtuntur, magna corporis parte nuda.* CLVVERIVS Germ. Antiq. lib. 1. c 16. IVSTINVS l. 2. cap. 2. DILLHERRI Historia priscae Germaniae cap. 4. et Doctiss. HAGELGANSI obseruationes ibid.

s) Confer. DEMSTERVS paralip. ad ROSINI Antiq. Rom. lib. 5. cap. 31. pag. 554. seq.

t) Lib. 3. Eleg. 12.   u) Satyr. 6. in princip. 5.

ſertim ebrietas et circumpotatio memoratur, ita vt, TACITI teſtimonio, †) nulli probrum fuerit, diem noctemque continuare potando. Idem paulo poſt *) *Cibi ſimplices,* inquit, *agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem. Aduerſus ſitim non eadem temperantia. Si indulſeris ebrietati, ſuggerendo quantum concupiſcunt, haud minus facile vitiis, quam armis vincentur.* Nec minus Romani et Aborigines, Germanorum propago, quadam velut natiua pronitate ad ebrietatem ducebantur: x) vſque adeo, vt neque in ipſo luctu ſuas omitterent circumpotationes, quas conuiuia funebria, et ſilicernia paululum honeſtiori titulo vocitaſſe, ex eorum hiſtoria et antiquitate vulgo notum eſt. Propterea ſapientes legibus XII. Tab. ſtatuere debebant, y) vti ſeruilis vnctura omnisque circumpotatio auferatur. (7.) Ritus ſepeliendi mortuos, humatio, crematio, rogus combuſtio rerum cuiuſque defuncti cariſſimarum, tumuli, gladiatorium munus ad ſepulchra editum, funebres laudationes, parentalia apud Germanos atque Aborigines inuicem ſibi valde ſimilia, et prope eadem fuere. z) Denique (8.) vt religio apud Germanos diu perſtitit, ſi non recta et integra, ſimplex tamen ſpeciemque idolorum fugiens: a)

O 2 ita

†) De Germ. moribus cap. 22. *) L. c. cap. 23.

x) PLINIVS hiſtor. natur. lib. 14. c. 22. Confer. IOH. LIMNAEI Ius publicum Imperii Romano Germanici tom. 1. lib. 1. cap. 6. §. 37. ſeqq.

y) CICERO de legibus lib. 2. cap. 24.

z) Vid. CLVVERIVS Germ. Antiq. lib. 1. cap. 53. DILLHERR hiſtoria priſcae Germaniae cap. 12. Confer. Leges XII. Tab. de Iure Sacro. CICERO de legibus lib. 2. et quotquot in iſtas commentati fuere. GVTHERIVS de Iure manium. Alii.

a) Vid. huius diſſert. cap. IV. §. 6.

ita Aborigines quoque ad Romanos eandem propagarunt: vt a condita vrbe centum ſeptuaginta annis et vltra templis, ſimulacris, Deorumque ſtatuis caruerint. *b*) Ceremonias vitaeque inſtituta longe numero plura, vtrique populo communia, potuiſſem colligere, quibus de Aboriginum genere haud temere coniicere licet, e Germania fuiſſe. Sed vereor, ne B. L. extra limites vagari et nimia rerum vbique obuiarum copia moleſtus eſſe viderer.

§. X.

Sentio contra id aſſertum noſtrum, primos Italiae incolas Germanos fuiſſe, obiici nobis: Celtas, paulo ſuperius deriuatos ab Aſcenaze, Gomeri filio, a quo non potuiſſe deriuari Latinos: vtpote eos Bileamus propheta apud MOSEN *c*) vocitaret כתים *Cithim*, Graecis κιτιεῖς vel κιτιεῦς, filios Iauanis, *d*) Graecorum parentis. Ita videlicet SAMVEL BOCHARTVS *e*) THEODORVS RYCKIVS *f*) IOH. DAN. CRAMERVS *g*) et alii aduerſus nos ſemper inſurgunt. Neque deſunt, qui Latii nomen, quod a Latendo veteres dedu-

---

b) Ex M. VARRONE et AVGVSTINO de ciuitate DEI lib. 4. enarrantibus DEMSTERO paralip. ad ROSINI Antiq. Rom. lib. 1. cap. 2. pag. m. 15. PEZELIO mellif. hiſt. part. 2. p. m. 22. CASSALIO de profanis et ſacris veter. ritibus part. 2. cap. 1. p. m. 55. VINCENTIO CHARTARIO in dem neu-eröffneten Götzen-Tempel pag. 7. Aliis.

c) Numer. XXIV, 24.

d) Geneſ. X, 4. Maccab. I, 1. loca huius diſſert. cap. IV. §. 1. citata. Confer. pluribus CLVVERIVS Ital. Antiq. lib. 1. c. 6. §. 1.

e) Phaleg. l. 3. c. 5.

f) Diſſert. de primis Italiae colonis et Aeneae aduentu cap. 1. ab exordio.

g) Orat. de fato linguae Latinae p. 9.

deducunt, cum Arabico, vel Punico, Chetema *abſcondit*, omnino congruere putant. *h*) Sed reſpondemus vocabulum כתיים *Percuſſores*, a radice נכה, Hiph. הִכָּה *percuſſit*, eſſe nomen generale, nec vnum propria ſignificatione ſua determinare populum. Vel per ſynecdochen *Cythaei* vocantur omnes in occidentalibus orbis partibus ad mare mediterraneum habitantes: ita vt eorum, modo pluribus, modo paucioribus deſignandis, in ſacra ſcriptura mentio fiat. *i*) Sed concedamus, vt alibi, heic etiam *Cithaeorum* nomine ſpeciatim Graecos notari. Quid inde? Vates vtique futura ſpectat, longo demum poſt tempore Regnum Iudaeorum a Romanis Imperatoribus deturbandum eſſe: quod annis quinquaginta poſt Chriſtum natum, expugnatis Hieroſolymis, euenit. Et tum quidem ſeries Imperatorum ab aduentu Aeneae ex Graecia deducenda fuit: vt iure et merito etiam Latini a capite ſuo Chittim vocari potuerint. Vel quis ignorat, ipſam Graeciam tunc temporis in Romanorum poteſtate fuiſſe, a cuius *littore ſoluentes affiixerunt Aſſyrios et affiixerunt Hebraeos?* Vt adeo nulla iſtius quidem nominis habita ratione Aboriginum origo Germanica ſarta tecta maneat.

§. XI.

Nec iuuat dicere (2.) Aeneam Troianorum gente ſuperſti-

h) Vid. Dn. REISKI annot. ad CLVVERII introd. Geogr. lib. 3. c. 27. pag. 267. et libr. 3. c. 33. p. 289.

i) Ier. II, 10. Ieſ. XXIII, 1. Confer. LVTHERVS in Geneſin cap. 10. Oper. Witeberg. tom. 6. pag. 124. ALSTEDII praecogn. Theol. lib. 2. pag. 299. et 317. Doctiſſ. RYHINERI diſſert. de Tyro, quam non ita pridem ſub praeſidio Pl. Reuerendi et ſumma Eruditionis fama celeberrimi D. ISELII in inclyta Baſilienſi ventilauit, c. 3. §. 6. pag. 43.

perſtitem Latio nouam cum imperio inuexiſſe nationem Graecanicam, *k*) cui adeo non poſſit origo vindicari Germanica. Aeneas enim ille perquam exigua manu in Italiam venit, a Latino, Aboriginum Rege, ſocero ſuo adoptatus. Ecquis ſana mente praeditus facile conabitur affirmare, tantillum gentis peregrinae ita Regnum inſtituiſſe Romanorum, vt vetuſtiſſimos Aborigines, omnium gentem ampliſſimam extinguerent: quin potius, quod ſumma ſcriptorum auctoritate comprobatum legere paſſim! licet, ipſe Aeneas, ad conſeruandam eorum memoriam, ſubditos ſibi populos ab vltimo Rege Latino Latinos, terramque Latium vocarit. Ita ſe res etiam habet cum aliis Graecorum coloniis, quas ſuo loco examinabimus.

§. XII.

Multo minus (3.) obſtat, DIONYSIVM *l*) Siculos gentem Italiae primam, et Aboriginum illo nomine vetuſtiorem facere. Quamobrem ipſe etiam aliquoties laudatus Dominus

---

k) Τὸ τῶν Τρώων ἔθνος ἑλληνικὸν ἐν τοῖς μάλιστα εἶναι; *Troianorum gentem maxima parte Graecanicam fuiſſe*, DIONYSIVS teſtatur Rom. Antiq. lib. 1. c. 6.

l) Antiq. Rom. lib. 1. c. 2. ab exord. *Vrbem terrae mariſque totius Dominum, quam nunc Romani incolunt, primi omnium, qui memoriae ſunt proditi, feruntur tenuiſſe Barbari Siculi, gens indigena. Ante vero, aliosne colonos habuerit, an inculta fuerit, nemo poteſt certo dicere. Sed poſtea eam longo bello antiquis Dominis ereptam occuparunt Aborigines, qui ante in montibus, ſine moenibus, vicatim et paſſim habitabant.* Dionyſii auctoritatem, vtut ſenſum eius non ſatis aſſequi potuerit, ſectatur CLVVERIVS Ital. Antiq. lib. 1. c. 6. §. 2. et 3. vbi Siculos Aboriginibus longe antiquiores facit, licet nec iſti quidem antiquiſſimi omnium tota Italia certo dici queant.

minus RYCKIVS non dubitauit iſtum acrius refutare. Etenim primo Siculi ex eadem oriuntur Germania, et patriam cum Aboriginibus eandem cognouere Celticam. Secundo Hiſtoricus noſter falſa nititur hypotheſi eorum, qui Aborigines ex Graecia deſcendiſſe non verebantur aſſerere: vnde et iſtos poſtremo cum Oenotris confundit. Ita quidem aliis, vt ſupra vidimus, indulget, ac inter notiores Italiae populos tantum Siculos primo loco ponit. Interim reuera tamen prioribus illis nullo modo recentiores fecit Aborigines, quos nulla auſus fuit memoria repetere, ordine ſecundo locatos: quod occaſione Siculorum, ab iſtis pulſorum, perpulchra tum eos commemorandi copia fuerit. Neque iſtis tempus certum aduentus, neque regionis terminum conabatur aſſignare; ſic ergo haeſitabat valde, num ante Siculos Italia colonos habuerit alios, num inculta perſtiterit: cum Aborigines antea in montanis, ſine moenibus, vicatim paſſimque habitarent; vtra patria, vel quando aduenae, incertus nihil affirmare conatur.

CAPVT VII.

De aliis Italiae colonis, qui ex Celtis prodierunt.

§. I.

De Siculis atque Sicanis. 2. *De Vmbris.* 3. *De Liguribus.* 4. *De Auſonibus, Auruncis atque Opicis, ſeu Oſcis, aliisque.*

§. I.

Ad Aborigines proxime accedunt *Siculi*, qui cum iſtis quaſi de iure vetuſtatis atque adeo de praerogatiua certare viden-

videntur. Quare Halicarnaſſenſis DIONYSIVS ipſe non veretur eos dicere omnium primos, qui memoriae ſint proditi, Italiae colonos Barbaros, gentem indigenam. Quod bene notandum, iſtos vocat Barbaros: ergo nulla ratione a Graecis deriuandos, ceu qui minime gentium ita nominari voluere. Siculi adeoque ex proxima Celtica gente Barbara et antiquiſſima prouenerunt: quo ſenſu demum iſtos aeque ac Aborigines non erubuit gentem vocitare indigenam. Tenebant illi partem Liguriae et Apenninos montes, infra Vmbros, ad mare vſque. Tam celebres fuere, vt a quodam eorum Rege *Italo*, quod aiunt, tota Regio primum *Italia* dicta fuerit: quae deinde ab Aboriginibus, pulſis Siculis, vocabatur *Saturnia*, et denique *Latium*, vnde Aborigines ipſi nouo nomine *Latini*. Poſteaquam ita Siculi Aboriginum et Pelaſgorum armis opprimerentur, reliquerunt Italiam, teſte *Hellanico Lesbio* apud DIONYSIVM, tribus aetatibus ante bellum Troianum, *a*) et Siciliam occuparunt. Inde VIRGILIVS *b*) iſtos ea, qua gaudent poëtae, licentia vocauit *Sicanos*: quibuscum tamen confundendi non ſunt. Sicani, vt paulo ſuperius notaui, Iberi fuerunt, et ex Hiſpanis, itidem gente Celtica, Sicano duce, antiquiſſimis temporibus profecti ſunt, et eam, quam nunc Siciliam vocamus, inſulam poſſederunt. *c*) Donec Siculi, nobis iam me-

a) Antiq. Rom. lib. I. c. 2. p. m. 25. Quot vero iſte annos ſub vna aetate comprehendat, multis et erudite diſquirentem vide Clariſſ. RYCKIVM l. c.

b) Aeneid. lib. 8. v. 328.

Tum manus Auſonia et gentes venere Sicanae:
Saepius et nomen poſuit Saturnia tellus.

c) Incolas Sicilia habuit primos Cyclopas et Laeſtrygonas i. e. gigantes,

iam memorati, aliena poteſtate Italia pulſi, iſtos Trinacria inſula ſua et regione eiecerunt. Qua de re grauiſſimum habemus DIONYSII *d*) teſtimonium: *Siculi vero* (*neque enim amplius malis reſiſtere poterant, quod ſimul Pelaſgorum ac Aboriginum armis belloque premerentur*) *cum liberis et uxoribus diſceſſerunt et pecuniis omnique auro ac argento conuaſatis, toto agro ipſis ceſſerunt: et per montana loca ad meridiem verſi et tota inferiori Italia peragrata, cum vndique pellerentur, ratibus tandem ad fretum paratis et obſeruato ſecundo maris aeſtu ex Italia in proximam inſulam traiecerunt. Eam vero Sicani gens Hiſpana tenebant, qui a Liguribus fugati non multo ante ſuas ſedes ibi poſuerant. Atque hi fecerant, vt de ſuo nomine inſula iſta vocaretur, quae prius a forma triangula Trinacria nominabatur. e*) Vt taceamus iſtos PLINIO *f*) STRABONI *g*) atque aliis diuerſos eſſe po-

P pulos.

gantes, gentes Barbaras atque truces, vt hiſtoriis ſeu fabellis oſſa immania paſſim eruta fidem faciunt. Hos ſecuti ex Hiſpania Sicani, Siculi, Graeci etc.

d) l. c. circa finem cap. 2.

e) Inſula haec pluribus *Trinacria*, vel *Triquetra*, a triangula ſpecie, dicta olim *Sicania* a Sicanis, vt *Sicilia* nunc a Siculis nominata; apud VIRGILIVM Aeneid. l. 5. v. 555. et paſſim. PLINIVM hiſt. nat. lib. 3. c. 8. IVSTINVM lib. 4. c. 2. et Patrem hiſtoriarum, Halicarnaſſenſem HERODOTVM, lib. 7. p. m. 428. BOCHARTVS in Chanaan lib. 1. c. 30. Priſcum *Siciliae* nomen a Punicis originibus vt pleraque alia arceſſit. Idque vel a voce שכלול *Sclul* i. e. *perfectione*: tanquam inſula ceteris perfectior atque maior; vel ex voce סגוליא *Segulcia* i. e. *botris*, quorum fructu, vino vuisque foecunda deſcribitur. *Sicani* amplius ex lingua Phoenicia שכנים *Secanim* i. e. *vicini* appellationem ſuam ipſi, ceterum Doctiſſimo viro, traxiſſe videntur. Num recte, vel ſecus videant alii.

f) Hiſtor. Natur. lib. 3. cap. 5. *g*) Geog. lib. 6. p. m. 186.

pulos. Vnde SERVII error ad citatum Virgilii locum notandus eſt: Sicanos vocari, qui duce Siculo, ab Hiſpaniae fluuio Sicori, in Italiam venerint, excluſis inde Aboriginibus; et mox ipſi pulſi ab iſtis, quos ante eiecerant, Inſulam Italiae vicinam occupauerint. *h*)

§. II.

Vmbri, *i*) Aboriginibus finitimi, inter Padum et Aeſim fluuios vltra tum in Etruriae parte citra Apenninum inter Tiberim et Natem habitarunt. Italiae celebrantur incolae iam ante Pelaſgos atque Tyrrhenos *k*) antiquiſſimi. Hinc BVNO *l*) tres tantum in omni Italia ſtatuit populos indigenas, Vmbros, Siculos, et ingens Auſonum, ſiue Opicorum corpus Atqui etiam de iſtis, clariſſimo *Vmbrorum* nomine deſignatis, populis, Celticae originis fuiſſe, diſerta habemus veterum teſtimonia. Ex quibus duo adſcripta nunc nobis ſufficiunt, ISIDORI: *m*) *Vmbri Italiae genus eſt: ſed Gallorum veterum propago, qui Apenninum montem incolunt, de quibus Hiſtoriae perhibent, quod tempore aquoſae cladis imbribus ſuperfuerint et ab hac* ὀμβρίας *Graece*

h) Atque etiam ISIDORVS fallitur orig. l. 9. c. 2. Vbi *Italus*, inquit, *et Sabinus, et Sicanus fratres fuerunt, ex quibus nomina populis impoſita et regionibus ſunt. Nam ab Italo Itali, a Sabino Sabini, a Sicano Sicani, qui et Siculi cognominati ſunt, idem et Sicilienſes.*

i) *Vmbri* ex Celtis aduenae dicti ſunt ab *Vmbrone* amne, qui nunc accolis dicitur *Ombrone*, et regio *Vmbria*. Quod ex ipſo PLINIO hiſt. natur. lib. 3. c. 5. patet.

k) Vid PLINIVS l. c. et DIONYSIVS Rom. Antiq. lib. 1. c. 2. p. m. 21.

l) Obſeruat ad PHIL. CLVVERII Introd. Geogr. lib. 3. c. 31.

m) Orig. lib. 9. c. 2. et lib. 14. c. 4.

Graece nominatos. Et SOLINI: *n*) *Bolchus absoluit Gallorum veterum propaginem esse; Marcus Antonius asseuerat hos eosdem, quod tempore aquosae cladis imbribus superfuerint, Vmbros esse nominatos.* Hinc sine ratione CLVVERIVS *o*) eam tot auctorum sententiis comprobatam huius gentis originem suspectam facit: vtut ipsi concedamus vltro, nominis quidem varie descriptam deriuationem Grammaticorum sapere nugas. Enimvero et ipse aliquoties laudatus auctor valde sibi contradicit, tandemque explosis quorundam figmentis, semet ipsum aliis inuisum reddit. *Altera coniectio* de nominis etymologia, inquit, *ridicula est, ex similitudine tantum vocabuli depromta. Quid enim gens Barbara, Italiae indigena e Graeca lingua nomen sibi mutata fuerit?* Confitetur, Vmbris nihil cum Graecis commune esse. Oportet ergo istos Celtarum fuisse propaginem; quod paulo ante negauerat, eos Italiae tantum indigenas et gentem antiquissimam dictitans. Sententia tanto viro indigna! Vmbros suis sedibus fuisse antiquitus a Pelasgis exactos, nobis PLINIVS *p*) fidem facit. At sano

 sensu

n) Polyhist. cap. 8. confer. PLINIVS hist. natur. lib. 3. cap. 14. FLORVS lib. 1. c. 17. SERVIVS ad Virgil. Aeneid. lib. 12. v. 753. Ex recentioribus ZENTGRAVIVS de Gomero, Iapheti primogenito, Germanae Gentis conditore Sect. 3. §. 12. p. 18. Et F. P. PEZRON apud LEIBNITIVM in collect. etymologicis part. 2. p. 65. seq. vbi notabiliter: *Il n'est pas étonnant, que la langue Latine soit si remplie de mots Celtiques ou Gaulois. Car les Ombriens, qui etoient des plus anciens peuples d'Italie, et qui étoient voisins et souuent meslés auec les Aborigines, étoient de vrays Gaulois. Aussi sont ils appellés par les anciens PROPAGO GALLORVM.*

o) Ital. Antiq lib. 2. c. 4. §. 1.

p) Hist. natur. lib. 3. c. 5. pag. edit. Froben. 38.

ſenſu etiam ille accipiendus eſt. Impugnati, fateor, a Pelaſgis, ſed nunquam expugnati, inuaſi quidem, ſed neutiquam victi fuerunt. Audiamus optimum Romanae antiquitatis commentatorem. q) Pelaſgorum quidam, ille inquit, *ad mediterranea ſe converterant, ſuperatis Italiae locis montanis, atque in Vmbrorum, Aboriginibus finitimorum, regionem peruenerant. Nam et multa alia Italiae loca Vmbri incolebant, atque haec gens erat cumprimis ampla et antiqua. Initio igitur Pelaſgi agros occuparunt, in quibus primum ſedes fixerunt et quaedam Vmbrorum oppidula ceperunt. Sed quum ingens exercitus contra eos conueniſſet, hoſtium multitudine territi diſceſſerunt et in Aboriginum regionem ſe contulerunt.* Imo et ipſis Romanis Vmbrica gens admixta; quos cum Tirrhenis, antequam aucta fuit Romanorum poteſtas, diu conſtat de principatu contendiſſe. r)

§. III.

Ligures, itidem populus Italiae antiquiſſimus, Vmbris finitimi, praeſertim Liguriam inter Macram et Varum amnes et mare Liguſticum Padumque fluuium ad Pacentiam, itemque Galliae partem ad Rhadanum vſque porrectam poſſederunt. s) Caput gentis fuit *Genua*, quaſi *Ianua*, nunc *Genoua*, nobilis atque libera Italorum Reſpublica. Ligures hi tantae vetuſtatis ſcriptoribus Romanis olim fuere: vt

q) DIONYSIVM Rom. Antiq. lib. 1. c. 2. p. m. 21.

r) Vid. STRABO Geogr. lib. 5. p. m. 149.

s) Celtis itaque proximi fuere Ligures, partem Alpium poſſidentes Apenninis montibus contiguam, et in ipſam Galliam ſe diffundentes; quod DIONYSIVS R. A. lib. 1. c. 2. p. m. 12. etiam innuit: *Ligures multas Italiae partes habitant, Galliae etiam quaedam incolunt.*

vt ipſos Aborigines non dubitarint vocitare iſtorum colonos: quod paulo ſuperius DIONYSII verbis indicatum fuiſſe memini. De aduentu eorum coniectura haud quidem difficilis eſt: quod cum Celtis eadem fere iſtis tabernacula, eadem conſuetudo, idem vitae genus, barbaries eadem. *t*) Patria aſpera vitam agebant duram, laboribus natura aſſueti. Mulieres opera perferebant virorum, quibus Salyes Galli, Celtici generis, vt ouum ouo, moribus cultu et ſermone omnino ſimiles fuere. *u*) Iſtius quoque gentis feminas ad operam locatas, ſi peperiſſent, ad foſſionem et ſarculum ſtatim rediiſſe, auctores paſſim tradiderunt. Venationibus vt plurimum vacabant, captisque feris, fructuum ſuſtinebant inopiam. Raro iacebant ſub tecto, vel in tuguriis; plures ad caua ſaxa et ſpeluncas, natura factas, diuertebant: vti corpora tegantur. Mulieres virorum, Viri ferarum habebant robur viresque. Corpora operiebantur ſcuto longo, veſtita ferarum pellibus etc. *x*) Sentio quidem nobis STRABONEM *y*) oblo-

 qui,

t) Vid. STRABO Geogr. lib. 2. p. m. 88.

u) FLORVS lib. 2. c. 3. diſerte *Salyos* appellat *Ligures:* vt et PLINIVS lib. 3. cap. 5. confer. CLVVERIVS Ital. Antiq. lib. 1. cap. 7.

x) Plura vide apud DIODORVM SICVLVM lib. 5. c. 39. STRABONEM Geogr. lib. 4. p. m. 139. et 140. Etiou. BOEMVM AVBAN. TEVTONICVM de omnium gentium moribus legibus et ritibus lib. 3. cap. 20.

y) Geog. lib. 2. p. 88. τῶν Ἄλπεων ἅ ἐστιν ὄρη σφόδρα ὑψηλά, περιφερῆ ποιοῦντα γραμμήν, τὸ μὲν κυρτὸν ἔστραπται πρὸς τὰ λεχθέντα τῶν Κελτῶν πεδία καὶ τὸ κέμμενον ὄρος. τὸ δὲ κοῖλον πρὸς τὴν Λιγυστικὴν καὶ τὴν Ἰταλίαν. ἔθνη δὲ κατέχει πολλὰ τὸ ὄρος τοῦτο κελτικὰ, πλὴν τῶν λιγύων. οὗτοι δ' ἑτερόεθνεῖς μὲν εἰσι παραπλήσιοι δὲ τοῖς βίοις. *Alpibus, qui ſunt celſiſ-*

qui, et Ligures alia deriuare quauis incerta gente. Sed nititur falsa hypothesi, qua Porcius Cato, C. Sempronius, et multi alii apud DIONYSIVM, istos fuisse ex illis Graecis, qui quondam in Achaia habitarant, et multis ante bellum Troianum aetatibus inde migrarant. Quae sententia tamen, vt supra, vbi de Aboriginibus sermo erat, pluribus commonstrauimus, optimo historico valde suspecta, vt satius putaret, patriam eorum statuere incertam. z) Nihil ergo videmus obstare, tot argumentis iamiam adstructis, quin Ligures eadem Celto-Scytarum gente, solidissimo innixi fundamento, deriuare queamus. Ligures deinde, in varia nomina Taurinorum, Salassorum, Lepontiorum et Euganeorum diuisi, per Italiam se vltro citroque extenderunt. a)

§. IV.

Ausones, qui et *Aurunci*, et *Osci*, et Graecis *Opici* dicuntur, ab *Ausone*, Atlantis filio, diu ante Pelasgos atque Oenotros in Italiam deducti, ipsi regioni Ausoniae nomen dederunt. Vnde VIRGILIVS b) de Lauinia nubili:

Multi illam magno e Latio, totaque petebant
Ausonia: — — — — —

Rur-

celsissimi montes, circumuexam lineam facientibus, curua eius pars dictis Celtarum campis et Cemmeno monti obuertitur, canum Liguriae et Italiae. Mons ille multas gallicas gentes continet, demtis Liguribus. Hi quanquam alius sunt nationis, vitae tamen vtuntur eadem ratione.

z) DION. HALICARN. Rom. Antiq. lib. 1. c. 2. p. m. 12. et 13.

a) Confer. CLVVERIVS Ital Antiq. lib. 1. cap. 8. seq. BVNO obseruat. ad Introd. Geogr. Cluuerianam lib. 3. c. 33. p. m. 289.

b) Aeneid. lib. 7. v. 54.

Rursum: *c*)

O fortunatae gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quae vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?

Illi praecipue Campaniam incolebant, et magno nunc Latii nomine comprehenduntur. Lingua eorum a ceteris Romanis atque Graecis toto coelo diuersa fuit. Ideoque *Brutii*, Ausonum propago, vocantur apud ENNIVM *bilingues Brutates*, quod Osce et Graece consueuerint loqui. *d*) Et FESTVS *e*) ex quinta Titinii fabula dictum citat: *Qui Osce et Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt.* Existimant quidam verba impudica elataque ab his populis quoque obscoena dici: quod spurcis libidinibus Osci quam frequentissime vterentur. *f*) Sed tamen hoc verum esse, neque FESTVS *) se patitur adduci: cum apud antiquos obscoena dicta sint, quae mali ominis habebantur. Ita VIRGILIVS **) *harpias* vocat *obscoenas volucres.* Idemque nec

c) Aeneid. lib. II. v. 251. Et FESTVS in hac voce: *Ausoniam appellauit Auson Vlyssis, et Calypsus filius eam primam partem Italiae, in qua sunt vrbes Beneuentum et Cales. Deinde paulatim tota quoque Italia, quae Apennino finitur, dicta est Ausonia ab eodem Duce, a quo etiam conditam fuisse Aruncam vrbem ferunt.*

d) Vid. FESTVS in voce *Bilingues.* *e*) in voce *Oscum.*

f) Vid. ERASMVS Adag. Chiliad. 4. cent. 4. n. 81. *Osce loqui.* Confer. Doctiss. Iuuenis IOH. BVXTORFI specimen praelectionum canicularium lect. 2. ad verba Horatii: *Messi clarum genus Osci.*

*) L. c. **) Aeneid. l. 3. v. 262.

Sed votis precibusque iubent exposcere pacem,
Siue deae, seu sint dirae obscoenaeque volucres.

Aeneid.

nec erubuit †) *obſcoenam* dicere *famem*. Quoquo ſe res habeat modo, populi iſti, nec abſque ratione, ipſi Doctiſſ. Dn. RYCKIO g.) Scythicae originis eſſe videntur. Ab his dein aliae atque aliae deſcenderunt gentes, *Sidicini*, *Sabini*, *Samnites*. Porro ex Sabinis *Veſtini*, *Marucini*, *Peligni*, *Marſi*, *Hernici*, *Aequi*, *Piſcenſes*. Ex Samnitibus *Lucani*, *Hirpini*, *Campani*, *Frentani*. E Lucanis *Bruttii*. E Campanis *Mamertini* &c. Sed iſtos ſigillatim ea ſerie proſequi, longum foret. *h*)

CAPVT

Aeneid. l. 12. v. 876.
-- -- -- Ne me terrete timentem,
Obſcoenae volucres: alarum verbera noſco,
Lethalemque ſonum: nec fallunt juſſa ſuperba
Magnanimi Iouis. -- -- -- -- -- --

†) Aeneid. l. 3. v. 367.
Prodigium canit, et triſteis denunciat iras;
Obſcoenamque famem: quae prima pericula vito.

g) Elegantiſſ. diſſert. de primis Italiae colonis et Aeneae aduentu cap. 2. Confer. PEZRON ad LEIBNITIVM in coll. etym. part. 2. pag. 66. Vbi inter alia: *Les Oſques ou Opiques, en Latin Oſci et Opici, étoient pareillement Celtes d'origine: et l'on peut aſſurer; que leurs fables appellées Atellanes, qui ont tant plû au peuple Romain avec les Carmes Saliaires ou Saturniens, qui vepoient des Ombriens et des Sabins ont rempli de mots Celtiques la langue latine.*

h) Plur. vid. CLVVERIVS Ital. Antiq. lib. 3. cap. 9.

CAPVT VIII.

De priscis Italiae colonis, qui e Graecia et aliunde traiecerunt.

§. I.

Ad Graecorum colonias transitione facta. 2. *De Pelasgis agitur.* 3. *De Oenotris, siue Arcadibus.* 4. *De Tyrrhenis, siue Tuscis, et Rhasenis.* 5. *Euandri.* 6. *Herculis aduentus variis illustrantur obseruationibus.*

§. I.

Primos commemorauimus, quantum ex monumentis veterum nobis constat, Italiae colonos, qui ex Celto-Scythis atque Germanis pene totam illam regionem occuparunt, et sine dubio linguam secum transtulerunt suam, Germanicae dialectum satis quidem barbaram atque rudem. Vnde primitus concepta Latina, variis dein accedentibus causis polita, donec ad eam, qua nunc gaudet, gloriam magis magisque euecta in orbe Romano et literato principatum obtinuerit. Nam et Graecorum gentes post Celtas trans mare in Italiam venisse, suisque sedibus noua, et ea longe diuersa ab aliorum sermone, vocabula dedisse, et diuersimode miscuisse loquelas, quis tandem est, qui inficias ire poterit? Id quod nos nunc etiam oratione prosequi consultum putamus.

§. II.

Primo nobis obueniunt *Pelasgi*, quos ante Oenotros in Italiam venisse, Doctiss. RYCKIVS *a*) aduersus Dionysium pluribus contendit. Dicti sunt Pelasgi a *Pelasgo*

a) l. c. cap. 3.

go b) vel, quod magis credibile eſt, *ἀπὸ τῶν πελαργῶν a Ciconiis*, quod auium inſtar illarum huc et illuc paſſim vagantes, curſu et peregrinatione laetari viderentur. *c*) Pro antiquiſſimis habiti ſunt Graeciae incolis, *d*) adeo, vt omnes Graecorum populi Pelaſgos maiores ſuos praedicent. Sic Iones, ante aduentum Danai et Xuthi in Peloponneſum, Pelaſgi dicebantur, et ab Ione, Xuthi filio, Iones tandem dicti ſunt, ſi HERODOTO *e*) fidem habere velimus. Idem Athenienſes docet eſſe gentem Pelaſgicam, et olim Pelaſgorum lingua vſos: quare cum illam barbaram vocat, et in Graecam mutatam, vult tantum vſu et ſtudiis excultam et politiorem factam. *f*) Ipſi Arcades, qui ſe *προσελήνυς* autumabant, ſuam a Pelaſgo originem ducunt. *g*) Imo et tota Peloponneſus, *h*) et Graecia ipſa olim Pelaſgia dicta fuit. *i*) Pelaſgi ergo Theſſalia a Deucalione pulſi,

b) SERVIVS ad 2. Aeneid. *Pelaſgi a Pelaſgo terrae filio, qui in Arcadia genitus, vt Heſiodus tradit.* Confer. huius diſſert. cap. 2. §. 2. Pelaſgi Reges memorantur apud VIRGILIVM Aeneid. l. 1. v. 624. Pelaſgus vero, Archiuorum Rex, primus templum Ioui Olympio conſtituiſſe dicitur. Vid. HYGINVS fab. 124. et 225. ROSINVS antiq. Rom. l. 4. c. 16.

c) STRABO Geogr. lib. 5. DIONYSIVS Antiq. Rom. lib. 1. c. 2.

d) DIONYSIVS l. c. τὸ τῶν Πελασγῶν γένος ἑλληνικὸν ἐκ Πελοποννήσου τὸ ἀρχαῖον. *Pelaſgorum genus Graecum eſſe, et ex Peloponneſo antiquiſſimam duxiſſe originem.*

e) HERODOTVS lib. 7. Confer. huius diſſert. cap. 1. §. 13.

f) Idem lib. 1. Confer. STEPHANI MORINI Diſſert. p. 6.

g) APOLLODORVS l. 3. PAVSANIAS in Arcadia. MORINVS l. c.

h) STEPHANVS in Peloponneſo. STRABO Geogr. lib. 5.

i) HERODOTVS lib. 2. Sic *claſſis Pelaſga* pro Graeca dicitur apud OVIDIVM Metamorph. l. 13. v. 268. vbi Vlyſſes confutat id, quod

pulsi, partim Cretam, partim Cycladum insulas, partim Hestiotidem, partim Bocotiam, partim Phocidem et Eubaeam, partim Asiam et maritima circa Hellespontum loca, Lesbon inprimis occuparunt. Sed maxima eorum pars ad Dodonaeos, consanguineos suos, commigrarunt. Vbi cum aliquantisper commorarentur, ac prae multitudine amplius non posse vitam sustentare viderent: Adhibito oraculo responsum acceperunt, vt Italiam peterent, ad hunc modum:

Στείχετε μαιόμενοι Σικωλῶν Σατορνίαν αἶαν
Ἠ δ' Ἀβοριγινέων κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀγεῖται.
οἷς ἀναμιχθέντες, δεκάτην ἐκπέμψατε φοίσῳ,
Καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

quod de se iactauerat Aiax, solum faces Troianorum a Graecorum classe repulisse,

Quid tamen, inquit, *hoc refert, si se pro classe Pelasga*
Arma tulisse refert contra Troasque Iouemque?

Et VIRGILIVS Aeneid. l. 6. v. 498.

— — — — — — *Mihi fama suprema*
Nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgûm
Procubuisse super confusae stragis aceruum.

Graeca fides *ars* dicitur *Pelasga* apud VIRGILIVM Aeneid. l. 2. v. 106.

Ignari scelerum tantorum, artisque Pelasgae.

Breui post v. 153.

— — *Ille dolis instructus et arte Pelasga,*
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas.

Pubes Pelasga, Graeca Iuuentus, apud eundem Aeneid. l. 9. v. 154. *Vrbes Pelasgiades*, vrbes Graecae, apud OVIDIVM Heroid. epist. 9. Et Arcadia, teste PLINIO hist. natur. l. 4. c. 6. *Pelasgis* vocatur.

Ite quaerentes Siculorum Saturniam terram,
Atque Aboriginum Cotylen, vbi insula natat:
Quibus permisti decimas mittite Phoebo
Et capita Diti et patri mittite lumina.

Sic nauibus conscensis mare Hadriaticum transgressi ad Spinetium ostium Padi appulerunt, Spinamque condiderunt oppidum. Montibus Apenninis postea superatis, infestarunt Vmbros, et ab his pulsi Aboriginum terras. Neque hoc bellum fuit diuturnum, et Pelasgi apud Cutilium repente Aboriginum ex hostibus amici facti sunt. Animadverterant enim in lacu, oppido huic adiacente, natantem quasi insulam, qua de oraculum ipsis ante verba fecisse recordabantur. Eam itaque terram occupant. Aduentantibus vero cum selecta manu Aboriginibus, illis isti inermes et supplices eunt obuiam, oleae praeferunt ramusculos, fatisque expositi suis obsecrant, se neutiquam vel nunc ipsis graues, vel inimicos olim futuros, in amicitiam et regionis partem recipere velint. Cum Aborigines haec intelligerent: existimarunt, omnino parendum oraculo, et Graecorum societatem, aduersus infensos sibi hostes, commode assumendam esse: quandoquidem bello grauiter premerentur, quod tum contra Siculos forti manu gerendum erat. Foedus itaque cum Pelasgis ineunt, partemque agrorum ipsis assignant. *b*) Dicuntur vero postmodum

b) DIONYSIVS HALIC. Rom. Antiq. lib. 1. c. 2. Vnde VIRGILIVS Aeneid. l. 8. v. 600.

Syluano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Aruorum pecorisque Deo, lucumque diemque,
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.

Confer. Aeneid. l. 2. v. 83.

dum fato partim extincti, partim oraculo compulsi rursus Italiam reliquisse; Tyrrhenis vicinis eorum sedes occupantibus: et qui in Italia remanserunt, aliis seruiles operas in agro colendo praestitisse. *c)* Quamobrem M. TVLLIVS etiam Pelasgos pro rusticis ponit. *d)* Nec mirum. Fuerint enim plus quam gentes aliae vllae vnquam ad migrationem procliues: adeo, vt ab Atticis etiam πελαργοὶ nominarentur, quod vagari ciconiarum more hinc inde consueuerint. *e)*

§. III.

Oenotri, siue *Arcades*, Duce Oenotro, Lycaonis filio, qui, patrio regno inter XXII. fratres diuiso, patrimonii portione non contentus, Peloponnesum reliquit, et classe per Ionium mare in Italiam traiecit, septendecim aetatibus ante bellum Troianum. Atque adeo occuparunt vltimam Italiae partem, siue magnae Graeciae tractum, qui inter Lametinum et Scyletinum sinus extenditur. Haec terra posthaec nomine eorum *Oenotria* dicta est. Ita VIRGILIVS *f)*

 Hinc

c) Vid. STEPHANVS BYZANTIVS de vrbibus in voce χίος. Confer. LVCAE HOLSTENI viri clarissimi ad eundem notae et castigationes, ibid. pag. 357.

d) De finibus lib. 2. cap. 4.

e) STRABO Geogr. lib. 5. ISIDORVS Orig. lib. 9. cap. 2. *Pelasgi nominati, quia cum velis pansis verno tempore aduenisse Italiam visi sunt, vt aues. Primo enim eos Varro Italiam appulisse commemorat. Graeci vero Pelasgos a Ioue et Larissae filio perhibent dictos.* Confer. Cl. RYCKIVS l. c. cap. 4. et huius dissert. c. 2. §. 2.

f) Aeneid. lib. 7. v. 85. Sic Aeneid. l. 1. v. 530. totidemque verbis lib. 3. v. 163. *Est*

Hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus.
Et PAVSANIAS g) *Natu minimus*, inquit, *filiorum Lycaonis Oenotris pecunia et viris a fratre Nyctimo acceptis, classe in Italiam transmisit: a quo fuit ea terra de Regis nomine Oenotria vocata. Atque haec prima a Graecis colonia deducta.* Quae sequuntur, pro captu hominis Graeci, patria fama grasse occupati, contra vsum et clarissimum Antiquitatis testimonium sat impudica scripsit manu: *Sed neque Barbarae Gentes ante Oenotrum (vt accuratissime omnis antiquitatis memoria reuoluatur) ad externas gentes commigrasse reperiuntur.* Primam fuisse coloniam isthanc Oenotrorum a Graecis deductam, scriptores Graeci testantur ad vnum omnes, quasi fuerint de ea re satis persuasi. Hinc et DIONYSIO h) Arcades, seu Oenotri, Graecorum fuisse primi videntur, qui Italiam habitarunt. Sed pluribus ille quidem a Clariss. RYCKIO refutatur. Nec immerito. Quanquam optimus ille cetero historicus istud non tam solido fundamento, quam falsis superstruere conatur hypothesibus eorum, qui Aborigines aiunt ex Liguribus vsque Graecis fuisse, qui in Achaia quondam habitarant et multis ante bellum Troianum aetatibus inde profecti dicuntur. De quibus supra. Hoc posito: ratiocinatur et

Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque vbere glebae,
Oenotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.

Sunt vero etiam, qui hanc Italiae partem, a vini abundantia et bonitate *Oenotriam* fuisse dictam opinantur. Et Oenotri fortassis inde in Graeciam colonias transmiserunt suas. Sed licet ἐπέχειν.

g) lib. 8. p. 458. h) Rom. Antiq. lib. 1. c. 2.

et recte: (nam ille quidem homo ethnicus, et suorum quam aliorum curiosior, de origine gentium ac irruptionibus Celtarum non satis potuit esse persuasus:) Si Aborigines fuerint a Graecis deriuandi, non ab aliis istos quam ab Oenotris descendisse, qui omnium celeberrimi et antiquissimi. A Pelasgis, nec aetate, nec potentia minoribus, Graecorum colonis, oriri non potuere: quod istis coaeui ac foedere satis noto coniuncti, atque etiam in Italia non diu superstites fuerunt. Taceo Aborigines iam ante Pelasgos aduenas a longo tempore indigenarum titulo celebrari consueuisse. Quamobrem necessario Oenotros famosam et maximam in Italia Graecorum gentem respicit, eamque primam quasi coloniam erroris incautus habere non veretur. Atque sic etiam longe alio modo Aboriginum nomen, quam ante solitus fuerat, considerare debuit: id non ab *origine* deriuans, quod fuerint indigenae, sed a *montanis*, quibus Oenotri ab initio vtebantur. Eam vero sententiam supra dudum reiecimus. Neque ipsimet sibi satis constat ingenuus scriptor, qui non tam malitia, vel partium studio, quam summa grassaque omnium rerum ignorantia, fortassis aliquid humani passum fuisse, haud obscure fatetur. *Quae ab antiquis*, ille alibi inquit, *) *poëtis et fabularum scriptoribus de sedibus et genere Oenotrorum scriptis sunt prodita, haec sunt; quae ego secutus, si vere* (quod tamen ab initio, si non aperte negauerat, valde sibi tamen testatus fuerat esse dubium) *Aboriginum gens graeca fuit, vt Cato et Sempronius multique alia dixerunt, horum Oenotrorum progeniem eam fuisse credo. Pelasgos enim et Cretenses aliosque, qui Italia habitarunt, posterioribus temporibus eo venisse*

*) Rom. Antiq. lib. 1. c. 2.

venisse comperio. etc. Oenotrorum coloni fuerunt *Peucetii* a Peucetio, Oenotri fratre, oriundi: *i*) et *Chones*, siue *Chaones*, qui Metapontinum et Siriten agros incolebant; teste Antiocho apud STRABONEM. *k*)

§. IV.

Tyrrheni l) qui etiam *Etrusci m*) et *Tusci n*) et *Rhasenae*

i) DIONYSIVS l. c. *k*) Geogr. lib. *6*.

l) *Tyrrheni* ab aedificiis munitis, quae ab his omnium eorum, qui in his regionibus habitarunt, primo fuerunt extructa. Nam vt apud Graecos, ita etiam apud Tyrrhenos aedificia, quae in vrbium moenibus aedificantur, quaeque tecta sunt, τύρσεις i. e. *turres* appellantur: vt DIONYSIO placet Rom. Antiq. lib. 1. c. 3. p. m. 3. Alii a Tyrrheno, Atyos filio, eorum duce, id nominis acceptum ferunt.

m) Ab *Etruria* in qua olim habitarunt; quam regionem ego tamen ab ipsis Tyrrhenis vel Tuscis prius ita dictam fuisse coniicio.

n) Vel a *Tusco* Rege Herculis filio vel a sacrificandi studiosis, ques Graeci θυσκόοι vocant. Tusci enim diuini cultus et sacrorum ministeriorum peritia caeteris fuerunt excellentiores. DIONYSIVS l. c. p. 35. FESTVS in voce Tusci. ISIDORVS orig. lib. 9. c. 2. et lib. 14. c. 4. SERVIVS in Virg. Aeneid. l. 2. *Tuscia Lydis originem ducunt. Nam Lydus et Tyrrhenus duo fratres, cum eos prouincia vna non ferret, in sortem miserunt, vt diuisis copiis proficisceretur vnus ad nouas sedes quaerendas. Profectus Tyrrhenus est, qui ex suo nomine Tuscos Tyrrhenos appellauit. Lydia autem dicta est, in qua frater manserat. Tusci autem a frequentia sacrificii dicti sunt, i. e.* ἀπὸ τοῦ θύειν. Sed Tusciae nomen recentius est, neque Augusti aetate obtinuit; verum longe post Plinium tandem coepit, vt VOSSIVS obseruat de vitiis sermonis Latini l. 1. c. 7. *Tiberis Tuscus* est apud VIRG. Georg. l. 1 v. 499. *Amnis Tuscus* apud OVID. de arte amandi lib. 3. v. 386. *Tusci turba impia vici* apud

Jenae o) vocantur, primo consederunt trans Apenninum ab vtraque Padi ripa; vnde a Gallis pulsi intra Apenninum, mare inferum et Tiberim Macramque amnes, adeoque mediam Italiae latitudinem ab vtraque parte Apennini inter Ligures et dextram Tyberis ripam ab Vmbris atque Pelasgis huc vsque habitatam occuparunt. De origine eorum non idem omnes sentiunt. Quidam eos (1.) Italiae indigenas credunt. (2.) Quidam eos dixerunt Tyrrheno Duce, Herculis filio, ex Omphale Lyda prognato, venisse in Italiam, atque Pelasgos ex vrbibus non omnibus, sed iis tantum, quae trans Tiberim erant, et quae ad septentrionem spectabant, eiecisse. (3.) Alii Tyrrhenum Telephi filium fuisse tradunt, & post Troiam captam in Italiam traiecisse. (4.) Hellanicus Lesbius dicit, Tyrrhenos, qui ante vocabantur Pelasgi, postquam in Italia coeperunt habitare, id nominis assumsisse, quod nunc habent. (5.) Myrsilus vice versa Tyrrhenos ait post patriam relictam in ipsis suae profectionis erroribus, nomine mutato, Pelasgos appellatos, ob quandam similitudinem auium, quae πελάργοι i.e. Ciconiae vocantur. Omnium vero (6.) receptissima opinio est, vtut ea Dionysio fabulosa videatur, Tyrrhenos genere Lydos esse, ita nominatos a Tyrrheno coloniae duce, qui iam pridem ex ea regione migrauerint, quae olim Maeonia vocabatur. Heic Lydus et Tyrrhenus filii ex Aty Rege et Callithea Choraei filia nascebantur: quorum

R

apud HORAT. sermon. l. 2. satyr. 3. v. 228. Artem diuinandi CICERO ad famil. l. 6. epist. 6. *Tuscam disciplinam* vocat. Sic ab *Tusco Tusce* Varro deducit apud GELLIVM noct. Attic. l. 2. c. 25.

o) Semet ipsos ita a quodam eorum duce Rasena nominaruat. DIONYS. l. c.

rum alter paternum regnum accepit terramque ſuo nomine Lydiam appellauit; alter vero Tyrrhenus ille, fame ac ſorte coactus, magnam Italiae partem occupauit ſociisque profectionis ſuae hoc Tyrrhenorum nomen impoſuit. *p*) Sed tamen DIONYSIVS *q*) traditionem iſthanc multis modis impugnat: 1. quod Xanthus Lydius, qui priſcae hiſtoriae, ſi quis alius peritus, quique Patriae hiſtoriae auctor, nullo alio habitus ſit inferior, ſcriptis ſuis nullibi Tyrrhenum Lydorum principem nominat; neque vllam Maeonum coloniam in Italia appuliſſe meminit, neque vllam Tyrrheniae tanquam Lydorum coloniae mentionem facit: quamuis alia multa ignobiliora ac leuiora memoret. Lydum vero et Torybum Atyos filios fuiſſe dicit, et ambos regno paterno inter ſe diuiſo in Aſia remanſiſſe. etc. 2. Quod linguam cum Lydis nullatenus communem habeant. Neque 3. etiam dicere liceat, eos quidem non amplius ſimili vernacula vti, ſed tamen alia quaedam antiquae patriae indicia ſeruare. Nec enim eoſdem Deos, quos Lydi, colunt, nec legibus, nec vitae ſtudiis ſimilibus gaudent. Quare tandem ipſi, qui gentem iſthanc non aduenam, ſed indigenam fuiſſe dicunt, veritati propius accedere videntur. Collatis Doctiſſ. RYCKII animaduerſionibus, iudicium penes eruditum Lectorem eſto. *r*) Tyrrhenos *Galli*, natio Germa-

p) Haec communis omnium perſuaſio eſt, vti etiam in hac re valde conſpirant HERODOTVS HALIC hiſtor. lib. 8. c. 94. STRABO Geogr. lib. 5. VIRGILIVS Aeneid. lib. 2. verſ. 781. et ibi SERVIVS, cuius verba ſupra citauimus. l. 8. v. 478. PLINIVS hiſt. natur. lib. 3. c. 5. Ipſi Tuſci apud TACITVM Annal. lib. 4. c. 65. FESTVS in voce *Turrheni*. ISIDORVS Orig. lib. 14. c. 4. apud GOTHOFREDVM p. 1170.

q) Antiq. Rom. lib. 1. cap. 3.

r) Plur. vid. apud CLVVERIVM Ital. Antiq. lib. 2. cap. 1.

Germanica, Alpes transgressi, Prisco Tarquinio Romae regnante, vel circa id tempus, sedibus eiecerunt suis, atque in illis locis Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergamum, Tridentum, Vicentiam, ceteraque loca condiderunt. *s)*

§. V.

Alia Graecorum classis LX. ferme annis ante bellum Troianum his Italiae nostrae oris appulit. Scilicet *Euander*, Mercurii et nymphae Arcadicae cuiusdam Carmentae *t*) filius, ab Arcadiae vrbe Palantio cum exigua manu, duabus vecta nauibus, transfretauit. Coloniae deducendae occasionem praebuisse dicitur seditio populi in Palantio exorta, vbi postquam altera factio succubuit, illa inde migrans patriam sua sponte reliquit. In Latio tum

 Fau-

s) LIVIVS histor. lib. 5. cap. 33. 34. seq. IVSTINVS lib. 20. c. 5.

t) Graeci eam *Themin* appellant, numine diuino afflari et agitari solitam. Romanis patrio sermone *Carmenta* vocatur, quod carminibus i. e. oraculis, vel responsis, carmine proditis, inclaruit, et vno omnium consensu in furorem et ectasin rapta euentus casusque rerum futuros populo rythmis praedixit. Hinc et OVIDIVS fastor. l. 2. v. 467.

Ipsa mone, quae nomen habes de carmine ductum.

Post pauca:

Hinc fuit Euander: qui, quanquam clarus vtroque,
Nobilior sacrae sanguine matris erat.
Quae, simul aethereos animo conceperat ignes,
Ore dabat pleno carmina vera Dei.

Vid. praeter Dionysium, ROSINVM Antiq. Rom. lib. 2. c. 17. p. m. 228. Hanc Nympham Euandri matrem SOLINVS polyhist. c. 2. *Carmentim*, et LIVIVS hist. l. 1. c. 7. *fatiloquam* appellat. Etiam *Nicostrata* vocatur, quae inuentas a se Latinas literas filium docuit.

Faunus, *u*) Aboriginum Rex, imperii fasces tenebat, qui perhumaniter istos excepit, et quantum voluerunt illis de agro suo inhabitandum dedit. Arcades vero, vt Themis, vel Carmenta, mater Euandri, diuinitus *x*) inspirata monuerat, collem a Tiberi non longe distantem delegerunt, qui in ipso vrbis meditullio nunc fere situs est. Hic paruum aedificarunt pagum, cui in veteris patriae suae memoriam nomen imposuere *Palantii*, perexigua mutatione in *Palatium* paulo post degeneratum. *y*) Euander ille, ex Peloponneso profugus, LIVIO *z*) dicitur ea loca magis auctoritate, quam imperio, rexisse: vtpote qui venerabilis vir miraculo literarum, rei nouae apud rudes artium homines inuentae; venerabilior diuinitate credita Carmentae matris, quam populus fatiloquam admiratus est, et ante

u) *Faunum* a Marte, vt aiunt oriundum, virum ad quasuis res gerendas promtum et prudentem, Romani sacrificiis quoque et carminibus, velut ex Diis patriis quendam, honorarunt. DION. l. 1. c. 3. p. m. 36. Plur. vid. ROSIN. l. c. vt alios silentio transeam.

x) Ita enim ferebant, et liceat mihi iam de superstitione gentili, ipsorum verbis loqui.

y) VARRO de Ling. Lat. lib. 4. c. 8. *Palatium, quod Palantes cum Euandro venerunt, aut quod Palatini, qui et Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt.* Eius vero deriuationem confutatam historica relatione habemus apud DIONYSIUM Rom. Antiq. lib. 1. c. 3. pag. 35. seq. IUSTINUM ex Troio Pompeio hist. lib. 43. c. 1. passim alibi. Vid. etiam GODELEVAEUS obseruat. ad Tit. Liuii hist. lib. 1. pag. 7.

z) Hist. Rom. lib. 1. c. 7. confer. DIONYSIUS R. A. lib. 1. c. 3. circa finem et ROSINUS R. A. lib. 2. c. 17. p. 229. OVIDIUS loco supra citato.

ante Sibyllarum aduentum summo loco habuit. Instrumenta quoque musica, quae lyra, et trigona, et lydi vocantur, primum Arcades in Italiam transtulerunt: cum antea homines tantum fistulis pastoralibus vterentur. Leges dederunt, vitaeque genus, quod ante maximam partem incultum ac ferinum erat, ad humanitatem et mansuetudinem reduxerunt; vt alias artes et instituta praeteream, quae illi apud hospites suos valde gratiosi Arcades ad varia commoda et vsum mortalium communem effinxerunt. Atque haec secunda Graecorum natio post Pelasgos in Italiam delata Halicarnassensi DIONYSIO dicitur sedem cum Aboriginibus communem, in praestantissimo vrbis Romanae loco positam, habuisse.

§. VI.

Paucis annis post Euandri in Italiam aduentum, noua Graecorum colonia appulit, duce illo in omni historia, aut fabula potius, celebrato *Hercule* Thebano, Iouis et Alemenae filio. *a*) Tot tantaque facinora narrantur de isto; vt Romani etiam eum in numerum Deorum relatum, inter suae gentis Diuos indigetes, sacro cultu prosequerentur. Nos vero, qui parum eiusmodi fabellis delectamur,

 eius

a) CICERO lib. 3. de nat. Deorum cap. 16. HYGIN. f. 14. 29. 155. 240. Alii. Sed [illegible] Hercules fuerunt plures; et VARRO eorum XLIV. nom[illegible]t. Omnium vero celeberrimus noster est in Graecia heros, qui paulo ante Saulis in populo Israëlitico regnum, et ante bellum Troianum vixit. Priamum enim, occiso Laomedonte, regem Troiae praefecit. Natus fuit Hercules Thebis, Amphitryone et Alcmena, vel Ioue potius et Alcmena parentibus. Spurius enim fuit. Confer. PLAVTI Amphitruo.

eius vel bene, vel male gesta suis relinquimus auctoribus, *b*) et quod huius loci est, notamus tantum, quam plurimos eorum, quos e Graecia secum duxerat, militiae pertaesos, missione impetrata, in Aboriginum tractu permansisse prope Arcades, quibus tum Euander adhuc praefuit. Impetrarunt vero collem, haud longe a Palantio distantem, qui aedificiis exstruendis aptus quam maxime illis videbatur, olim Saturnius, nunc Capitolinus vocatus, in ipsa vrbe Roma etiamnum haud incelebris locus. Qui illic relicti plerique celebrantur fuisse Peloponnesii, Troiani, Pheneatae et Epei Elidenses, qui nullo domum redeundi desiderio tenebantur amplius: quod patria eorum, in bello aduersus Herculem ducem suum gesto, direpta atque vastata fuit. *c*)

CAPVT IX.

De Aeneae in Italiam aduentu.

§. I.

Aeneae aduentus in Italiam asseritur aduersus Bochartum et qui eum sequuntur: Quorum 2. Argumenta euertuntur de vaticiniis imperii, quod penes Aeneam eiusque posteros

b) HYGINVS fab. 3. seqq. Idem de signorum coelestium historiis lib. 2. cap. 14. p. m. 68. seq. FVLGE[illegible]IVS mytolog. lib. 2. p. m. 135. seq. PALAEPHATVS de fab[illegible]sis narrationibus lib. 1. c. 25. et 37. seq. PHORNVTVS de natura Deorum c. 30. DION. HALICARN. Rom. Antiq. lib. 1. c. 4. et 5. IVSTINVS hist. ex Troi. Pomp. passim. ROSINVS Antiq. Roman. lib 2. cap. 17. CICERO passim. Alii, et qui ex recentioribus instar omnium est NATALIS COMES mythologiae l. 7. c. 1.

c) DIONYSIVS R. A. lib. 1. c. 4.

posteros futurum, perpetui. 3. *De sepulchro Aeneae in Berecyntia vrbe circa flumen Nolon.* 4 *De vrbibus fluminibusque in illa regione ab Ascanio Aeneae filio denominatis.* 5. *Num Ascanius Troiae cum imperio remanserit secundum Halicarnassensis Dionysii testimonium.* 6. *De Veneris cultu apud Romanos diu post haec tempora neglecto, quem Troiani instituissent.* 7. *De reliquorum numinum Phrygiorum cultu.* 8. *De Rhea matre diu Romanis incognita.* 9. *De noua religione a Troianis inuecta generatim disquiritur.*

§. I.

DEnique *Troiani*, Ilio ab Achaeis capto, profugi, *Aenea* duce, in Italiam peruenerunt, exceptique ab Aboriginibus quaedam inter istos loca tenuere: donec regimen ipsum a Latino socero in Aeneam, eorum principem, transferretur. Id quidem firmiter adhuc creditum, et miro scriptorum consensu comprobatum fuit. *a*) Sed tamen

a) STRABO Geograph. l. 5. p. m. 158. φασὶ δὲ Αἰνείαν μετὰ τοῦ πατρὸς Ἀγχίσου, καὶ τοῦ παιδὸς Ἀσκανίου κατάραντα εἰς λαύρεντον, πλησίον τῶν Ὠστίων, καὶ τοῦ Τιβέρεως -- -- -- ἐπιλθόντα δὲ Λατῖνον τὸν τῶν Ἀβοριγίνων βασιλέα, τῶν οἰκούντων τὸν τόπον τοῦτον, ὅπου νῦν ἡ Ῥώμη ἐστὶ, συμμάχοις χρήσασθαι τοῖς περὶ τὸν Αἰνείαν ἐπὶ τοὺς γειτονεύοντας Ῥουτούλους τοὺς Ἀρδέαν κατέχοντας -- -- -- νικήσαντα δ' ἀπὸ τῆς θυγατρὸς λαουινίας ἐπώνυμον κτίσαι πλησίον πόλιν. πάλιν δὲ Ῥουτούλων συμβαλόντων εἰς μάχην, τὸν μὲν Λατῖνον πεσεῖν, τὸν δὲ Αἰνείαν νικήσαντα βασιλεῦσαι, καὶ Λατίνους καλέσαι τοὺς ὑφ' αὐτῷ. *Fama est Aeneam cum patre Anchisa et filio Ascanio Laurentum appulisse, prope Ostiam et Tiberim -- -- superuenisse Latinum Regem Aboriginum, qui tunc ea loca tenebant, vbi nunc est Roma, Aeneae auxilio vsum contra vicinos Rutulos, qui Ardeam habitabant -- -- partaque victoria Lauinium vrbem Lauiniae filiae suae cognominem*

tamen duos post hominum memoriam maximos in omni antiquitate viros, SAM. BOCHARTVM *b*) et PHIL. CLVVERIVM, *c)* neque tot tantorumque historicorum auctoritas commouit, neque pondus antiquitatis compressit, neque communis persuasio deterruit: quin isthanc Romanae vetustatis molem vanis ratiociniis suis euertere conarentur. Sed tamen ipsis et sequacibus, celeberrimo inprimis Iure consulto Romano, I. V. GRAVINAE, *d*) videtur, se rationibus solidissimis, et quasi de abstrusiori vetustate conquisitis, vti.

§. II.

nem in propinquo posuisse. Rursum autem Rutulis acie congressis, Latinum cecidisse, Aeneam victorem regno potitum, subditis suis Latinorum nomen fecisse. Confer. DION. HALIC. Rom. Antiq. lib. 1. c. 6. vbi accurate et prolixe de aduentu istorum agit, tam Graecorum, quam Romanorum, monumentis fide maxima dignis (vt ipse fatetur) innixus. LIVIVS hist. Rom. princeps lib. 1. c. 1. M. PORCIVS CATO in fragmentis, quae post se reliquit, passim. VIRGILIVS carmine epico satis prolixo. IVSTINVS ex Troio Pompeio histor. lib. 20. c. 1. et lib. 43. c. 1. SOLINVS Polyhist. c. 2. Vt innumeros silentio transeam, quorum clariss. RYCKIVS per integra duo capita, eademque satis prolixa, meminit. Conferatur etiam FESTVS in voce *Roma*, vbi plurimorum ex veteribus sententias refert.

b) Epistola singulari de aduentu Aeneae in Italiam initio scripta Gallice, mox Latine versa, quae cum Geographia eius sacra lucem aspexit.

c) Ital. Antiq. lib. 3. cap. 2. Neque veretur iste quidem regnum etiam Albanorum, Romuli, Remi septemque Regum ibid. §. 18. fabulosum et tantum non commentitium pronunciare.

d) Dialog. de Latina lingua pag. 674. Operum edit. Lips. 1717. 4to.

§. II.

Videamus ergo, ſed breuiter tantum argumenta eorum, viris hodie eruditiſſimis plurimum et maximis conatibus exploſa. Niſi, inquiunt (1.) Homeri tempore Troiae regnum in familia Aeneae eiusque poſteris perſtitiſſet, nuncquam ſummo poetae illa carmina excidiſſent: †)

Ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε κρονίων.
Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Nunc etenim Priami ſtirpem Saturnius odit.
Fortis at Aeneas in Troës ſceptra tenebit.
Et nati natorum et qui naſcentur ab illis.

Cui ſubnectunt aliud eiuſdem Homeri (ſi verus auctor eſt) ex hymno in Venerem conſcripto vaticinium. Quo inter alias rationes, quibus Anchiſen in monte Ida iacentem Venus ſollicitat ac in amorem ſui conatur abducere, vtitur quoque ea, fore vt ſuſcipiat filium, qui cum poſteris apud Troianos regnaturus ſit. Sufficiat ipſius poëtae verba tranſcripſiſſe latine: ††)

S *Tibi*

†) Iliad. l. 20. v. 306. Confer. STRABO geogr. l. 13. p. m. 418. Vbi haec verba Homeri quidem in aliud ſtatuentium partes rapi monet: ac ſi Homerus teſtetur Aeneam in Troia manſiſſe, et in regno ſucceſſiſſe, et hoc per ſucceſſionem ad filiorum filios propagaſſe; cum Priami ſtirps eſſet abolita: ſed tamen haec longe diſcrepare ab illis, qui Aeneam vſque in Italiam vagatum eſſe dicunt, et ibi vitam cum morte commutaſſe. Et variantem eſſe huius verſus lectionem: Νῦν δὲ Αἰνείαο γένος πάντεσσιν ἀνάξει. *Et genus Aeneae cunctis dominabitur oris*: ut haec potius ad Romanos referantur.

††) Hymni in Venerem v. 197.

Tibi autem carus erit filius qui Troianis imperabit,
Et filii filiis perpetuo nascentur,
Huic autem et Aeneas nomen erit.

Sed respondemus, regnum in ipsa Troade post tristem casum eamque toto orbe famosam vrbis expugnationem, continuatum vel alibi huius terrae restauratum fuisse, nullius fide digni scriptoris testimonio, vel alio quodam monumento commonstrari potest: vti Aeneas eiusque posteri, extincta Priami domo, in regione sua perstitisse aliquatenus saltem dici queant. Ideoque et hoc Veneris, et istud Neptuni vaticinium, istis modo si quid auctoritatis debemus, de nullis aliis Troianis interpretari licet, quam illis, qui ab Aenea in Latium deducti regno Albano originem dedere. *e*) Certe et ejusmodi vaticinia votaque, boni ominis causa quae suscipere vulgo solemus, non nisi euentu comprobantur: quae si non succedant, vt optatis respondeat fortuna, prorsus nihil valent, neque pro historica relatione habentur. Attamen alibi HOMERVS excidium fataque istius imperii disertis exprimit: *f*)

Ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή.
Tempus erit, sacra cum delebitur Ilios olim.

Rursum:

Ἦ γὰρ καὶ Πριάμοιο πόλιν διεπέρσαμεν αἰπήν
Εἴπερ βουλῇ καὶ μύθοισι.

Si Priami celsam nostris euertimus vrbem
Consiliis. - -

Πέρθετο

e) DIONYSIVS HALIC. Rom. Antiq. lib. 1. c. 6. p. m. 66.
f) Iliad. lib. 14. v. 448. Apud STRABONEM geograph. l. 13. p. m. 413.

Πέρθετο δὲ Πριάμοιο πόλις δεκάτῳ ἐνιαυτῷ.

Vrbs Priami decimo cecidit cum funditus anno.

Sic ipse Homerus non vno loco verbis clarissimis Troiae deletionem exprimit. Satis vero mirari non possumus, auctores, qui in diuersa abeunt, poëtis omnem abrogare fidem, *g*) et nihilominus ea pro partibus suis in simili eademque causa vti. Addimus vulgo notum esse, quam sublestæ fidei hymnus in Venerem citatus siet. Quod ad primum istud Neptuni vaticinium attinet, ex STRABONE *h*) saltem constat, aliter longe in aliis Iliados exemplis legi:

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο γένος πάντεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων - - -

At genus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum etc.

Quam variantem lectionem etiamnum hodie non vno Homeri exemplo animaduertere possumus. At, inquit GRAVINA.

g) De bello Troiano et excidio Vrbis et fuga Aeneae cum sociis, veritas sarta tecta manet. Quae vero Ilias ac Odyssea HOMERI de circumstantiis etiam minutissimis et variis Imperatorum gestis rebus stupendis memorat: nihil aliud sunt, quam erudita rerum fictarum farrago, quibus auctor ille, nugarum pater, ita inclaruit, vt post funera etiam septem ciuitates Smyrna, Rhodos, Salamin, Colophon, Chios, Argos, Athenae de patria ipsius contenderint. Aeneae in Italiam aduentus tantum ab vno alteroue e recentiorum turba in dubium vocatur; quem constans monumentorum fides comprobare videtur. Veruntamen quod felicissimus Homeri sectator, VIRGILIVS, de non vno eius facinore filis itidem tenuissimis texuit, vsque quo fortissimum belli ducem per Elysium nemus ad superos reduxit ea porta,

Qua falsa ad coelum mittunt insomnia manes:

Poëtae optimi dandum est licentiae. Nam et ipse falsa opinione fallitur, et fallit alios sua relatione vicissim.

h) STRABO Geogr. lib. 13. p. m. 418.

NA,†)vndenam acceperat Homerus famam eius imperii, cuius nondum fundamenta iacta erant? Vixit enim Homerus circiter mille annos ante Christum natum. Quapropter Strabo haec verba conuertit in Aeneae stirpem, quae Homeri tempore Troiae regnum obtinere credebatur. An Homerus futurum Romanorum imperium cogitatione perceperat per diuinationem poetis familiarem? Quod nemo sanus admiserit. Nemo sane. Pictoribus vero atque poetis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. Et nihil votis frequentius, quam, quibus bene cupimus, illis optare imperium ad seram vsque posteritatem, natis quoque natorum perenne. Quibus adeo nihil probari potest.

§. III.

Nec iuuat (2) quod AGATHOCLES i) dixit, complures esse auctores, qui Aeneam in vrbe Berecyntia, prope flumen Nolon, sepultum fuisse tradant. Deberent enim secum reputare, quod iam tum DIONYSIVS k) respondit: *Si quos turbat, quod multis in locis Aeneae sepulchra narrentur ac monstrentur, quum tamen nullo modo fieri possit, vt vnus et idem pluribus in locis sit sepultus, cogitent isti, hanc dubitationem communem ac vulgarem esse de multis, praecipue vero de viris, qui fortunae beneficio illustres quidem fuerunt; sed tamen vitam instabilem et vagam egerunt: et sciant, vnum quidem solum fuisse locum, qui corpus ipsorum exceperit, sed apud multos eorum monumenta erecta esse.* Atque adeo isti Heroi nostro diversis in locis, ab hominibus accepti olim beneficii memoriam conser-uan-

†) Dialogo de lingua Latina ad Emmanuelem Martinum operum pag. 674.

i) Apud FESTVM POMPEIVM in voce *Roma.*

k) Antiq. Rom. lib. 1. cap. 6. p. m. 66.

uantibus potuere quidem erecta coenotaphia quamplurima fuisse. Sed tamen ista neutiquam probabunt, eum illic sepultum asseruari: multo minus aduentum eius in Italiam refutare valent.

§. IV.

Ecquid (3) conuincit, quod aiunt, in illa regione et flumen, et lacum, et vrbem esse, quae ab Ascanio, Aeneae filio, nomina traxerunt, ut ex STEPHANO et MELA geographis cognoscere licet? Saltem BOCHARTVS *l*) sibimet ipsi aperte contradicit, alibi haec loca earundemque denominationem ab Ascenaze, Gomeri filio, deducens. Sed ponamus, et concedamus vltro, ab Ascanio ista loca vocari: nulla tamen consequentia apparet. In Troide supersunt vestigia Ascanii filii; Ergo Pater non in Italiam venit. Baculus in angulo stat: Ergo cras pluit.

§. V.

Obiiciunt (4) DIONYSIVM Halicarnassensem ex Troicis Hellanicis referre Aeneam Traciam et Pallenem fuga petiisse, Ascanium autem Troiae cum imperio remansisse. Coniecturam hinc inde non nemo faceret, tantos viros Dionysium non satis inspexisse, ceu qui omni nisu probare conatur, Aeneam reuera in Italiam traiecisse. Haud ab re erit ipsum, sed Romanorum lingua, audire: *m*) *Aeneas*, inquit, (a Graecis) *conditionibus acceptis, quas pro praesenti rerum statu optimas esse indicabat, Ascanium filiorum natu maximum cum quadam sociorum parte, quae ex Phrygibus fere tota constabat, in agrum, qui Dascyliticus vocatur, vbi est lacus Ascanius, ab illius regionis incolis ad regni administrationem accitum misit. Atque Ascanius ibi non diu mansit: sed quum Scamandrii et ceteri He-*

S 3 *Bori-*

l) Phaleg. lib. 3. c. 9. *m*) Rom. Antiq. lib. 1. c. 6. p. m. 57.

ctoridae a Neoptolemo ex Graecia dimissi ad ipsum venissent, eos in paternum regnum deducens Troiam rediit. Atque haec tantum de Ascanio traduntur. Aeneas vero cum reliquis liberis, et patre, et Deorum simulacris, classe jam parata, Hellespontum traiecit, et in proximam peninsulam nauigauit, quae in mare procurrens ante Europam iacet et Pallene vocatur. - - Opinio igitur de Aeneae fuga maxime credibilis, quam Hellanicus antiquus scriptor in rebus Troianis describendis est secutus, haec est. Imo et illis plura suppeditabo DIONYSII verbis: *n) Hic* (Aeneas) *effecit, ne Ilium captum funditus deleretur; effecit vt sociorum auxilia in eam, quae Bebrycia vocatur, salua reuerterentur, et in Phrygia filium Ascanium regem reliquit, et in suae profectionis erroribus vrbem de suo nomine condidit etc.* Ista vero omnia ne minimum quidem infringunt sententiam de aduentu Aeneae in Italia. Vel quomodo, ni forsan ratione priori, argumentari vellent: mansit in Troade filius, ergo et Pater. *o)* Vnde patet, quam solide etiam his auctoribus euicerint, Aeneae sobolem gentisque Troianae reliquias Romam traductas nunquam fuisse, nec e patrio solo discessisse.

§. VI.

Neque testibus solum, verum etiam coniecturis agere viris clarissimis placuit, quarum non paucas ex historiis sibi excitasse, videntur. Hinc (5.) obiiciunt, multis post annis, quam Roma condita fuerat, cultus Veneris apud Romanos tandem receptus est. *p)* Qui cultus profecto, si Aeneas Italiam petierit, cum ipsis Romae natalibus coaluisset. Attamen

n) l. c. p. 67. *o)* Confer. omnino RYCKIVS differt. elegantiss. de primis Italiae colonis & Aeneae aduentu c. 12. §. 25-27.

p) MACROBIVS Saturn. l. 1. c. 12. Conf. SOLINVS polyhist. c. 8.

tamen nullum in Roma veteri cultus istius vestigium apparet, ac Veneris nomen sub Regibus ne quidem auditum est. †) Ecquis vero non videt, haec fabula niti, quae vulgo narrari de Venere, matre nobilis Troiani nostri, Aeneae; sed quae olim et nunc etiam multis persibilari consueuit. Adeoque risum magis, vel commiserationem, quam viri alicuius docti fidem merentur. Nec enim ipse Aeneas, dum inter viuos erat, tam insanus vnquam fuisse videtur, vt ab immortali Dea se hominem, eundemque miserum et mortalem, iactitauerit esse procreatum, aut sibimet ipsi cultum in Italia, Sicilia, et alibi constituerit. Vel, si eo dementiae peruenisset, quidni patrem, longe nobiliorem matre, exantlatis laboribus, fatisque defunctum canonizauerit (vt ita barbare loquar) et in numerum Deorum retulerit? Sed leuia vanaque vtplurimum eiusmodi argumenta ipsum auctorem feriunt, et frustra nobis negotium facessunt.

§. VII.

Huius furfuris est quoque (6.) quod aiunt, si Romanam gentem Aeneas condidisset, Phrygiorum numinum cultum, et praecipue matris suae *Veneris* ac *Apollinis* religionem instituisset: quippe locum principem Apollo inter Troianos Deos obtinuerit. Istius vero cultus Romanorum antiquissimis innotuerat nunquam. Neque enim a Numa, teste Arnobio, in Deorum numerum relatus inuenitur.

§. VIII.

†) Confer. GRAVINA l. c. oper. p. 675. Hinc SCALIGER reprehendit Ennium, quod dixerit: *Te nunc sancta Venus precor, et genetrix patris nostri.* Sed fallitur in eo, quod addit in eruditissimis ad Festum notis, Venerem, quod a peregrinis regionibus venerit, hoc nomen habuisse.

§. VIII.

Et (7.) nulla maior apud Troianos, quam *Rheae matris*, e Creta cum Troianae gentis auctoribus in Phrygiam translatae, religio. At ea non ante vrbis DL. annum Diis Romanorum adſcripta fuit: quo tempore, monente oraculo, Rheae ſimulacrum, Attali Regis permiſſu, Romam inde aduehebatur. Sed ne quid amplius eiuſmodi coniecturas refutarem: eas ſimul et ſemel, peculiari diſſertatione Dn. RYCKIVS, ille iam ſupra nobis aliquoties laudatus, et copioſe, et ſolide, et docte perſibilauit dudum tanto argumentorum apparatu, vt vix illis aliquid addere liceat.

§. IX.

Id ſolummodo nobis adhuc ſubiungere placet, quod inde per legitimam conſequentiam deducere poſſumus: Aeneam cum perexigua manu in Italiam veniſſe; qui a natione Germanica, vt ſupra vidimus, ſimulacrorum et imaginum experte, Aboriginibus videlicet adoptatus, minime gentium inuehere nouam religionem, vel quod hoſpites eorum adeo auerſabantur, publice proponere aliiſue commendare, niſi cum maximo detrimento ſuo, potuiſſet. Iſtud vero hominem politicum, ſuperſtitioſae religionis non ita curioſum, etiam cum ſceptra teneret, inſtituere auſum fuiſſe, mihi admodum credibile non eſt. Sed tamen alii, nullo quidem fundamento vel aſſerti ratione affirmant, ſimulacra Deorum fuiſſe in Latium ab Aenea primum allata. Quod ſi vel maxime iſtis concederem: nihil certe video aduerſus noſtram ſententiam moliri. Conſtat vero ex VARRONE, cuius teſtimonium AVGVSTINVS, et poſt eum alii citant, Romanos Deorum imaginibus annos CLXX. caruiſſe: non quod eas vel amiſerint, vel, vt aliorum

liorum opinio fuit, eiecerint; ſed quod ab initio iſtas vel ignorauerint, vel cognitas etiam prae reliquis aegre tulerint. *q*) Nec, quod ex PLVTARCHO accepimus, Numa ſimulacrorum cultu populo interdixiſſet, ſi animos ea religione imbutos inueniſſet. Quod totidem verbis CLEMENS ALEXANDRINVS refert. Poſito etiam eiuſmodi aliquid Aeneam inſtituiſſe, vel tentare id ſaltem in animo habuiſſe: *r*) eo tamen magis mirum nobis videtur, clariſſimos viros DIONYSIVM, optimum vtriuſque regionis antiquitatum commentatorem, non ſatis inſpexiſſe: *s*) vbi ille, *multi alii* ex Graecis iſtis, inquit, *inter barbaros degentes exiguo temporis ſpatio omnes Graecorum mores et linguam dedidicerunt: ita vt neque Graece loquantur, neque amplius Graecorum inſtitutis vtantur, neque eoſdem Deos putent, neque leges, aequitatis plenas, ſeruent.*

CAPVT X.

De Latinae Linguae poſt diuerſarum gentium irruptionem ſucceſſu et mixtura.

§. I.

Recentiores in Italia cum Germanorum, tum Graecorum, non attendi colonos. 2. *Sed ex demonſtratis originem Latinae linguae Germanicam fluere.* 3. *Hanc ſenſim ſenſimque commiſceri aliis.* 4. *Quae ad originem nihil faciunt.* 5. Lin-

T

q) Vide huius diſſert. cap. VI. §. 9. num. 8.

r) Vnde VIRGILIVS Aeneid. lib. 1. v. 10.

Inferretque Deos Latio: genus vnde Latinum.

Et verſ. 72. ſeq. Iunonis ad Aeolum vox:

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat aequor,
Ilium in Italiam portans victosque penates.

s) Rom. Antiq. lib. 1. c. 11. circa finem.

Linguis omnibus eiusmodi mixturam esse communem, vbi vocum non aduenarum, sed primarum habetur ratio. 6. Latinae linguae denominatio et successus examinatur.

§. I.

HActenus per aliquot capita prolixe, et, quantum quidem licuit, clàre de primis Italiae colonis egimus. Recentiores Gallorum, quos generaliori nomine vocant, expeditiones ne quidem commemorare opus est: vtpote quae satis LIVIO aliisque Romanae historiae commentatoribus decantatae: quibus adeo etiam omnes de veteri geographia tractatus toti pleni sunt. *a*) Ita quoque Graecorum coloniae tractu temporis aliae magis magisque aduenerunt: a quibus pars tandem Italiae infima, nomen magnae Graeciae sortita est. *b*) Quoniam vero isti recentiores populi ad scopum nostrum et linguae Latinae originem ne hilum quidem faciunt, vix ac ne vix quidem in censum venire debent. Forsan alibi nobis, ipsam Graeciam, cuius supra memini, Latinae linguae magistram, specialiori modo, in eiusdem pueritia et adolescentia, considerandi facultas et copia dabitur. Cetera, si clementiss. Numen vitam nobis viresque concesserit, omnia ordine et maiori studio pertractare animus est. Et haec incepta prospera esse tandem futura nulli dubitamus.

§. II.

Nunc de Latinae linguae origine tantum, quam dicat modo aliquis, et dicat sine praeiudicio aut sensu, re non

a) Vid. e recentioribus MARTINVS CRVSIVS in Annal. Sueuicis lib. 2. part. 1 c. 1. 2 et 3 CLVVERIVS Ital. Antiq. CELLARIVS notitia orbis antiq. Alii.

b) ISIDORVS Orig. lib. 14. c. 4. et CLVVERIVS Ital. Antiq. lib. 1. c. 1. §. 11.

non ſatis clare et diſtincte percepta, paulo citius occupato, cuinam genti prae reliquis tribuenda iuſto veniat. Sine omni dubio antiquiſſimis Italiae populis, qui aduenere primitus et ampliſſimum ſucceſſu temporis imperium conſtituerunt. Aborigines innuo. Sed illi, quod hactenus ſolidiſſimis, ita ſaltem mihi perſuadeo, ac pluribus argumentis commonſtratum iuimus, Celticae originis, et Germani fuere. Origo per conſequens Latinae linguae Germanica. Quanquam inuaſiones ſuas poſtmodum fecerint alii, qui vt acceſſerunt ex regionibus diuerſis, diuerſas etiam vel linguas, vel dialectos, loquebantur: *c*) ea tamen Aboriginum, quam nunc Latinam vocamus, praeualuit omnibus, et valde celebris et ampla fuit. Haec eadem temporis ſucceſſu magis magisque exculta, tum etiam abolitis ſenſim aliorum linguis, et inualeſcente Romanorum potentia, longe lateque propagata, tandemque per omnem Italiam et vlterius per ceteras eorum prouincias diffuſa, omnium ore audita fuit. *d*)

§. III.

Lubens ego quidem fateor, et ipſe iamiam prolixior in eo fui, quod Graecorum plurimi in Italiam peruenerint: maxime Aeneas ille a Latino, Aboriginum Rege, adoptatus et imperii denominatus ſucceſſor. Lubens ego quidem fateor, quod Romae aperto aſylo, victisque hoſtibus, a Romulo, primo Romanorum Rege, liberaliter data ciuitate, plurimi Graecorum coloni cum Aboriginibus atque Latinis in ipſa vrbe confluxerint. Quibus vtique

 non

c). Vid. VARRO de L. L. lib. 4. ſ. 6. SVETONIVS in Auguſto c. 97. Tiberio c. 1. MACROBIVS Saturnal. lib. 1. c. 15. FESTVS paſſim. CLVVERIVS Ital. antiq. lib. 1. c. 6. §. 6.

d) Confer. CELLARII diſſert. de fatis L. L. §. 5. 6. et 7.

non potuere non multa hinc inde Graeca immifceri Latino, et tractu temporis, vel confuetudine et vfu recipi, et in ipfam Latinitatem degenerare. †) Atque adeo etiam pofteriori aetate lingua noftra e Germanico - Latina barbarorum (ita enim iuxta fe nationes alias Graeci vocant) et Graecorum politiori commixta quaedam prouenit: ita tamen, vt vix ac ne vix quidem Graecae habita fuerit ratio. Praeftat in hac caufa ipfum DIONYSIVM e) folertiffimum Romanae antiquitatis fcriptorem, audire: *Mirum*, inquit ille, *videri poffit, quomodo ea ciuitas penitus barbara non fuerit reddita, receptis Opicis, Marfis, Samnitibus, Hetrufcis, Brutiis et multis Vmbrorum, Ligurum, Hifpanorum et Gallorum millibus, et aliis praeterea gentibus, quae partim ex ipfa Italia, partim ex aliis locis co venerant innumerae, quae neque eodem fermone vtebantur, neque idem vitae genus fequebantur, quos et lingua et vitae genere difcrepantes, plerosque etiam in vnum per vim contractos permixtosque - - multa - - innouaffe verifimile eft. Siquidem et multi alii inter barbaros degentes exiguo temporis fpatio omnes Graecorum mores et linguam dedidicerunt: ita vt neque Graece loquantur, neque amplius Graecorum inftitutis vtantur. Romani vero fermone nec prorfus barbaro: nec abfolute Graeco vtuntur, fed quodam*

†) Omnino ex migrationibus gentium oritur linguarum commixtio: quod teftatur etiam OVIDIVS trift. l. 3. eleg 9. Prolixius ea de re difputant LAZIVS de gentium migration. l. 2. et BIBLIANDER de rat. commur, omnium ling. qui ex Trithemio magnam quoque affirmat inter Graecam et Germanicam extare confonantiam. Confer. BERNEGGERVS quaeft. 11. mifcellan. ad Tacitum.

e) Rom. Antiq. lib. 1. c. 11. circa fin. Conf. QVINTILIANVS Inftit. Orat. lib. 1, c. 5. Edit. Venet. 1546. in fol. pag. 12 et 13.

dam ex vtroque mixto, cuius maior pars est lingua Aolicae. etc. Eo quidem sensu maximis post hominum memoriam Viris, et Latinae linguae scrutatoribus grauissimis, BOCHARTO *f*) GRAVINAE *g*) FACCIOLATO *h*) CELLARIO *i*) WALCHIO *k*) aliis, quos non minus pia veneratione prosequi nobis in deliciis est, largimur facile, et confitemur vltro, Latinos linguae suae ex Graeca multum admiscuisse; imo nihil etiam patere latius, quam quod ex scholis Hellenistarum manauit: vt magna sui parte adornata et suauior facta sit ex aliena, cuius vocabula recentior Aboriginum, supra iam toties totiesque nobis decantatorum, soboles Latini, pro vario temporum cursu et ingenio variorum vario, multa inflexione et commutatione literarum in vernaculam suam transformarunt. Et hoc potissimum ab Aeolica Graecae dialecto fluxisse, optimi scriptores e terminationum et inflexionum affinitate coniiciunt.

§. IV.

Nulla vero istius habita ratione, seu quod magis ad culturam, quam ad originem L. L. pertinet, sententia nostra, pluribus ventilata, hactenus immota stat; neque Aboriginibus, primis Italiae colonis, nouae linguae Latinae primordia et natales, neque Germanis, vt veteris Latii fundatoribus, gloria parentum abrogari potest. Quemadmodum vinum dulce, idemque probatum omnibus, infusa mox permixtaque leuiori copia lymphae, vitis haud disputari potest succum atque prouentum fuisse. Vel vt clariori isthoc simili vtar, quemadmodum homo parentibus Ger-

 manis

f) Phaleg. c. 15. *g*) Dialog. de Latina lingua Oper. pag. 673.
h) Orat. Latina ling. non est ex Grammaticor. lib. comparanda. p. 13.
i) Differt. de fatis LL. *k*) Histor. Crit. Latinae linguae c. 1. p. 21.

manis et in Germania natus, inter Graecos vero diu versatus, in ſcholis Graecorum educatus, eorundemque moribus egregie imbutus; vel ideo natione Graecus dici nequit: quoquo modo etiam iſtorum genium et ingenium quotidiana conuerſatione et conſuetudine nactus fuerit: quin originem primam atque parentes natura et iure merito ſuos reſpicere ſemper debeat.

§. V.

Linguarum etenim id propemodum commune habetur, vt a vicinis mutuare voces, dictamina, loquendi modos vindicare, atque adeo ciuitate aliena ornare et ſua quaſi facere aſſueſcant. Vbi minime gentium aduenarum, ſed patriarum, et primitiuarum habenda eſt ratio vocum: vti linguam a natali ſolo et parte potiori denominare diſcamus. Nunquam Latinus in Graecum, ſed Graecus in Latinum degenerauit ſermonem, *qui praepoſitiones* in ipſo Latio abiecit, *praeter paucas omnes, et quos vocant, articulos nullos in vniuerſum aſſumit amplius. l)* Ac ipſo profitente CELLARIO *m)* Latina lingua pro Graecae dialecto haberi non poteſt; a qua innumeris vocabulis differt, quae aliunde, quam ex Graecia accepit; flexione pariter ac conſtructione ab iſta toto coelo diuerſa. Quibus adeo, ne argumentorum cumulo impingam, quod hucuſque ſatis commonſtratum eſt, heic rurſum concludo. Ipſa atque etiam L. L. origo vindicata Germanis, vnde primum Aborigines, et vetuſtiſſimi quique deſcenderunt Italiae coloni, ſarta tecta manet.

§. VI.

Vt Aborigines originem, ſic etiam cum omine nomen linguae Latinae dederunt. Siue a *Latino,* Aboriginum Rege, qui

l) PLVTARCH. in quaeſt. Platonicis ſub fin. *m)* Diſſert. de fatis L. L. §. 9.

qui tempore belli Troiani vixit, ac Aeneam fugitiuum hospitio excepit; *n)* siue a *latendo* linguam Latinam Latiumque dictitatum velis, ideo quoniam *Saturnus*, ille fabellis celebratus, heic quondam tutus latuiſſet. *o)* Haec videlicet Romanorum traditio antiquiſſima omnium auribus percrepuit, quod *Saturnus* ab ingrato filio Ioue throno remotus pulſusque in exilium, primus Italiam tentauerit. Vbi ſuſceptus in regni ſocietatem a *Iano* bifronte, quem recentiores vulgo pro *Noa*, aut *Iapheto*, altera facie priorem, et altera poſteriorem mundum reſpicientibus, habent. *p)* Quoquo ſe res habeat modo, etiam non verebantur ab ipſo *Saturno* totam regionem vocare *Saturniam: q)* vt a Rege quodam *Italo* Italiam, aut *Vitaliam* ab Hercule, quod fabulis celebra-

tur

n) Ita DIONYSIVS Rom. Antiq. lib. 1. c. 2. *Aboriginum nomen vſque ad bellum Troianum adhuc ſeruarunt, et a Latino Rege, qui belli Troiani temporibus regnauit, Latini dici coeperunt.* confer. LIVIVS hiſt. Rom. l. 1. c. 2.

o) VIRGILIVS Latium a Latendo fuiſſe denominatum ſcribit, quod illic Saturnus latuerit, cum fugeret Iouem. Aeneid. l. 8. v. 319.

> *Primus ab aetherio venit Saturnus olympo,*
> *Arma Iouis fugiens, et regnis exul ademtis.*
> *Is genus indocile, ac diſpertum montibus altis,*
> *Compoſuit, legesque dedit, Latiumque vocari*
> *Maluit; his quoniam latuiſſet tutus in oris.*

Neque ſibi contradicit Aeneid. lib. 1. v. 10.

p) Confer. de vtroque Iano et Saturno ROSINVS Antiq. Rom. lib. 2. c. 3. et 4. DEMPSTERI paralip. ibid. CHARTARI neu-eröffneter Götzen Tempel p. 16 -- 25. ALINGEN Diſſert. erudiriſſ. de origine et inuentoribus pecuniae c. 6. Ex veteribus ALBRICVS de Deorum imaginibus c. 1. et 15. FVLGENTIVS mythol. lib. 1. p. m. 128. PHORNVTVS de natura Deorum p. m. 153. HYGINVS fab. 138. 139. 54 MACROBIVS Saturnal. l. 1. c. 7. FESTVS in voce *chaos*. alii.

q) DIONYSIVS lib. 1. c. 4. conf. CLVVERIVS Ital. Antiq. l. 3. c. 1. §. 8.

tur *vitulum* ſuum proſequente, *r*) et *Auſoniam* ab *Auſonibus*, itemque *Oenotriam* ab *Oenotris. s*) Vel denique ab occidentali plaga, qua Graeciam reſpicit, *Heſperiam*, *t*) ſcriptores regionem iſthanc plus ſemel nominare comperimus. *Saturnum*, vt tradunt, filius ſequebatur *Picus*. Picum *Faunus*, Faunum *Latinus u*) ille ſocer Aeneae, cuius nomine Aborigines primum Latini coeperunt dici. Latinum exceperunt *Aeneas Troianus*, *Aſcanius*, *Syluius Poſtumus*, *Aeneas Syluius*, *Latinus Syluius*, *Alba Syluius*, *Capetus*, *Capys*, *Calpetus*, *Tiberinus*, *Agrippa*, *Alladius*, *Auentinus*, *Proca*, *Amulius*, *Numitor*, omnes *Syluii*, *x*) tandemque *Romulus*, anteceſſoris nepos, reparator vel conditor Romae, quo regni ſedem ex Alba transferebat in nouam coloniam. Abhinc adeoque Latina lingua etiam aliquando a capite gentis *Romana* audit. Poſteaquam ergo heic aperto aſylo Aborigines caeterique Italiae populi in vna moenia conuenere, diſpari genere, diſſimili lingua, alii alio more viuentes: *y*) quam facile omnes in vnam coaluerint ciuitatem, atque etiam in ipſa lingua conuenerint, facundiſſimis viris dictu haudquaquam facile, et prudentiſſimis incredibile videtur.

---

r) DION. l. 1. c. 4. Confer. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 11. c. 1. FESTVS in voce *Italia*. IO. BVNO obſeruat. ad Cluuerii Geogr. lib. 3. c. 22. §. 1. Ipſe CLVVERIVS Ital. Antiq. lib. 1. c. 1. §. 7. *s*) Nugae ſunt delirantium Grammaticorum quod *ἀπὸ τοῦ οἴνου a vino* Oenotriam dictam voluere. Confer. CLVVERIVS Ital. antiq. l. 1. c. 1. §. 5. *t*) ISIDORVS Orig. l. 14. c. 4. *Italia et Hiſpania idcirco Heſperiae dictae, quod Graeci Heſpero ſtella nauigent et in Italia, et in Hiſpania, duaeque hac ratione diſcernuntur. Aut enim Heſperiam ſolam dicis, et ſignificas Italiam, aut addis vltimam, et ſignificas Hiſpaniam, quia in fine occidentis eſt.* conf. pl. CLVVERIVS Geogr. lib. 3. c. 22. §. 2. Ital. Antiq. l. 1. c. 1. CELLAR. not. orbis antiq. l. 2. c. 9. ab initio. Alii.

u) Iſtos et ipſe VIRGILIVS recenſet Aeneid. lib. 7. verſ. 45. ſeq. Et STRABO Geograph. l. 5. p. m. 158. Confer. GOTFRIDVS VITERBIENSIS chron. apud Piſtorium p. 134. Chronologi recenſiores, FVNCCIVS, ALSTEDIVS, CALVISIVS, LINCKERVS, Alii. *x*) Vid. DION. HALIC. Rom. Antiq. l. 1. c. 7. et 8. LIVIVS hiſt. Rom. l. 1. c. 3. *y*) SALLVSTIVS bello Catilinar. circ. init.

DE

PVERITIA LATINAE LINGVAE

TRACTATVS,

Quo

Priſcus Sermonis Romani, ad vſque Bellum Punicum ſecundum, examinatur ſtatus, et diuerſa Veteris Latii monumenta illuſtrantur.

TRACTATVS DE PVERITIA LATINAE LINGVAE

CAPVT I.

De Graeca lingua, Latinae Magiſtra, cuius ope literis illa primum initiata fuit.

§. I.

Latina lingua ab origine barbara, adeoque ſimilis auctoribus ſuis, 2. *Qui ex variis nationibus in Italia confluxerunt,* 3. *Et varias linguas variasque dialectus habuere.* 4. *Hos inter eminebant Aborigines barbari, quibuscum ex Graecia ſe coniungebant, poſt alias gentes, politiores aliae.* 5. *Vnde Graecia vel merito ſuo praedicanda Latinorum Magiſtra.* 6. *Quibuscum ſcripturae notitiam primo et literarum formas communicauit.* 7. *De origine literarum alii ſentiunt aliter atque alii.* 8. *Sed vana diſceptationis ac totius controuerſiae cauſa.* 9. *Moſaica omnium, quae nunc quidem exſtant, monumentorum eſſe antiquiſſima, neque tamen inde ſequi, nihil omnino ante Moſen literis exaratum fuiſſe.* 10. *Nec rationem obſtare, quin primus mortalium Adamus dicatur inueniſſe quandam ſcriptionem;* 11. *Sed valde imperfectam, ſignis quibuslibet, velut hieroglyphicis tantum, animi ſenſa exprimens.* 12. *Hanc in longe diſſitas regiones ma-*

 gna

gna populorum migratione inuectam, ab aliis excoli magis magisque, ab aliis prorſus negligi et darier obliuioni poſtmodum coepiſſe. 13. *Inprimis Hebraeos, ſeu Phoenices, ſcripturae elementa literasque ad quaſuis componendas voces tradidiſſe.* 14. *Quas Graecis poſtea Cadmus Phoenix,* 15. *Et Graeci Latinis reliquerunt.* 16. *Numero eodem, eademque forma,* 17. *Vt ex Claſſicis vtriuſque Linguae Auctoribus patet.* 18. *Signis etiam ſeculo noſtro conuenientibus.* 19. *Ad cuius rei memoriam aliquando Latini elementa ſua Graeco vocarunt nomine.* 20. *Et ab antiquiſſimis temporibus ſcripturae genus, quod βουστροφηδὸν audit, ſecuti fuere.*

§. I.

QVod dici vulgo ſolet, nihil ſimul natum et perfectum eſſe: in linguis propemodum omnibus, et illa praeſertim, quam prae manibus tractandam habemus, Latina, ſatis ipſo euentu comprobatum videmus. Quando originem eius nobiſcum perpendere nuper atque literis conſignare coepimus; vtique crudum ac triſte puerperium multisque modis infecta et aſpectu foeda ſiſtebatur proles, quae non potuit non barbaris incomtisque, vt Graeci pariter atque Latini loquuntur, parentibus ſuis, Teutonibus, ſimilis fuiſſe. Iſti vero primitus perexiguam elegantiae et ſermonis facilitati dederunt operam: ſed priſtina et ſolita ſimplicitate ſua horridis vtplurimum aſſuefacti vocibus, magis delectabantur armis, quam literis: ſtudii plus Marti tribuerunt, quam arti; atque adeo rebus praeclare geſtis florere, quam praeclaris ipſi facta aliorum encomiis ad nauſeam vſque ſuorum commendare maluerunt.

§. II.

§. II.

Primos e Germania colonos in Italiam venisse, hactenus prolixe quidem demonstratum iuimus: Qui necessario, vt facilis conjectura est, patrium sermonem, non alium, portare secum potuere. Sed erat tum ea ipsa terra variorum ex variis regionibus confluentium populorum peramabile receptaculum, communis omnium ac eo tempore satis ampla domus: *Sicanis*, *Siculis*, *Vmbris*, *Liguribus*, *Oscis*, aliis e vasta Celto-Scytharum regione *Aborigines*, primos Italiae incolas, subsequentibus; ex Graecia *Pelasgis* aduolantibus; ex Arcadia *Oenotris* in partem regionis inferiorem profectis; *Tyrrhenis* atque *Lydis*, belli Troiani temporibus, ex Asia in Hetruriam venientibus: vt ceteros quam plurimos iucundiori nunc praetermittamus silentio, neque satis ante acta, vel saepius recocta, delicato B. L. palato, ad summum, quod inde sequi solet, fastidium obtrudere videamur.

§. III.

Omnibus his si non lingua, certe dialectus diuersa erat. † Liceat vel paucula mihi de *Tuscis* atque *Oscis* in medium proferre, quibus iudicium de aliis haud difficulter aliquis ferre poterit. Clarissimis *Etruscorum*, qui etiam Tusci et Tyrrheni et Rhasenae vocantur, linguam ab ista Romanorum veterum et Aboriginum fuisse diuersam, LIVIVS *a*) docet, vbi de Marco Fabio Caesone: *Etruscisque inde literis eruditus erat: linguamque Etruscam probe nouerat. Habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis literis erudiri solitos, sed propius est vero, praecipuum aliquid fuisse in eo, qui se*

V 3 *tam*

†) Conferatur LIPSIVS de recta pronunciat. Lat. ling. cap. 3.

a) Histor. Rom. lib. 9. cap. 36.

tam audaci ſimulatione hoſtibus immiſcuerit. Seruus ei dicitur comes vnus fuiſſe, nutritus vna, eoque haud ignarus linguae eiuſdem &c. Atque etiam mira quaedam et aliena eorum vocabula nobis Grammaticorum induſtria conſeruauit, quibus, vtut obſcurioribus fragmentis, ſermonem ipſum, velut ex vngue leonem, cognoſcere licet. Ita *Arſe verſe*, Tuſcorum lingua, *auerte ignem* ſignificabat; *b*) *Falae* coelum, *c*) *Laena* veſtimenti genus habitus duplicis, *d*) *Mantiſa* additamentum, quod ponderi adiicitur, *e*) *Subulo* tibicen, *f*) &c. Id vero minus alicui mirum videbitur, cum relatum legent, iſtos primum ex Lydia, ab aliis diuerſo loco, aduenifſe. Non item *Oſci* Campaniae, et Latio propiores *Volſci*, eiuſdem, atque Aborigines, vetuſtiſſimae Germanicae gentis propago. Sed et iſtos aliter quam Latini, vel, qui iidem ſunt, Aborigines memorati, locutos fuiſſe, FESTVS POMPEIVS *g*) teſtis eſt. Neque poenitebit paucula iſtorum vocabula recenſere, quae Opica, ſeu Oſca, aliter atque Latina lingua ſonant: *Caſcus*, Vetus. *h*) *Caſnar*, Senex. *i*) *Dalivus*, Inſanus. *k*) *Famel*, Seruus. *l*) *Mamers*, Mars. *m*) *Maeſius*, Maius. *n*) *Medix*, Magiſtratus. *o*) *Multa*, poena pecuniaria. *p*) *Petora*, Quatuor. *q*) *Pepatio*, Clamor ploran-

b) FESTVS in hac voce apud Gothofredum pag. 255. *c*) ibid. p. 286. *d*) ibid. pag. 304. *e*) ibid. p. 313. *f*) ibid. p. 452.
g) In voce *Oſcum*, vbi ex Titinii, antiqui poetae, fabula verba adfert: *Qui Oſce et Volſce fabulantur: Nam Latine neſciunt.* Confer. DES. ERASMI Adag. chiliad. 4. cent. 4. num. 81.
h) FESTVS in hac voce, apud Gothofredum pag. 264.
i) ibid. pag. 43. et 264. *k*) ibid. p. 277. *l*) ibid. pag. 287.
m) ibid. p. 310. *n*) ibid. p. 308. *o*) ibid. p. 315.
p) ibid. p. 322. *q*) ibid. p. 365, in voce *petoritum*.

plorantis. r) *Pitpit*, Quidquid. s) *Sollum*, Totum. t) *Veia*, Plauſtrum. v) *Vngulus*, Annulus. x) &c.

§. IV.

Prae ceteris vero tum Aborigines eminebant, ad quos, vt fieri vulgo ſolet, populi debiliores plerique alii acceſſerunt, et in vnam quaſi cum iſtis coaluere gentem Latinam, ita primum a Latino, quodam Aboriginum Rege, poſt bellum Troianum et Aeneae in Italiam aduentum, recens vocatam. Atque etiam lingua eorum pedetentim abolita, inualuit tantum ea, quam dixi cum Aboriginibus, e Celto-Scythia Germanis parentibus, ortam ac propagatam in Italia fuiſſe, Latina vetus barbara, inculta, et ſubſecuti elegantioris aeui delicatis auribus moleſta et horrida. Vſque quo aliae ſuper alias aduenerunt Graecorum coloniae, Oenotri, Auſones, ceterique per Bruttios, Calabros, Campanos diffuſi: vnde pars illa magnae Graeciae nomen olim ſortita fuiſſe legitur. Sic enim Latinitas ſenſim ſine ſenſu, Graecorum opera, literis, et genere quodam ſcripturae, adaucta: ab his rudimenta ſcientiarum venerunt; ab his artes fundatae paſſim, et excultae fuerunt. Tandemque ludos aperuere literarios et gymnaſia, quibus ſtudia humanitatis ipſamque Graecam linguam inculcabant Romanae iuuentuti; vſque adeo, vt illa vbiuis eruditorum eſſe vernacula coeperit, et ad feliciſſimam Auguſti Imperatoris aetatem traducta, nec ſine applauſu conſeruata, celebraretur. Quo ſenſu iam tum celeberrimus magiſter amorum y) cecinit:

Nec

r) ibid. p. 368. s) ibid. p. 368. t) ibid. p. 439. in voce *Solitaurilia*. v) ibid. p. 472. x) ibid. p. 477.
y) OVIDIVS Faſtor. lib. 4. v. 63.

Nec tibi sit mirum, Graeco rem nomine dici:
Itala nam tellus Graecia maior erat.

Et MARCVS TVLLIVS, z) qui literis Graecis probe institutus, ipso fatente Apollonio Oratore, a) eruditionem et eloquentiam, quae sola bonorum Graecis relicta erant, Romam accedere fecit, disertis non veretur pro concione dicere: *Erat Italia tunc plena Graecarum artium ac disciplinarum.* Quibus cum etiam Pater in historia Romana ipse LIVIVS b) consentit, vbi *nec Tarentini modo*, inquit, *oraque illa Italiae, quam maiorem Graeciam vocant, vt linguam, vt nomen secutos crederes: sed Lucanus et Brutius, et Samnis a nobis defecerunt.* Quod, quamuis in Latio tunc etiam Graecas colebant literas, tamen ad Tarentinos, praesertim Rheginos et Neapolitanos, Graecanizantes ciuitates restringendum esse videtur. c)

§. V.

Ergo lingua Latina, cuius matrem fuisse Germaniam, peculiari dissertatione non ita pridem docuimus, magistram habuit Graeciam, eius postquam coloni transfretarunt in Italiam. Magistra linguae Latinae, istius adhuc rudis admodum et barbarae, fuit Graecia primo, cum literarum et nouae scripturae inuexerit vsum: deinde, quod sermonem ad scholas et vniuersa literarum studia successu temporis ita deflectere fuerit conata: vt Latium ipsum, cuius magnam partem vidimus Graecis occupatam fuisse coloniis, post frequens

z) Orat. pro A. Licinio Archia poëta. cap. 3.

a) Apud PLVTARCHVM in vita Ciceronis.

b) Histor. Lib. 31. cap. 7. Confer. PLINIVS hist. natur. lib. 3. c. 10. FESTVS in *maior. Graecia.* c.) Confer. CHRIST. CELLARII de fatis Latinae Linguae dissertatio §. 11.

frequens iſtud populorum, artis quoque et literarum ſuſcepiſſe commercium, quam certiſſime appareat. †)

§. VI.

Quod ad ſcriptionem et literarum formas attinet, vnde poſtmodum omnis ſcientia et eruditio profecta: quaerere nonnemo poſſet, nec immerito quaereret, noſtra innixus hypotheſi: num ante Graecorum aduentum, primis Italiae colonis, quos e Germania ortos fuiſſe probauimus dudum, ſcripturae genus omne prorſus ignotum fuerit; an ſuas ipſi vocum atque dictionum habuerint notas et characteres: cum probabiliter Adamus ipſe habeatur literarum inuentor, quas deinde Noachus aeque ad omnes nationes propagaſſe neceſſario dicendus ſit? Reſponſio in promtu eſt, ſi materiam iſthanc de prima literarum et ſcriptionis origine, maxime controuerſam, ad incudem reuocauerimus.

§. VII.

Nihil a ſcriptoribus magis inueſtigatum, ac minus deprehenſum, quam literarum primordia: nihil magis intricatum, quam progreſſus: nihil in quo plures, magisque inuicem ſe oppugnantes ſententiae occurrunt, atque haec ipſa, quam noſtram nunc fecimus, tractatio: vnde non minima fatorum, quae in literis ſunt, reperiendorum difficultas venit. In cauſa partim vetuſtas eſt, quae cimmerias pene his rebus offudit tenebras, et omnibus diſputandi locum ſuppeditat: partim, quae inde ſuboritur, ipſa eſt

X nimia

†) Hinc MARCVS TVLLIVS in oratione pro Archia cap. 3. vbi de Graecis artibus atque diſciplinis loquitur, etiam *haec ſtudia*, inquit, *in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis: et hic Romae propter tranquillitatem reipubl. non negligebantur*.

nimia ſcriptorum multitudo: quos ſecuti, erroris incauti, praeſertim recentiores huc illuc, velut per tot fluctuum caſus, iactati, et ſyrtibus aliquando miſere percuſſi, toti quanti in partes diuerſas abierunt. PLINIVS certe *d*) cum in ſtupore literarum inuentorem inuenire nullum potuerit, quo vetuſtior non proderetur, aeternum cum mundo eſſe literarum vſum, omni deſtitutus aſſerti ratione, concludit. Nugantes ſi volumus audire Iudaeos, procul dubio ſecundum opinionem plurimorum ipſe *Deus* aeternus, et omnipotens, et ſapientiſſimus, literarum inuentor eſt: quas cum mundo ſimul creatas, et ſtatuta diuina cum nouem reliquis, quas enumerant, rebus, inter luces in veſpera Sabbathi creata; imo ante mundum conditum coram Deo legem literis igneis nigris dorſo ignis candidi fuiſſe inſcriptam, aeſtuoſo conamine fabulari haud verentur. †) Multi *Adamum*, pro ea, qua praeditus erat, artis et rerum cognitione, primum animi ſenſa coepiſſe figuris ſignare, tradunt. *e*) IOSEPHVS Iudae-

d) Hiſtor. natur. lib. 7. c. 56. Sed ille eo ipſo capite, quo literas fuiſſe aeternas dixerat, ſui ipſius quaſi immemor, *Literas*, inquit, *ſemper arbitror ego Aſſyrias fuiſſe.* Et lib. 5. c. 12. literarum initia ad Phoenices retulerat, vbi: *Ipſa gens Phoenicum in gloria magna eſt inuentionis literarum et ſiderum, naualiumque ac belli artium.*

†) Vid. IOH. REVCHLINVS de arte Cabal. lib. 2. Confer. CHEMNITIVS in Examine concilii Trid. de S. Script. p. m. 17.

e) Τούτου τέχναι καὶ γράμματα. *Huius ſunt artes et literae:* inquit SVIDAS in voce Ἀδάμ. Sed is ſibi parum conſtat, et alibi alium ſecutus auctorem, modo Sethum literarum inuentorem dicit, vbi: Θεὸν, τὸν Σὴθ οἱ τότε ἄνθρωποι προσηγόρευον, διὰ τὸ ἐξευρηκέναι τά τε Ἑβραϊκὰ γράμματα, τάς τε τῶν ἀστέρων ὀνομασίας. *Sethum illius aetatis homines Deum vocabant, eo quod et Hebraicas literas*

Iudaeus quidem ††) memoriae prodidit, Sethi nepotes aſtronomiam ac rerum coeleſtium cognitionem excogitaſſe; et ne inuenta ſua ex hominum notitia dilaberentur, duobus columnis inſcripſiſſe: tacite vero ſimul innuit, literas jam tum ſatis fuiſſe cognitas: fruſtra enim alias ſignis fuiſſet vſus, quae ex poſteris nemo intelligere potuerit. POLIDORVS VIRGILIVS eandem Ioſephi relationem recenſet, *rectius* vero *mea quidem ſententia*, inquit, *) *Philo primam literarum inuentionem Abrahae aſſignat, qui Moſe antiquior eſt, niſi hoc ſit potius filiis Seth attribuendum, qui ipſum Abraham multis annis praeceſſerant.* Sic et alii voluere, literas fuiſſe primum a *Setho* Adami filio inuentas. Si Philo, vt Polidorus Virgilius habet, Abrahamo literarum inuentionem aſſignat, quod diſertis verbis apud eum legiſſe nunquam memini: ſibimet ipſi parum conſtat; ille enim de confuſione linguarum **) turris Babylonicae ſtructoribus affingit ſermonem: *aſſequemur certe, ſi rem gerendam auſpicabimur a fundamento hoc, vt informia formemus, figuris additis, circumſcribamusque ſingula.* Rurſum: *diſtribuamur in tribus et curias, in quas adſcribantur*

literas, et Stellarum appellationes inueniſſet. Modo Abrahamum earundem vocat auctorem, ipſe ſuae immemor ſententiae: Ἀβραὰμ ὁ πρῶτος ἐν πατριάρχαις εὗρεν ἱερὰ γράμματα, καὶ γλῶσσαν ἐμηχανήσατο, ἧς Ἑβραίων παῖδες ἐν ἐπιστήμῃ ἐτύγχανον, ὡς ὄντες τούτου μαθηταὶ καὶ ἀπόγονοι. *Abraham Patriarcharum princeps inuenit ſacras literas, linguamque eam excogitauit, cuius Hebraei fuere periti, vt eius diſcipuli et poſteri.* Etiam ab Adamo deriuandam eſſe literarum et ſcientiarum originem IOH. ANNIVS VITERBIENSIS, ille totus mendaciis conſutus Beroſi interpres contendit pag. 44. ſeq. et pag. 254.

††) Antiq. Iud. l. 1. c. 3. *) De inuentione rerum l. 1. c. 6.

**) Pag. m. 218. et 221.

bantur etc. Scribamus leges, quae faueant potentioribus Saturnum apud Latinos pro literarum inuentore habitum fuiſſe, ſcribit D. CYPRIANVS Martyr. *f*) *Parcis* id tribuit HYGINVS Auguſti libertus. *g*) Alii ex *Aegypto* primitias literarum arceſſunt et *Hermetem* ſiue *Mercurium* inuentorem venditant. Sic PHILOBIBLIVS *h*) τῶν ὑφ' ἥλιον γεγονότων πρῶτός ἐςι Τάαυτος ὁ τῶν γραμμάτων εὕρεσιν ἐπινοήσας καὶ τῆς τῶν ὑπομνημάτων γραφῆς καθάρξας. Hunc vero Taautum Aegyptia voce eundem eſſe, quem Graeci Ἑρμῆν, Latini Mercurium vocant, ipſe Philo ſubiungit. *i*) Nec deſunt,

f) Tractat. 4. de Idolorum vanitate.

g) Fabula 277. et vltima. *h*) In prooemio ad Sanchoniathonem, apud EVSEBIVM Praepar. Euang. l. 1. c. 7. Confer. DIODORVS SICVLVS biblioth. lib. 1. c. 16. Apud Aegyptios *in maximo ante omnes honore poſitus fuit Hermes i. e. Mercurius, eximia ingenii perſpicacitate in excogitandis vitae humanae commodis instructus. Hic enim primus, vt feruntur, et communem loquelam articulatim diſtinxit, et multis rebus nomine deſtitutis nomen indidit. Literas inuenit, deorum cultus et ſacrificia ordinauit.* CORN. TACITVS Ann. lib. 11. c. 14. *Primi per figuras animalium Aegyptii ſenſus mentis effingebant et antiquiſſima monimenta memoriae humanae impreſſa ſaxis cernuntur: et literarum ſemet inuentores perhibent.* E recentioribus vide, qui inſtar omnium eſt, ATHAN. KIRCHERVM in Oedipo Aegyptiaco, immenſi laboris opere.

i) Apud EVSEBIVM l. c. *A Miſore Taautum fuiſſe natum, qui primus elementa literarum conſcripſit, quem Aegyptii Thoor, Alexandrenſes Thooth, Graeci Mercurium vocant.* POLYD. VERGILIVS de inuent. rerum lib. 1. c. 6. ſcribit, quod Lactantius hunc quintum Mercurium fuiſſe tradiderit, qui literas docuerit Aegyptios. LACTANTIVS vero de falſa relig. l. 1. c. 6 *Apud Ciceronem*, inquit, *C. Cotta pontifex diſputans contra. Stoicos*

ſunt, qui ab *Aethiopibus* literas excogitatas primum, inde ad Aegyptios eorum colonos, denique ad ceteras gentes perueniſſe credunt. *k*) Plerique hodienum, et maximi viri putant, literas a *Moſe* traditas Hebraeis, ab Hebraeis Phoenicibus, ab his tandem aliis nationibus: ad quas vel nouarum ſedium cupidi, vel commerciorum cauſſa nauigarint. *l*) At IOSEPHVS SCALIGER *m*) quouis pretio contendit, Phoenicias literas diu ante Moſen in vſu fuiſſe, ac eas olim Hebraeos habuiſſe, nunc Samaritanos retinere: quarum formas in numiſmatibus, quae hodie in Tyri et Sidonis regionibus effodiuntur e ruinis, adhuc ſupereſſe fatetur. Linguam etenim Hebraicam cenſet eandem eſſe, quae Chana-

 naeis

Stoicos - - quinque fuiſſe Mercurios ait: et enumeratis per ordinem quatuor, quintum fuiſſe eum, a quo Argus occiſus ſit: ob eamque cauſſam in Aegyptum profugiſſe, atque Aegyptiis leges ac literas tradidiſſe. Hunc Aegyptii Thoth appellant etc. Confer. HYGINVS fab. 143. et PHORNVTVS de natura Deorum cap. 15.

k) Vid. DIODORVS l. c.

l) Inter alios IOH. OWENVS Theologumenon lib. 4. cap. 3. a pag. 281. IOH. CHRISTOPHORVS ARTOPOEVS de Literarum et ſpeciatim Graecarum origine diſſert. Argentorati 1694. in 4. edita. THOMAS GOODWINVS Moſe et Aarone lib. 6. cap. 7. Vbi tamen Celeberr. I. H. HOTTINGERVS Nepos, Fautor et olim Praeceptor meus pie colendus, eruditiſſimis obſeruationibus recte monet: Moſen antiquiſſimum ſcriptorem eſſe, cuius monumenta ad manus noſtras peruenerunt, ſatis firme aſſeri. Neque tamen interim negandum, iam ante Moſen artem ſcribendi cognitam fuiſſe. Quae ſuis rationibus corroborata, cum liber nunc in omnium manibus verſatur, loco citato legere quiſque poteſt.

m) In epiſtola ad Ricardum Tamiſonum.

naeis h. e. Poenicibus erat in vſu tempore Abrahami. *n*) OLAVS RVDBECKIVS, homo Gothus, et patriae antiquitatis peritiſſimus, vaſto et cuiuſuis pretii, quod *Atlanticam* inſcripſit, operi caput adiunxit de *migratione literarum*, quo non veretur genti ſuae iſtarum originem vindicare, propterea, quod pleraeque Runae inuerſae noſtras reddant literas. Quem ideo ARTOPOEVS, eloquentiae Profeſſor Argentoratenſis, *o*) confutare aggreſſus eſt. Sed nihil, ſi quid video, futilius ineptiusve excogitari poteſt *Alphabetho coeleſti*, ſeu prout alii iſtud vocant, *ſcriptura angelica*, quam nonnulli mortalium curioſiſſimi, aut vaniſſimi potius, afferere non erubuerunt. Hos inter elucet maxime IAC. GAFFARELLVS Gallus, Ludouici XIII. Regis Theologus, Conſiliarius et Eleemoſynarius, Vir caetero eximiae in literatura praeſertim orientali eruditionis, *p*) qui coeleſtes ſtellas aſſerit eſſe literas ordinatas, quibus Alphabetum poſſet conſti-

n) Idem in epiſtola poſtuma ad Chriſtoph. Puteanum, et in explicat. nummi Conſtant. Confer. HERMANNVS HVGO de prima ſcribendi origine et vniuerſa rei literariae antiquitate pag. 45. Et IANVS VINC. GRAVINA V. C. de Latina lingua. Oper. p. 676.

o) De literarum et ſpeciatim Graecarum origine cap. 3.

p) Pariſiis 1629. et 1630. in 8. tractatum edidit idiomate exaratum Gallico et *Curioſitez inouies* inſcriptum. Curioſa inaudita, de ſculptura Taliſmanica Perſarum, horoſcopo Patriarcharum, et lectura ſtellarum: latine vertit opuſculum, ac figuris notisque eruditis illuſtratum, poſt varias editiones et translationes, imprimi curauit M. GREG. MICHAELIS Hamburgi 1676. in 8. Formae literarum Angelicarum aliaque de iis videre ſunt etiam apud ATHANAS. KIRCHERVM T. 2. Oedipi Aegyptiaci: Et in fronte *libri apocryphi Veteris Teſtamenti*, quem Celeberr. Dn. IOH. ALBERTVS FABRICIVS collegit ac non ita pridem luci publicae dedit.

conſtitui coeleſte, atque ita literas cum mundo coepiſſe. Quod diuino codice innixum ſe iactat affirmare: quando videlicet verba Moſis *q*) ברשית ברא אלוהים את השמים ואת הארץ: particulam notamue caſus accuſatiui את conuertens, vt Grammaticorum dictionibus vtar, in nomen aliquod ſubſtantiuum אות *literam*, ita falſiſſime et impie interpretatur: *In principio creauit Deus literam coeli et literam terrae.* Deinde etiam haec ſacri codicis verba: *r*) *Complicabuntur ſicut liber coeli;* in ſuas partes trahit. etc. Ob has et alias ineptias audacius defenſas, auctor ipſe Pariſienſis Sorbonae cenſuram incurrit: cuius poſtea iuſſu *s*) retractionem iſtarum *t*) conſcripſit. Eius tamen vix habita ratione, hyperaſpiſtem nactus eſt IAC. GAVFRIDVM TAVROENTIVM Gallum, cuius Parecbaſis pro curioſitatibus his encomiſtica paulo poſt *v*) lucem publicam vidit. Sed iſtos merito, ceu Iudaeorum, Chaldaeorum et Aſtrologorum ineptiſſimis ineptiores, THOM. BANGIVS *x*) ſolidiſſimis rationibus confutauit.

§. VIII.

Vel ex memoratis patet, alios nouitatis maxime ſtudioſos quodam velut pruritu ad ſcribendum duci, quicquid rerum

q) Geneſ l. 1. GAFFARELLI Curioſitates inauditae part. 4. c. 12. §. 2, p. m. 261. Confer. MICHAELIS notae in Gaffar. p. m. 465.

r) Eſai XXXIV. 4. GAFFARELLVS l. c. p. m. 260. confer. MICHAELIS notae in Gaffar. curioſ. p. 446. ſeq.

s) Die IV. Octobr. Ann. 1629. *t*) A CLAVDIO SORELLO tractatui *des Talismaines, ou figures faites ſous certaines conſtellations*, Pariſiis 1636. et 1640. in 8. edito annexam.

v) Parmae 1634. in 4. *x*) In *Coelo Orientis* Hafniae 1657. edito Exercit. 2, quaeſt. 8. pag. 140 - 208.

rerum curiosarum, vtut nota falsitatis insignium, ipsis primum in buccam venit: alios ex ignorantia sacrarum literarum, quales ethnici sunt, fabulis omnia inuoluere: alios non satis attendere populorum migrationes, neque animaduertere, vt deberent saltem ordine, gentium et regionum integrarum aliquando nomina temporum interuallis immutata fuisse; quibus inuentionem literarùm vulgo adscribere solent, vnde aliter aliis atque aliis scriptoribus vocantur: Neque cogitare secum, haud raro literas ab hominibus varie et diuersimode signari, adaugeri et inuerti, quibus, deinceps euenire solet, istarum tribuatur inuentio origine et vsus antiquitate sarta tecta remanente. *Hebraeos* exempli gratia sumamus. Atqui gens ista (quem latet, ni forsan literarum sacrarum expertem?) ante tempora Noë fuit sine Hebraeorum nomine: ita demum ab Hebero, Schelae filio, appellata. *y*) Deinceps nomen istud remansit in Abrahami posteris, vsque dum a Iacobo Patriarcha, qui et Israël audiuit, *Israëlitae*, et scisso post Salomonem regno, *Iudaei* a tribu Iehuda nominarentur. Subinde vero ab Assyria, vbi aliquantisper degerunt, *Assyrii*, a Phoenicia, quam coluere, *Phoenices*, sicuti *Aramaei* etiam, *Chananaei* & *Syri* vocantur. Hinc fieri facile potuit, vt, qui praecipue rerum istarum ignari sunt, digladientur inter se, ac minime gentium obseruent, se adeo de nomine rixari, et nihilominus conuenire de loco atque gente. *yy*) §. IX.

y) Genes. XI. 14. Abrahamus primum a Chananaeis *Hebraeus* appellatus est, Genes. XIV. 13. quod ex posteris Heberi tum in terra Chananaea solus et praecipuus esset, reliquis Heberi filiis per orientem dispersis. Quanquam id vocis alii deriuare velint ἀπὸ τοῦ עֵבֶר *Trans* quasi *Transfluuialis* seu *Transeuphrataeus*, Abraham diceretur. *yy*) Vid. omnino SELDENVS de DIS Syris prol. c. 2.

§. IX.

Mosen hucusque antiquissimum esse scriptorem, cuius monumenta, diuinis elogiis commendata, vt verissimus thesaurus a tot retro seculis, ingenti Summi Numinis beneficio, asseruata sacro codice ad nos peruenerunt, vulgo notum est. Eum vero literas demum et genus scribendi nouum excogitasse, mihimet credibile nunquam certe fiet. Oportet enim 1. ipsi memoratam per duo millenaria, sat longum temporis spatium, accuratissimam rerum gestarum seriem, familiarum successionem, genealogiam et computum annorum ad suam vsque aetatem productum, fuisse patrum scriptis memoriae proditum. *z*) 2. *Iob*, qui consensu pene omnium Criticorum paulo ante Mosen vixit, scriptionis meminit. *a*) 3. Si ante Mosen ignota fuit populo scriptura, oportet eum, tanta suae gentis turba et copia existente, frustra scripsisse: omnibus tum literas et animi sensa tam admirabili modo inuicem communicandi rationem non capientibus. Vel debuisset 4. ipse Auctor

immen-

z) Vid. CAMP. VITRINGAE, summi quondam apud Franeckeranos Theologi et Philologi solidissimi, epistola dedicatoria *Archisynagogo*, nouis obseruationibus ipsius illustrato, praemissa. ANNIVS Viterbiensis comment. ad Berosum de temporibus ante diluuium pag. 45. *Seth texuit historiam gestorum vsque ad Enoch, cui prosequendam reliquit historiam. Enoch autem prosequendam reliquit Lamech Prophetae, patri Noae, et Lamech filio eidem Noae. Noa vero reliquit post diluuium Chaldaeis, a quibus Abraam et residui veritatem rerum gestarum scripserunt. Vnde cum historia Chaldaica de antiquitatibus quam simillima est Hebreae, ac propterea Moyses pro teste adducitur a Masea Phoenice et Hieronymo Aegyptio, vt asserit Josephus contra Appionem grammaticum et in primo de antiquitate iudaica.* *a*) Job. XIX. 23. 24.

immenso labore scripturam alios, et maximam populi partem, illius saltem principes, docere. Quod si factum fuisset, 5. instituti huius admodum necessarii, et nobilissimi, et maxime notatu digni, rationes et successum is, qui alias certe non tanti momenti rerum circumstantias nobis fidelissime et sanctissime conseruauit, silentio prorsus transire minime gentium potuisset. Neque valet 6. consequentia: nulla Mosis antiquiora habemus scripta, ergo nulla fuere. *) Tanta certe non fuere copia, nec tanta facilitate comparata: vt ferre aetatem, vel ad seram posteritatem nostraque et maiorum secula conseruari valuerint. Quod ad primum attinet, vulgo nouimus omnes, rariora tum temporis fuisse negotiorum studiorumque commercia.

*) Taceo IOH. ANNII Viterbiensis argumenta cumulata, qui in commentariis ad Berosi librum primum de temporibus ante primum diluuium pag. 44. seq. *Quod ab Adam primo condito coeperint literae et disciplinae infusae, non est ex fide tantum, sed etiam historia gentilium et traditione Chaldeorum, qui se astronomiam et literas habuisse ante Alexandri monarchiam tribus millibus et sexcentis annis ac triginta quatuor asserunt - -. Epigenes quoque septingentos annos et amplius ante Ninum et Phoroneum inuentos ait Babyloniae laterculos coctiles inscriptos pro siderum obseruatione -- Erant igitur in vsu literae, et ars fusilis, et lateritia, et vaticinia, mille annis et amplius ante inundationem terrarum.* Et quae sequuntur. Idem praefatione ad Philonis librum de temporibus pag. 254. *Literae simul et disciplinae omnes infusae cum primo homine coeperunt, vt Chaldaei aperiunt, et theologi prosequuntur. Plinius vero in septimo naturalis historiae cap. vltimo arguit, Assyrias literas aeternas fuisse, ob id, quod quum ante Ninum, siue priscum Phoroneum (nam eodem anno vterque regnare coepit, vt est auctor Xenophon lib. de aequinoctis) annis quindecim coeptae sint literae Aegyptiae, quae sunt antiquissimae, nunquam in auctoribus inuenitur origo Assyriarum. etc.*

cia. Vnde etiam Chaldaei, Pythagoraei, Druidae, alii pleraque mysteria sua per traditiones ἄγραφα propagarunt. Secundo videntur antiquitus signa rerum fuisse paucioribus tantum literarum formis et breuissime ad subleuandam memoriam exarata. Insuper materiam, isthaec qua solebant monumenta priscorum incidi, ita comparatam esse constat, vt transportari aegerrime, vel nunquam, atque adeo temporum iniuriam calamitatemque, rebus existentibus annexam, nullo modo subterfugere posset. Quis enim ignorat, vel ex Iobi voto, primitus consueuisse res gestas operose in publico rupibus, truncis atque metallis insculpere? Ita columnas a Setho positas fuisse aiunt duas, alteram ex lateribus, ex lapidibus alteram, quibus inscripta fuerint artium inuenta, vti, quod in votis habebant mortales, alterutra quondam ab igne, vel imbribus secura et intacta maneret. Atque etiam suo tempore istarum in Syria alteram superstitem fuisse, IOSEPHVS *b*) auctor est. Et Dani antiquissimi, †) quos cum ceteris Germaniae populis

b) Antiq. Iudaic. lib. 1. c. 4. Quanquam dentur hodienum plurimi, quibus columnae istae admodum suspectae, si non penitus fabulosae videntur.

†) Nam teste OLAO MAGNO l. 1. c. 36. ab antiquissimo tempore, cum essent gigantes in terris septentrionalibus, longe ante inuentas Latinas, et antequam Carmenta ex Graecia ad ostia Tiberis et Romanum solum cum Euandro perueniret, pulsisque Aboriginibus gentem illam rudem ac plane siluestrem literas moresque doceret, Aquilonaria regna habuerunt. Non me latet quidem GER. IOH. VOSSII de arte grammatica l. 1. c. 9. Iudicium de eo, maiori istud gentis suae, quam veritatis amore scripsisse: cum Latini annis ante C. N. prope MCC. literas suas habuerint. Sed tamen facilis coniectura est, eiusdem originis popu-

pulis ad vnum omnes, ex relatione TACITI, c) literas ignorare dixeris, cautibus gesta maiorum, saxis alii literas Runicas

populos inuentum pridem literarum vsum in alias atque alias regiones secum attulisse. Nec sane video, quomodo apud Celto-Scythas veteres Bardi, Druidae, Wittodii, Grauiones et alii, quibus rerum vel sacrarum, vel ciuilium, publicarum certe cura fuerat commissa, suo quiuis munere sine literarum vsu persungi potuerint: vt vel ideo scientia huius mysterii illis deneganda non sit. Profecto si ANNIO fides in comment. ad Xenoph. de aequiuocis pag. 15. quod circa initium Nini fuerint literae atque leges non solum Hispanis, verum etiam Gallis & Germanis, auctor est Berosus, qui in quinto antiquitatum: *anno quarto Nini, literis et legibus Germanos format, Thuiscon gigas, Celtas vero Samothes, et Celtiberos Tubal.* Hinc ANNIVS: *Iberi, Samothei et Thuiscones patres literarum et philosophiae inueniuntur ante Graecos plus quam mille annis, vt Aristoteles in Magico, et Senon vere asserunt.* Idem ad Berosum de regibus Babyloniae pag. 113. *Samothes quoque cognomine Dis literas sagas dedit, quae Phoenices erant, a quibus Graeci suas formauerunt, quas principio Galatis et Maeonibus tradiderunt Galli prisci. Nam vt auctor est Caesar in* VI. *comment. Galli a Dite disciplinas nacti, etiam vsque ad sua tempora eas retinuerunt -- -- Igitur ante Cadmum fuere literae, philosophia, carmina, theologia, et leges, Hispanis, Gallis, Germanis et Italis per multa secula et aetates.*

c) De moribus German. c. 19. *Literarum secreta viri pariter ac foeminae ignorant.* Quod tamen non de omnibus in vniuersum Germanis intelligendum est. Et recte MICH. BEVTERVS in comment. ad l. c. *literas*, inquit, *illas habuisse rationibus et argumentis quibusdam probari citra magnam difficultatem possit forsan, cum haud dubie tanta potentissimorum populorum multitudo sine literarum, quibus ipsorum lingua scriberetur, subsidio quam maxime necessario neque gubernari, neque societatis ciuilis recta norma vllo modo conseruari potuisset,*

nicas ſat rudibus impreſſerunt: quarum hodie paſſim veſtigia extant in coemiterio, quod Bibliothecam Academiae Hafnienſis ambit, teſte THOMA BARTHOLINO, *d*) et ſuis hinc inde tumulis collecta conſpiciuntur. 7. Obſeruationum Chaldaeorum ab annis 1903. ante tempora Alexandri, ducentis adeoque ante natum Abrahamum vel circiter, et paulo ante turris Babylonicae ſtructuram, meminit SIMPLICIVS *e*) inquiens: Διὰ τὸ μήπω τὰς ὑπὸ Καλλισθένους ἐκ Βαβυλῶνος πεμφθείσας παρατηρήσεις ἀφικέσθαι εἰς τὴν Ἑλλάδα, τοῦ Ἀριστοτέλους τοῦτο ἐπισκέψαντος αὐτῷ ἅς τινας διηγεῖται ὁ Πορφύριος χιλίων ἐτῶν εἶναι, καὶ ἐννακοσίων τριῶν μέχρι τῶν χρόνων Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος σωζομένας. *Eo quod obſeruationes illae, quas Calliſthenes Babylone Ariſtotelis iuſſu miſit, necdum in Graeciam peruenerant: quas quidem annorum mille nongentorum trium fuiſſe, refert Porphyrius ad Alexandri Macedonis vſque tempora ſeruatas.* Ex allegatis nunc indubitate mihi coniicere licet, inuentum ſcripturae haud procul ab origine generis humani arceſſendum eſſe: quicquid etiam OWENVS, *f*) quicquid ARTOPOEVS, *g*) quicquid tandem alii, vel oſtentationis, vel rixandi cauſa, obloquuntur.

iſſet. Ac licet non ſolum plebejae multitudini, ſed etiam ---- nobilibus -- -- literarum cognitio non admodum frequens fuerit: nihilominus tamen fieri non potuit, quin ſacerdotes et ii qui publicarum actionum conſignandarum curam gerebant, certo aliquo literarum vel characterum genere vterentur.

d) De libris legendis diſſert. 4. pag. 71. *e*) Comment. XLVI. in Ariſtot. lib. 2. de coelo. Conferantur quae paulo ſuperius ex ANNIO Viterbienſi notauimus.

f) Th ologumenon lib. 4. cap. 3.

g) Diſſert. de literarum et ſpeciatim Graecarum origiue.

§. X.

Credibiliter primus ille omnium, quotquot orbem terrarum incolunt, populorum atque gentium parens, ipse Adamus, a Deo T. O. M. tanta praeditus ratione ac sapientia, vt rebus quibuslibet cunctisque animalibus, non ita pridem diuina potentia procreatis, sua quouis genere nomina indiderit; *b*) certis quoque characteribus et figuris haec primum designare externis, resque variis varias sibimet ipsi in memoriam reuocare: atque adeo nonnunquam eiusmodi interprete animi sensa cum filiis filiabusque suis communicare studuit. Mortalium vtique mentem ita esse comparatam vel suo exemplo quisque edoceri potest,

b) Nostram tamen absit faciamus sententiam IOH. PETRI ERICI Isenacensis, qui in libro suo Patauii 1686. in 8. edito inscriptoque *Renatum e mysterio principium philologicum*, inducit Adamum, cum nomina animalibus secundum cuiusque sonum imponeret, a volatilium concentu vocales, a terrestrium strepitu consonantes semivocales, a mutis natalibus mutas mutuatum, postea ex animalium rugitu et grunnitu loquelae elementa composuisse. Confer. Acta Erudit. Lipsiens. An. 1686. p. 328. seq. Literae quomodo inuentae fuerint, secundum rei naturam eruditissime docet LIVIVS GREG. GYRALDVS de Poëtis dialog. 1. Oper. tom. 2. p. 6. *Cum enim*, inquit, *animal sit homo rationis capax, et naturali quodam vinculo societatis cum alio homine astringatur et vtrinque esset ratio communis, nec homo homini nisi colloqueretur associari posset, nec posse se cogitationes communicare videret, necesse illi fuit rebus vocabula imponere, i. e. significantes quosdam sonos, vt, quoniam sentire animos suos non poterat, ad eos sibi copulandos sensu quasi interprete vteretur: sed audiri absentium verba non poterant, ergo ratio humana peperit literas, notatis omnibus oris ac linguae sonis atque discretis. Ita igitur inuentae literae et voces, tum demum et caeterae disciplinae, etc.*

potest, vt innumerabilibus commoueatur obiectis et proin cogitationibus aliis super alias occupata, actiones suas praeter spem et opinionem nunc dare obliuioni, nunc forte fortuna istas in memoriam reuocare sentiatur. Quamobrem post tristem primorum lapsum, homines eiusmodi subsidio memoriae non potuere diu fuisse destituti: quod illi mortalium primi, pro sapientia diuinitus ipsis adhuc in statu innocentiae prae reliquis omnibus concessa, facillime sibi effingere valebant. Et quin effinxerint, quid obstet, ego certe hactenus nihil vidi. Potius Adamum scribendi atque signandi modum praemonstrasse primitus, eundemque ad seram posteritatem filiosque ad vnum omnes suos propagasse, ratio ipsa persuadet. Ideoque PLINIVS, *i*) quem penitus latebant exordia rerum, sacris monumentis consignata, literas aeternas esse maluit affirmare, quam alicuidam inuentionem istarum adscribere. Et in Bibliotheca Vaticana e regione primae columnae parastaticae a tergo introitus, pictus est Adam: vbi supra caput eius literae leguntur Hebraicae antiquae; ad pedes vero Latina in hunc verborum sensum inscriptio prostat: *Adam diuinitus edoctus, primus scientiarum et literarum inuentor. k*) PETRVS LAMBECIVS †) *iam*, inquit, *si quis ex me quaerit*,

---

i) Histor. natur. lib. 7. c. 56. *k*) Vid. ANGELVS ROCCHA de bibliotheca Vaticana, pag. 78. seq. Confer. HERMANNVS HVGO de prima scribendi origine et uniuersa rei literariae antiquitate cap. 3. pap. 47. Eruditissimus auctor der neu-eröffneten Bibliothec lib. 1. cap. 1. in des eröfneten Ritter-Platzes andern Theil. Et MATTHIAE BELII de vetere litteratura Hunno Scythica exercitatio sect. 1. §. 2. seqq.

†) Prodromo historiae literariae lib. 1. cap. 2. §. 5. seq. confer. eiusd.

rit, quam ipſe tam ex variis ſententiis maxime probem, primas me iudice feret illa, ſecundum quam ipſi Adamo cum literarum, tum punctorum prima inuentio attribuitur: quippe quae optime conueniat ſingulari illius ſapientiae, quam ipſa Scriptura Sacra depraedicat -- -- ipſum cunctis animantibus terrae et uniuerſis volatilibus coeli a Deo ad ſe adductis nomina cuiusque animalis naturae congruentia impoſuiſſe: qua ratione cunctis poſt ſe hominibus fuerit ſapientior, et quae ſequuntur.

§. XI.

Neque tamen exiſtimandum, quae LAMBECII SCHOTTI et aliorum ſententia eſt, ipſo ortu atque natalibus ſtatim ſcriptionem perfectam fuiſſe: vt iſte literarum ordo, numerus, figura, connexio etc. obſeruarentur: quae nunc vbiuis terrarum ſuo quidem maximo vſu apparent. Sed quaedam ſolummodo homines ſimpliciſſima videntur habuiſſe ab exordio ſigna et ſymbola rerum, quibus, vt Aegyptios olim feciſſe vulgo notum eſt, *l*) inſtar hieroglyphica-

eiuſd. l. 1. c. 6. pag. 45. et GASP. SCHOTTVS technica curioſa l. 7. c. 7. §. 12. pag. 572.

l) Hieroglyphicum ſcribendi modum apud Aegyptios obtinuiſſe ante literarum vſum, diſertis LVCANVS docet, de bello ciuili libr. 3.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Nouerat; in ſaxis tantum volucresque feraeque;
Sculptaque ſeruabant magicas animalia linguas.

Et C. TACITVS Annal. lib. 11. c. 14. *Primi per figuras animalium Aegyptii ſenſus mentis effingebant: et antiquiſſima monumenta memoriae humanae impreſſa ſaxis cernuntur, et literarum ſemet inuentores perhibent.* Conferantur pluribus GERH. IOH. VOSSIVS de arte Germanica lib. 1. cap. 41. IOH.

phicarum vterentur. Ista rupibus dein atque truncis, quod paulo superius monui, laboriosissime insculpserunt. Quae successu temporis magis magisque perpolita flexaque vsui accommodarunt frequentiori, donec ipsa vocis et linguae elementa hisce incluserint figuris et scriptionem in dies perfectiorem dederint. Quare illud verissimum quoque est, primis temporibus scripta rariora et rarissima fuisse, neque totos, vt nunc quidem, quoquo se vorsum vertant, videre omnibus licet, consarcinari codices, totosque librorum apparatus constitui potuisse. Hinc et ipse ego non nisi obtorto, quod aiunt, collo et difficillime inducor; vt abeam in castra eorum, qui vel Adamicarum literarum formas praemonstrare, *m*) vel Henochi propugnare li-

Z brum

IOH. PIERIVS VALERIANVS de Hieroglyphicis seu de sacris Aegyptiorum aliarumque gentium literis commentario Lugduni 1610. primum edito. ATHANAS. KIRCHERVS in Oedipo Aegypriaco. MABILLONIVS de Re Diplomatica lib. 1. c. 11. ab exord. DAN. GEORG. MORHOFIVS polyhist. liter lib. 4. cap. 2. Doctissimus Auctor des geöffneten Antiquitaeten Zimmers part. 2. cap. 1. in des geöffneten Ritter-Platzes andern Theil. Clarissimus IACOB. FRIDER. REIMANNVS Antiquitatibus literariis Aegyptiorum p. 84. seqq. Plures alii.

m) LAVRENT. SCHRADERVS illas e columna Vaticana descriptas *memorandis Italiae* Helmstadiae 1592. a se editis inseruit. Easdem recensuit postea IAC. BONAVENTVRA HEPHVRNVS Scotus in *Aurea Virga* i. e. LXX. Alphabetis Romae 1616. editis. Propugnarunt istas praeter alios ANGELVS ROCCHA in *Commentario Bibliothecae Vaticanae.* CLAVD. DVRETVS in *Historia de linguis Vniversi.* THESEVS AMBROSIVS in Appendice Introductionis in Chaldaicam, Syriacam, Armenicam et decem alias linguas, Papiae 1539. Quibus ad vnum omnibus se fortiter opposuit THOMAS BANGIVS in *Coelo orientis* Exercit. 1, et 2. Et non ita

brum, *n*) vel integras etiam bibliothecas antediluuianas iactitare *o*) conantur.

§. XII.

Scriptionem pro temporis ratione incomtam et satis rudem, quam modo vidimus ab Adamo inuentam, et a poste-

ita pridem Vir Doctissimus occasione inscriptionis, quae ex Ceylano insula ipsi in manus venit, curiosas idiomate Germanico dedit cogitationes suas von Adams Grab, vbi speciatim cap. 3. disquirit: was vor Buchstaben Adam und seine Nachkommen vor der Sünd-Flut gehabt. Quae manu descripta viri iuuenis mei amantissimi nactus sum; et valde dubito an lucem publicam adhuc viderint. Tandem actis eruditorum Lipsiensibus Latinis anno MDCCXXXIII. mense Martio pag. 115. exhibita est illa characterum delineatio, quos in insula Ceylano spectandos praebet tumulus quidam sepulchralis. Perexiguam vero huius a nostra delineatione vidimus esse differentiam.

n) IVDAS, Sancti Seruatoris et Domini nostri fidelis Apostolus, in epistola catholica, commate 14. *Henochi* prophetiam allegat. Vnde recentiores quidam eliciunt, eum scripsisse librum quendam: in qua sententia ipse modo laudatus THOMAS BANGIVS est, in coelo orientis exercit. 1. Et BRIANVS WALTONVS Proleg. Bibl. 2. IOH. DRVSIVS *de Henocho eiusque scripto* peculiarem tractatum edidit Franequerae 1615. in 4. Vt et DORSCHAEVS dissertationem in illum paulo superius citatum s. IVDAE Apostoli locum.

o) Vti IOH. IOACH. MADERVS dissert. *de Scriptis et Bibliothecis Antediluuianis*, tractatuum de Bibliothecis variorum syntagmati, Helmstadii 1666. a se collecto, instar praefationis inserta. Confer. IOH. HENR. VRSINI exercitationes de Zoroastre Bactrino, Hermete Trismegisto, et aliis contra Mosaicae scripturae antiquitatem afferri solitis: cum CHRIST. ARNOLDI spicilegio Noribergae 1666. in 8. MORHOFI polyhist. liter. lib. 1. cap. 6. Alii.

posteris seruatam fuisse, post illam populorum famosam dispersionem, p) suis quique notis et characteribus in istum terrae tractum inuexerunt, quem patria exules nouis coloniis frequentare instituerunt. Hinc literae Sinensium, hinc Runae populorum Septentrionalium, hinc et totius Europae q) characteres, hinc signa Aegyptiorum, Aethiopum, aliorum, quae successu temporis, et commerciorum frequentia, ab aliis perpolita, et faciliori ductu ad vsum quotidianum accommodata fuere. Hinc literarum celebrantur inuentores varii, secundum versus vulgares: r)

Moyses Hebraeas primus exarauit literas.
Mente Phoenices sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.
Abram Syras, et idem repperit Chaldaicas.
Isis arte non minore protulit Aegyptias.
Gulphila promsit Getarum, quas videmus literas.

Contra vero ab aliis nationibus literae istae ex summa, qua degenerauerunt, barbarie et defectu rationis vsque adeo neglectas fuisse deprehenduntur: vt illi denique istos humanitatis studiosiores et scriptionis vsum prorsus obstu-

 pue-

p) Qua de legi meretur IAC. PERIZONIVS in originibus Babylonicis et Aegyptiacis.

q) Videatur post OLAVM RVDBECKIVM, WORMIVM, LOCCENIVM, atque alios, Doctissimus Auctor des geöffneten Antiquitaeten-Zimmers part. 1. cap. 8.

r) Apud CRINITVM ex Bibliotheca Septimana lib. 17. de honesta disciplina. HERMANNVM HVGONEM de prima scribendi origine cap. 3. p. 51. G. I. VOSSIVM de arte Grammatica lib. 1. c. 6. I. V. GRAVINAM dialog. de Latina lingua Oper. pag. 676. Passim apud Alios.

puerint. De Germanis vulgo nota ſunt, quae C. TACITVS *s*) memoriae prodidit. Idem de Thracibus aliisque Barbaris Europae nationibus ex ANDROTIONE refert AELIANVS *t*) τῶν ἀρχαίων φασὶ Θρακῶν μηδένα ἐπίςασθαι γράμματα. ἀλλὰ καὶ ἐνόμιζον αἴσχιςον εἶναι πάντες οἱ τὴν Ευρώπην οἰκοῦντες βάρβαροι χρῆσθαι γράμμασιν. οἱ δὲ ἐν τῇ Ασίᾳ, ὡς λόγος, ἐχρῶντο αὐτοῖς μᾶλλον. ἐνθέντοι καὶ τολμῶσι λέγειν, μηδὲ τὴν Ορφέα σοφὸν γεγονέναι θρᾶκα ὄντα, ἀλλ' ἄλλως τοὺς μύθους αὐτοῦ καταψεύσασθαι. *Aiunt neminem antiquorum Thracum nouiſſe literas. Imo quotquot Barbarorum Europam inhabitant; turpiſſimum duxerunt literis uti. At qui in Aſia ſunt, magis, ut fama eſt, iis ſunt uſi. Unde eſt quod dicere audent, ne Orpheum quidem fuiſſe ſapientem, quia Thrax fuerit, ſed alios eius fabulas ementitos eſſe.* Tartaros ab initio literas non habuiſſe, atque defectum quidem iſthunc, quae in tempore geſta ab his populis fortaſſe potuerint haberi, penitus nunc obliuioni tradidiſſe, HAITHONVS conqueritur. *v*) Atque etiam populi Arcladam et circumiacentes prouincias in imperio magni Chami habitantes nuperrime literas non habuere: ſed contractus ſuos et obligationes, quas vocant, per teſſeras fecerunt: quarum partem vterque contrahentium aſſeruabat: vſque quo in vnum collatas, et ſignis conuenientibus adhibitis, rei cauſſam exponerent. *x*) Sed omnium maxime ſcriptionis ignaros ſeſe profitebantur ſubacti ab Hiſpanis Americani, qui cum literarum vſum viderent primum, hoc certiſſimum exiſti-

s)) De ſitu et moribus Germanorum c. 19.

t) Variar. hiſtor. lib. 8 c. 6.

v) De Tartaris lib. cap. 16. in fine.

x) Vid. M. PAVLI VENETI de Regionibus orientalibus lib. 2. cap. 41.

exiſtimarunt eſſe Diuinitatis argumentum, quod chartis ſcriptis occulta vox ineſſe poſſet. *y*) Alii vſque adeo mirati ſunt ſcribendi inuentionem; vt audito literarum nomine accurrerent ad papyrum audiendam loquentem, vt ipſi arbitrabantur: *z*) Hoc vero longe facetiſſimum eſt, quod fide digniſſimis traditum ſcriptoribus, vbi oratio noſtra ſemel in recenſione populorum quoquomodo obſtupeſcentium euagari coepit, ſubnectere vltimo nulli dubitamus. Mancipium quoddam Peruanum a Nobili quodam Europaeo, tunc temporis in Braſilia habitante, ablegatum eſt ad familiarem heri ſui, Nobilem item Europaeum, cum fiſcinula ficuum atque literis. In via ſeruus hic fructuum nouitate ac dulcedine pellectus, bonam eorum partem deuorauit, literarum ſecurus. Nobilis perlecta epiſtola hominem falſitatis arguit, qui admiratus, ecquis hoc ſciret, factum abiurare conatur. Nobilis contra teſtes affert literas, inſiſtente et aſſeuerante fortius altero, literas mentiri, et eſſe inteſtabiles. Mancipium igitur cum indicibus literis remittitur ad herum ſuum: qui factum diſſimulat. Paucis poſt diebus ſeruum remittit cum ficubus et literis, numerum accurate ſignificantibus. Hic ratus ſibi abunde cautum ab indicio fore, literas ſub ſaxum abdit, in quo ſeſſum ibat: et, iam literae, dicebat, etiamſi Argi aut Lyncei ſitis, non videbitis delicias meas. Hoc dicto, exinanit fiſcinam, et totum ſibi de ficubus inſtruit epulum, relictis pauculis. Quod ſupererat cum literis Nobili tradit. Ille numerum in literis quidem integrum, at dimi-

y) PETRVS CIEZA tom. 2. Hiſtor. Peruanae cap. 34.

z) Ex ſcriptoribus rerum Indicarum referente LAELIO BISCIOLA ſubciſiv. lib. 6. cap. 12.

at dimidiatum in fiſcina reperit. Tum denuo coepit adoriri ſeruum, manus ambas cum marſupio excutere, et literarum adferre teſtimonium de numero longe maiori ficuum. Seruus contra ſe purgat rurſum quam pluribus, vacuum vltro oſtendens ſacculum, et maximopere fidem literarum perſibilare pergit: quas certo ſciret, nihil vel per rimas potuiſſe arbitrari, quando eas in ſaxa abdiderit. Neque prius illiteratum mancipium, quid valeant literae, doceri potuit, quam ab hero ſuo tergum eius totum ſtilis vlmeis deſcriberetur. *a*) Nunc quoque Vraienſes populi ſcriptionem vocant cum admiratione *inuentum Dei*, et tanquam ſacroſanctum ac diuinum aliquid ſuſpiciunt atque timent. Non ita pridem etiam accidit, ſi IOH. EVSEBIO NIEREMBERGIO *) fides, cum magna eius nationis manus conſpiraſſet, vt quendam ex patribus Soc. Ieſu occiderent, iamque inſtarent, monitum illum de periculo id conſilii cepiſſe, vt libro oſtenſo terruerit hoſtes. Sumto enim volumine coepit intrepidus legere, voluere folia, identidem illis minitari ſi accederent propius; cumque nemo auderet ad ſe progredi, hoc artificio euaſit.

§. XIII.

Sed mittamus bipedum ſtupidiſſimos et totos, quanti ſunt, barbarie confuſos homunciones: et alios paulo humanitatis ſtudioſiores examinemus. Atqui hos inter praeſertim felix illa Orientis propago, populus Dei, cum ſanctiori ſummi Numinis cultu, etiam media quaelibet arripuiſſe

a) Haec narrata ſibi a viro quodam religioſo, qui anno 1572. e Braſilia redierat, teſtatur LVDOVICVS RICHEOME in libello, quem *l'adieu de l'ame* inſcripſit.

*) De origine ſacrae ſcripturae l. 2. c. 11. fin. confer. GASPARIS SCHOTTI technica curioſa l. 7. c. 7. pag. 548.

puiſſe videtur: quibus Diuina gloria promoueri, et filii, ad feram vſque poſteritatem eorum, de vera religione et rebus diu ante ſe geſtis fieri certiores potuerunt. Et illi ipſi *Hebraei* ſunt, a ſcriptoribus profanis nunc *Chananaei*, nunc *Phoenices* vocati: *b*) quibus, tantum non vno omnium conſenſu, faciliora exactioraque vocum elementa accepta ferunt. Diſertis LVCANVS: *c*)

Phoenices primi (*famae ſi credimus*) *auſi*
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Quibus verbis pene refert illud CRITIAE: *d*)

φοίνικες δ' εὗρον γραμματ' ἀλεξίλογα.
Phoenices inuenerunt vocum adiutrices literas.

Sic quoque CVRTIVS: *e*) *Haec gens*, Phoenicum ſcilicet, *literas prima aut docuit, aut didicit.* Et C. TACITVS: *f*) *Phoeni-*

b) Ita WILH. POSTELLVS de Phoenicum literis praefat. ad Carolum Cardinalem Lotharingiae et cap. de priſco Phoenicum charactere: *Graecos habuiſſe vſum literarum ab Hebraeis, qui iidem ſunt Phoenices, Euſebius ex nominum ratione teſtatur. Sed more Chaldaico, addito fere vbiuis ad vocabuli finem elemento A, vocabula protulerunt: v. gr. Alpha pro Aleph, Beta pro Beth, Gamma pro Gamel, ſeu Gimel, Delta pro Dalet.* Et IOSEPHVS SCALIGER Epiſtola poſtuma ad Chriſtoph. Puteanum: Itemque in explicat. nummi Conſtat. *Ex numiſmatibus*, inquit, *quae quotidie effodiuntur in partibus Tyri et Sidonis, in quibus characteres illi* (Phoenicii) *extant ſine vlla mutatione; Nam lingua Hebraica eſt, quae in vſu fuit Chananaeis, h. e. Phoenicibus, tempore Abrahami.*

c) De bello ciuili lib. 3. *d*) Apud ATHENAEVM lib. 1. c. 9.

e) De rebus geſtis Alexandri M. lib. 4. c. 4.

f) Annal. lib. 11. c. 14. loco ſupra iam aliquoties citato. Confer. POMPONIVS MELA de Situ orbis lib. 1. c. 12. *Phoenicen illuſtrauêre Phoenices, ſolers hominum genus, et ad belli pacisque*

Phoenices, quia mari praepollebant, literas *intulisse Graeciae, gloriamque adeptos, tanquam repererint, quae acceperant etc.*

§. XIV.

Inde *Cadmus*, natione Phoenix, *g*) Graeciae literas intulisse, peruetusta et constanti opinione dicitur. Quamobrem ipsae etiam literae istae nunc φοινικήια, nunc καδμήια γράμματα, et AVSONIO *Cadmi nigellae filiae* audiunt. *h*) Eius illustre in primis testimonium e Graecis pater historiarum, HERODOTVS HALICARN. *i*) reliquit: οἱ δὲ φοίνικες ὗτοι οἱ σὺν κάδμῳ ἀπικόμενοι, τῶν ἦσαν οἱ Γεφυραῖοι, ἄλλα τε πολλὰ οἰκήσαντες ταύτην τὴν χώρην ἐσήγαγον διδασκάλια εἰς τοὺς Ἕλληνας καὶ δὲ τὰ γράμματα οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησιν ὡς ἐμοὶ δοκεῖ. *Phoenices isti, qui cum Cadmo aduenerunt, quorum Gephyraei fuère, dum hanc regionem incolunt, cum alias multas doctrinas, tum etiam literas in Graeciam introduxere.*

pacisque munia eximium, Literas et literarum operas etc. commenti. Vbi quidem ISAACVS VOSSIVS in obseruationibus caetero eruditissimis, nescio an satis accurate, literas vocat Arithmeticam et scientias mathematicas, quae numerorum beneficio indigent; imo hic manifeste literas poni pro numeris, opinatur.

g) TACITVS annal. l. 11. c. 14. conf. ANGELVS ROCCHA biblioth. Vatic. p. 118. seqq. Nihil nos mouent ex veteribus HYGINVS, Augusti libertus, fab. 277. et EVSEBIVS lib. 2. Chron. N. DLXII. E recentioribus ATHANAS. KIRCHERVS Oedip. Aegypt. tom. 3. diatrib. 3. praelus. p. 56. 57. Qui Cadmum ex Aegypto Graecis literas attulisse contendunt. Atque et SELDENVS idipsum impugnat satis docte cap. 4. p. 295. syntagm. 2. de DIS Syris. Mira de Cadmo et eius origine fabulat GOROPIVS BECANVS Hierogl. l. 1. p. 1. seqq.

h) Confer. ANGELVS POLITIANVS Miscell. lib. cap. 39.

i) In Terpsichore seu historiae lib. 5.

xere, quae apud Graecos, vt mihi videtur, antea non fuerunt. PLVTARCHVS *k*) de literis illis XVI, quibus primum Graeci vtebantur solis: φοινίκεια διὰ κάδμον ὠνομασθέντα. *Propter Cadmum Phoeniciae dictae sunt.* Et CLEMENS ALEXANDRINVS: *l*) κάδμος φοίνιξ ἦν ὁ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν, εὑρετής, ὥς φησιν Εὔφορος· ὅθεν καὶ φοινικήια τὰ γράμματα Ἡρόδοτος κεκλῆσθαι γράφει. *Cadmus Phoenix erat, et apud Graecos literarum inuentor, vt ait Ephorus: vnde Herodotus scribit, literas Phoenicias dici.* Eo pertinet etiam istud ZENODOTI Stoici: *m*)

> Εἰ δὲ πάτρα φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; ἦν καὶ ὁ κάδμος
> Κεῖνος, ἀφ' ὃ γραπτὰν Ἕλλας ἔχει σελίδα.
> *Si patria est Phoenix, quid tum? Nam Cadmus et ipse*
> *Phoenix, qui Graecis prima elementa dedit.*

Latinorum ex Graecis idem testantur plurimi. PLINIVS: *n*) *Literas vtique* volunt *in Graeciam intulisse e Phoenice Cadmum XVI. numero.* TACITVS: *o*) *Fama est Cadmum classe Phoenicum vectum rudibus adhuc Graecorum populis artis eius auctorem fuisse.* Vt infinitos alios nunc quidem silentio transeam. Literae vero XVI. a *Cadmo* primum Graecis communicatae fuerunt: Α. Β. Γ. Δ. Ε. Η Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ο. Π. Ρ. C. seu prout eam alii pingere solent Σ. et Τ. Quibus bello Troiano *Palamedem* quatuor Θ. Ξ. Φ. Χ. totidem-

Aa

k) In Symposiacis lib. 9. probl. 3. *l*) Stromat. lib. 1.

m) Apud DIOGENEM LAERTIVM in vita Zenonis p. m. 249. et 221. Et apud SVIDAM in voce κάδμος. Aliter hos versus, cen corruptos, recenset, sibique restituisse videtur GOROPIVS BECANVS hierogl. l. 1. p. 1. *n*) Histor. natur. lib. 7. c. 56.

o) Annal. lib. 11. c. 14. Confer. pl. IOH MATTHIAS FLORINVS exercit. de origine et propagatione Linguae Graecae §. 2 --- 8.

demque post eum Simonidem Melicum Z. Υ. Ψ. Ω. adiecisse, omnes propemodum scriptores affirmant. *p*)

§. XV.

Fuere tunc temporis gentes Italiae trans Alpes e barbaris fœdisque Celto-Scytharum tractibus aduenae: vbi, quod olim in natali solo consueuerunt, propriis mage quisque suis facinoribus inclarescere voluit; quam diu ante se suoque tempore ab aliis praeclare gesta literis consignare, & Marte potius, quam, quae iniquum maxime fugiebat seculum, Arte celeberrimus fieri. Posteaquam vero novae istos ex Graecia sequerentur coloniae, etiam ab his Latini vsum literarum magis magisque didicerunt. Eas in Latium a *Pelasgis* fuisse translatas, PLINIVS *q*) auctor est. DIONYSIVS HALICARN. *r*) λέγοντες δὲ καὶ γραμματικῶν Ἑλληνικῶν χρῆσιν

---

p) PLINIVS l. c. TACITVS l. c. HYGINVS fab. 277. PLVTARCHVS l. c. IRENAEVS aduersus Marc. Haeret. lib. 1. c. 2. ISIDORVS Hispal. Episcopus Orig. lib. 1. c. 3. EVSEBIVS Chron. lib. 2. num. 16. 17. E recentioribus, qui instar omnium est, G. I. VOSSIVS de arte Grammatica lib. 1. c. 1. IOH OWENVS Theologum. lib. 4. c. 3. Confer. BOCHARTVS Can. l. 1. c. 20. WETSTENIVS in oratione de linguae Graecae pronunciatione. MARTINVS CRVSIVS vero, sed nullo penitus fundamento innixus, *Tuisconem* primum Germanorum Regem asserit 16. literas inuenisse, non modo Tuisconibus sed etiam Graecis vsitatas: A. B. Γ. Δ. E. I. K. Λ. M. N. O. Π. P. Σ T. Y. Sueuicorum Annalium lib 1. part. 1. pag. 3. Confer. ANGELVS ROCCHA Biblioth. Vatic. p. 119.

q) Histor. natur. lib. 7. c. 56. Quem SOLINVS polyhistor sequitur. Conferantur G. I. VOSSIVS de arte Gramm. lib. 1. c. 11. et THEOD. RYCKIVS de primis Italiae colonis et Aeneae aduentu cap. 4. 7. *r*) Roman. Antiq. lib. 1. c. 3. circa finem. Confer. Dissert. nostra de origine Latinae linguae c. 8. Heic Dionysius quidem Plinio & sequacibus repugnare videtur, Arcadibus

σιν εἰς Ιταλίαν πρῶτοι διακομίσαι νεωςὶ φανεῖσαν Αρκάσι. AEMILIO PORTO interprete: *Arcades etiam dicuntur Graecarum literarum vsum in Italiam primi transtulisse, qui recens ipsis apparuerat.* Quod Dionysius in vniuersum de *Arcadibus* affirmat, T. LIVIVS *s*) in indiuiduo principi eorum atque Duci *Euandro* adscribit: vbi *Euander*, inquit, *tum ea profugus ex Peloponneso, auctoritate magis, quam imperio regebat loca: venerabilis vir miraculo literarum rei nouae inter rudes artium homines, venerabilior diuinitate credita Carmentae matris, quam fatiloquam ante Sibillae in Italiam aduentum miratae hae gentes fuerant.* Et C. TACITVS *t*) *At in Italia Etrusci ab Corinthio Damarato, Aborigines Arcade ab Euandro literas didicerunt.* Eius matri gloriam maluit isthanc tribuere ISIDORVS Hispalensis Episcopus, *v*) *Latinas literas*, inquiens, *Carmentis nympha prima Italis tradidit. Carmentis autem dicta, quia carminibus futura canebat. Caeterum proprie vocata Nicostrata.* Vtramque sententiam complectitur HYGINVS, *x*) vbi, *quas*, inquit, scilicet literas Graecas, *Euandrus profugus ex Arcadia in Italiam transtulit, quas mater eius Carmenta in Latinas commutauit numero XV.* Quoquo se res habeat modo, etiamsi Pelasgis, aut alicuidam ex memoratis, inuenti istius honorem adscribere velimus: suauiter tamen in eo conspirant scriptores ad vnum omnes, Latinos a Graecis suas literas accepisse.

§. XVI.

dibus literas tribuens, Pelasgis adiudicatas. Sed obseruandum Arcades, ex quibus editus Euander, origine Pelasgos fuisse, vti pluribus celeb. RYCKIVS l. c. comprobauit.

s) Histor. Rom. lib. 1. c. 7. *t*) Annalium lib. 11. cap. 14.

v) Origin. lib. 1. cap. 4. *x*) Fabul. 277. quae de primis rerum inuentoribus est, numero vltima. Confer. LILIVS GREG. GYRALDVS de Poëtis dialog. 1. Oper. tom. 2. p. 7. seqq.

§. XVI.

Atque etiam illud maximum fuerit indicium, Latinos a Graecorum coloniis, quibuscum perpetuo dein vixerunt foedere, ſcriptionem didiciſſe, eius quod elementa perſtiterint olim numero et forma eadem, qua, pauciſſimis exceptis, apud veteres Ionos, videbantur. Etenim, quis ignorat, numerum antiquiorum literarum hunc fuiſſe: A. B. C. D. E. I. L. M. N. O. P. R. S. T. V. Neque mouemur MARII VICTORINI auctoritate, ſcribentis: *Noſtri Latini cum literis vterentur, quas a Graecis acceperant: A. B. C. D. E. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T.* Certo quandoquidem certius conſtat, vel ex ipſo ISIDORO, y) literam K fuiſſe poſtea demum Latinis a Salluſtio quodam ludi magiſtro adiectam. Ita quoque apud PRISCIANVM z) legimus: *Auctoritas tam Varronis, quam Mauri, teſte Cenſorino, nec K, nec Q, neque H in numero adhibet literarum.* Sed V. extra omne dubium vna ex priſcarum numero eſt: memoratis adeoque merito adiicienda, loco recentioris literae Q. Atque ita etiam VICTORINVM ſcripſiſſe, et mendoſe irrepſiſſe Q, vel inde patet: quod poſtea dicat, ſexdecim, quas recenſui, literas nec plures a Cadmo in Graeciam, vel ab Euandro in Latium, illatas fuiſſe. a)

§. XVII.

Quod ad ipſos characteres eorundemque figuras attinet, confirmant ſententiam noſtram ſcriptores quamplurimi. TACITVS b) *Et formae*, inquit, *litteris Latinis, quae veterrimis Graecorum.* Et paulo exactius omnia PLINIVS:

y) Origin. lib. 1. cap. 4. z) Lib. 1. cap. *de literarum numero.* a) Confer. VOSSIVS de arte grammatica lib. 1. c. 18. in fine. b) Annal. lib. 11. c. 14.

NIVS: *c*) *Veteres Graecas fuisse easdem pene, quae nunc sunt Latinae, indicio erit Delphica tabula antiqui aeris, quae est hodie in Palatio: dono Principum Mineruae dicata, in bibliotheca cum inscriptione tali:* NAVCIKPATEC. TICAMENOV. AΘENAIOC. KOPAI. KAI. AΘENAI. ANEΘEKEN. Hodie legimus: Ναυσικράτης τισαμένȣ Αθηναῖος κόρα καὶ ἀθηνᾶ ἀνέθηκεν. GERH. IOH. VOSSIVS, Vir summi iudicii et infinitae lectionis, suspicatur, *d*) Plinium scripsisse κόρα καὶ δεσποίνα Αθηνᾶ. Vt inscriptionis sententia sit: *Nausicrates, Tisameni filius, Atheniensis, virgini ac dominae Mineruae haec suspendebat.* In aliquibus Plinii codicibus epigraphe isthaec legitur verbis paucioribus expressa: Ναυσικράτης Τισαμένȣ Αθηναῖος ἀνέθηκεν. Quid? quod ipse HERODOTVS *e*) affirmat, se apud Thebanos in Ismenii Apollinis templo literas Cadmeas, in tripodibus quibusdam incisas, magna ex parte Ionicis similes vidisse. Tripodum istorum vnus hoc habuit epigramma:

Αμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν ἐὼν ἀπὸ τηλαβοάων. *f*)

Quod IOSEPHVS SCALIGER *g*) secundum typos ex columnis in hortis Farnesianis Romae descriptos, in hunc modum restituit: AMΠHITPVON. M. ANETHEKEN. EON. AΠO. TEΛEBOAON. In ea ipsa columna Farnesiana viae Appiae legitur ODENI, pro ȣ̓δενὶ; HODO pro ὁδῷ; HΕΡODO pro ἡρώδȣ; METAKINESAI pro μετακινῆσαι; ESTIN pro ἐϛιν, et id genus alia. Sic quoque in Augusti nummo: ΑΥΤ. ΚΑΙCΑΡ. ΑΥΓVCΤOC. Et in alio Hadriani Imperatoris: KAISAP.

Aa 3 SEMNOS

c) Histor. natur. lib. 7. c. 58. *d*) Aristarcho, seu de arte grammatica, lib. 1. cap. 11. p. m. 52.

e) Histor. lib. 5. p. m. 302. *f*) LAVRENTIO VALLA interprete: *Obtulit Amphitryon me gentis Teleboarum.*

g) Animaduers. in Euseb. Chron. ad num. 1617.

SEMNOS ΑΔΡΙΑΝΟΣ. Quibus tandem colligere et iudicare licet, Cadmeas literas ab Graecis, atque Graecas ab Latinis parum differre et ductibus paucissimis immutatas fuisse.

§. XVIII.

Nec hodiernae Graecorum et Latinorum literae superatis fatorum tot vicissitudinibus multum discrepant. *h*) A. Characterum apud omnes gentes agmen ducit. Quamobrem etiam AVSONIVS *i*)

Dux, inquit, *elementorum studiis viget in Latiis A.*

Et sine mutatione, Aa ex Αα promanare videmus. *k*) B. in vtraque lingua. Latinis *Be*, asseruata priore tantum syllaba, ex Graecorum Βῆτα. Hinc rursum AVSONIVS: *l*)

Dividuum Beta, Monosyllabon Italicum B.

C ex dimidio Graecum est; Subtracta namque columna ipsius K, cuspis vel semicirculus remansit nudus. Ideoque SVIDAS *m*) C literam vocat Κάππα Ρωμαϊκὸν. D ex Δ. demto angulo

h) Quomodo Latinae ab Graecis originem traxerint, IVL. CAESAR SCALIGER *de caussis Latinae Linguae* lib. 1. cap. 40. Et post eum CHRIST. BECMANNVS *manuduct. ad Ling. Lat.* cap. 4. p. m. 17. pluribus docent.

i) Idyllio de literis. *k*) Vid. HERMANNVS HVGO *de prima scribendi origine &c.* cap. 5. 6. 7. pag. 63. seqq.

l) loco citato. *m*) In voce χλαμὺς inquit, καὶ ἐν τοῖς τῶν βυλευτῶν ὑποδήμασιν ἀποσημαίνεσθαι τὸ Ρωμαϊκὸν κάππα. *Et in calceis Senatorum Kappa Romanum apponi solere.* Kappa istud Scriptores Romani a forma semicirculi vocant *Lunam*, quam certe non K, verum C Latinorum repraesentare videmus. Ita PAPINIVS lib. 5. Syl. 2.

Primaque Patricia clausit vestigia Luna.

IVVENALIS Satyr. 7.

Appositam nigrae Lunam subtexit alutae,

MAR-

gulo rotundius fecerunt, quod facilius fieri potuit. Nunquam ouum ouo similius videre est, atque gentis vtriusque vocalis E. Litera F ex Aeolico digamma compositum, quod nihil aliud est, quam Gamma super Gamma locatum: neque etiam haec litera, PRISCIANO teste, apud antiquissimos Latinorum, aliam vim pronunciandi atque olim apud Aeoles habuit. Deinde vero CLAVDIVS CAESAR *n*) F pro V. consonante recipiendum constituit: vt *Fulgus*, seu potius, quemadmodum aliis, nec sine ratione placuit, *Ⅎulgus* pro *vulgo* etc. diceretur. *o*) G apud Latinos nouum inuentum *Spurii Caruilii* cuiusdam Grammatici, cuius vice

MARTIALIS lib. I. epigr. 50.

Lunata nusquam pellis et nusquam togae.

Idem lib. 2. epigr. 29.

Non hesterna sedet lunata lingula planta,
Coccina non laesum cingit aluta pedem.

Scilicet literam C notam centenarii numeri patriciorum a Romulo institutorum solebant calceis adsuere: qua Patricii ab nouitiis discernerentur. Conferantur PLVTARCHVS probl. 76. ISIDORVS originum lib. 20. cap. 34. Alii.

n) Apud TACITVM Annal. lib. 11. c. 13. 14. et SVETONIVM in eius vita cap. 41. Sic quoque FABIVS ille QVINTILIANVS Instit. Orator. lib. I. cap. 7. *Non inutiliter*, inquit, *Claudius Aeolicam illam ad hos vsus* F. *literam adiecerat.* In quae verba TORRENTIVS ad Sueton. vit. Claudii cap. 41. recte monet, legendum esse Ⅎ digammon pro V. Sic OctaⅎIa etc. Consentit omnino PRISCIANVS, Grammaticorum princeps, vbi: *Apud Aeoles*, inquit, *olim F digamma*, *i. e. Vav, ab ipsius voce profectum*; *teste Varrone et Didymo, qui id ei nomen esse ostendunt; pro quo Caesar hanc figuram* Ⅎ *scribere voluit.* Confer. G. I. VOSSIVS de arte Gramm. lib. I. cap. 15. pag. 70.

o) Plur. vid. HERMANNVS HVGO de prima scribendi origine cap. 4 pag. 57. seqq.

ce olim ad imitationem Graecorum tertio alphabeti elemento Cvtebantur: vt *Caius Cneius* pro Gaio Gneio et similia ſcriptitauerint. Hinc AVSONIVS: *p*)

Praeualuit poſtquam Gammae vice functa prius C.

Nec alia fuit mutatione opus, quam hemicyclo C rectum adiicere pedunculum G. Quae figura Graecis quoque antehac fuit nota, non inter literas quidem, ſed inter numerorum formas: auctore MARIO VICTORINO, qui ait, Latinorum G idem eſſe, quod Graecorum epiſemon; de quo venerabilis BEDA *q*) egregie: *Graeci tres numeros notis propriis, quae ex alphabeto non ſunt, depingunt. Prima eſt* S̅, *nota numeri VI. Altera G, quae vocatur cophe & valet inter numeros XC. Tertia eſt* ϡ *enneacoſia, quae valet DCCCC.* H, quod attinet ad ipſam figuram, reſpondet omnino Graecorum ἦτα; quod ad poteſtatem attinet, ſpiritui aſpero. I prouenit ex Graecorum ἰῶτα. K. litera perfecte Graeca, quam *Salluſtius* demum, ludimagiſter ille, Latinis adiecit, vt in ſono diſcrimen faceret duarum literarum C et Q. Id quidem, ISIDORO *r*) iudicante, praeter neceſſitatem. Latinorum L tantum poſitu ab Graecorum Λ, Λάμδα differt. M. N. O. apertius patria Graecorum elementa commonſtrant. Ex Π finxerunt ipſum P Latinum, facilius ductu, quod angulos in circulum mutauerint: Hic enim vnico abſoluitur motu, cum iſte, quem in priori litera Graecorum obſer-

p) Idyllio de literis. *q*) Lib. de indigitatione. Confer. HVGO de prima ſcribendi origine. cap. 7. p. 69. 70. VOSSIVS de arte grammatica lib. 1. c. 23. et I. FRID. KOEBERVS Grammat. Graeca harmonica Golio-Welſeriana cap. 1. p. 2. et c. 3. p. 19. ſeq. *r*) Origin. lib. 1. cap. 4.

obſeruare ſolent, angulus lineis duabus totidemque motibus confici debeat. Q ex C. et V compoſitum, antea non fuit, ſed poſtmodum, etiam praeter neceſſitatem, *s*) neſcio quo auctore inuentum. Sunt qui *Licinio Caluo* id tribuunt; Bibliotheca Vaticana ipſi *Euandro*, aliis alii. *t*) R litera, quam PERSIVS *caninam* vocat, *v*) Graecorum P caudam addidit. Non demum inuenta temporibus *Appii Claudii* Decemuiri eiuſdemue deſcendentis alicuius, vt ex POMPONIO *x*) Criticorum plerique contendunt: ſed conſilio iſtius frequentiori vſu recepta, et literae S in vocibus plerisque ſubſtituta: vt ex. gr. pro Valeſiis *Valerii*, pro Fuſiis *Furii* dicerentur. Alias neque *Roma*, neque *Romulus*, neque *Remus*, verum *Soma*, *Somulus*, et *Semus* ſcribenda fuiſſent propria vrbis eiusque conditorum nomina: de quibus ne veſtigium quidem eſt, ſed tota potius contrarium teſtatur antiquitas. Vel quomodo in Saliari carmine, diu ante Decemuiros, quorum Claudius ille vnus erat, temporibus Numae Pompilii conſcripto, potuerunt exiſtere verba MARMVRII. VETVRII. PRAECEPTAT. PROMENERVAT. REDANTRVARE et ſimilia, de quibus ſuo loco. S Graecorum procreauit

Bb C ſiue

s) Vid. ISIDORVS l. c. *t*) HVGO l. c. p. 58. *v*) Satyr. 1.

--- Sonat hic de nare canina

Littera, ---

Quod in potentiorum aedibus litera haec indignationem et faciles irritatu animos denotat: mordacem inſuper et moleſtam orationem, qua, more canum rabidorum aliquem terrere, allatrare, mordere ſolent. Pari modo PLAVTVS Coſin. prolog. v. 34. vbi *Marcum* nomen ſuum exprimere voluit, quod ſonum medium litera canina faciat R, nullus dubitabat ſcribere:

--- Plautus cum latranti nomine.

x) §. 36. D. de origine Iuris.

C fiue Σ: circa finem inflexa figurae prioris parte; posterioris fubducta bafi et angulo hebetato. *y)* T fimpliciter *ταῦ* exprimit. *υψιλὸν*. Eadem et digamma vocatur a Graecis, quando fibimet aliisque vocalibus iungitur, vt in *votum*, *virgo*, *vulpes etc*. Confirmat hanc fententiam PRISCIANVS: *z)* *V vero loco confonantis pofita eandem prorfus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeoles habuit olim digamma, id eft vau, ab ipfius voce profectum, tefte Varrone et Didymo, qui id ei nomen effe oftendunt*. X Graecorum *χῖ* compofitum ex CS vel GS, vt adeo iftis carere potuiffemus, FABIO QVINTILIANO *a)* et ISIDORO *b)* iudicantibus. Quidam Claudii Imperatoris et hoc effe inuentum tradunt: fed fine fundamento, ipfa etiam reclamante tabula roftrata, et antiquioribus Latinae linguae monumentis, in quibus litera haec quam frequentiffime obuenit, huius fententiae patronos vel ignorantiae, vel apertioris alicuius falfi, arguentibus. Y et Z mere Graeca funt, neque apud Romanos ad vfque Octauii Augufti tempora fcribebantur. *c)* In

y) Clar. VOSSIVS de arte Gramm. lib. 1. cap. 29. S prius cenfet fuiffe Ƨ, inferiori parallela omiffa. Quod colligi poffe ipfi videtur ex tabella, quae in Apulia extat, veteri Opicorum lingua exarata, vbi tefte Scaligero legatur: THEI. BAƧTA pro *τῇ βάσει*. Ab antiquiffimis temporibus vero Sigma Graecum fuiffe literam C, varia in huncufque diem monumenta loquuntur. Eo refpicit quoque MARTIALIS lib. 14. epigr. 87.

Accipe lunata fcriptum teftudine figma.

z) lib. 1. cap. de numero literarum. *a)* Inftit. Orator. lib. 1. cap. 7. *b)* Originum lib. 1. cap. 4. *c)* ISIDORVS l. c. POLIDORVS lib. 1. c. 6. *Latini Graecorum imitatione literas fex ad prifcas fuas duodecim addiderunt F. K. Q. X.*

In iis tantum valent vocibus, quas e Graecia integras Latini quasi condecoratas iure ciuitatis in linguam ſuam tranſtulerunt. Nihil obſtat maior apud Graecos vocalium numerus, quem nunc quidem praemonſtrare ſolent. Priſci enim quinque tantum habuere vocales et eas cum Latinis communes A. E. I. O. V. quae vocantur *δίχρονοι, bitempores*, h. e. breuis et longi temporis capaces. Duae longae tum in vſu minime gentium fuere. Quandoquidem H non niſi ſpiritus aſperi, quo etiam valet apud Latinos, fungitur loco, et Ω demum, vt ſupra vidimus, a Simonide inuentum celebratur. Atque hinc etiam procul omni dubio factum, vt in LL. nunc prorſus exulent iſtae vocales longae. Sic quoque veteres non ſupra, ſed ante vocales aſpirationem poſuere, quod Romani adhuc obſeruant. *d*) Quanquam hoc etiam certo conſtet, veteres Latinos, Graecorum veſtigia per omnia ſequentes, alio tempore, aſpirationis notam ſupra vocales tantum poſuiſſe. *e*)

Υ. Ζ. Sigillatim vero de *Υ*, vocali Graeca TERENTIVS MAVRVS cap. I. ſiue de literis, nota ſunt, quae cecinit:

> *Tertiam Romana lingua, quam vocant Υ, non habet.*
> *Huius in locum videtur V Latina ſubdita:*
> *Quae vicem nobis rependit interim vocantis Υ:*
> *Quando communem Latino reddit et Graeco ſonum.*

Z litera Graeca, vtut Latinis rariſſime ad vſque tempora Auguſti, quod ex relatione Iſidori ſcripſimus quondam fuerit vſu: prorſus tamen ab iſtis non ignorabatur: imo etiam non nunquam Romae procul omni dubio ad imitationem Graecorum ſcriptam fuiſſe argumento eſt, quod VELIVS LONGVS ſcribit, inueniri eam in carmine Saliari.

d) Conferatur ATHENAEVS lib. 9. *e*) Vid. QVINTILIANVS Inſtit. Orator. lib. I. cap. 4. Ibidem CAMERARIVS in

§. XIX.

Neque literas solum habent Latini, istis Graecorum conformes; Sed vero etiam eius rei testimonio, optimi hos inter Auctores, quos vulgo nunc classicos dictitare solemus, non verentur elementorum suorum asseruare nomina, prout Graecis vocantur. Ita MARTIALIS: *f*)

Non ipse codrus Alpha penulatorum.

Vbi a more numerandi per literas Alphabeticas, principem intelligit hominum, delicatorum, qui penulas sumunt. Et ipse alibi *g*) denominationem isthanc defendit:

Quod Alpha dixi, Codre, penulatorum
Te nuper, aliqua cum iocarer in charta;
Si forte bilem mouit hic tibi versus,
Dicas, licebit, Beta me togatorum.

Et iocus rursum quaesitus est a ratione per literas numerandi: vt secundus, vel non primus inter pauperes, quorum toga est, voluerit dici. Idem: *h*)

Nosti mortiferum quaestoris, Castrice, signum?
Est operae pretium dicere Theta nouum.

Cui respondet istud PERSII: *i*)

Et potis es nigrum vitio praefigere Theta.

Scili-

in notis. AVL. GELLIVS noct. Attic. lib. 2. cap. 3. Confer. PETRI MOSELLANI ad h. l. annot. et FRID. SYLBVRGII Alphabetum Graecum Francofurti 1591. in 8. impressum, vbi de Graecarum literarum formis, nominibus, potestate ac pronunciatione germana, tum et de numeralibus Graecorum notis ex veterum monumentis apprime disseritur, et multa vulgo ignota in lucem proferuntur. *f*) lib. 2. epigr. 57. *g*) lib. 5. epigr. 27. *h*) lib. 7. epigr. 36. *i*) Satyr. 4.

Scilicet Θ litera erat condemnatoria et θανάτου, quam ideo mortiferam, et infaustam, et nigram appellare solebant. Eam cum iusto iudicio a quaestore neglectam fuisse, Martialis innuit, et nouum emuncto naso dedisse carnifici signum hominis occidendi. Persius vero aliquem proponit, qui pro arbitrio suo quemlibet reum vel absoluere, vel condemnare potest. Et ne quid alienum trahere aliunde videar, IVVENALIS k) nostram optime poterit definire sententiam, vbi disertis inquit:

Hoc discunt omnes ante Alpha et Beta puellae.

Porro AVSONIVS : l):

Non formam, at vocem Deltae gero Romulum D.

Quibus et aliis modo sufficienti probatur, Latinos ab Graeca literarum suarum appellatione, in sempiternam magistrorum suorum et inuenti adeo necessarii memoriam, nullibi, vt solent alias laudum propriarum buccinatores, abhorruisse.

§. XX.

Nimis in hac materia essem prolixus, quando gentis vtriusque conuenientiam in ipsa lingua et mod oscribendi amplius prosequi velim. Id saltem omnibus arridet, quod ipse etiam nunc silentio praeterire nequeo. Cum orientales plerique Hebraei, Chaldaei, Syri, Arabes, vt alios taceam, sic quoque, HERODOTO m) teste, Aegyptii a dextra sinistrorsum, alii, vt Sinenses a summo in imum pingere literas consueuerint: Graecos et qui instituta eorum quam fidelissime sequebantur, Romanos a leua dextrorsum scripturam voluisse peractam: At-

k) Lib. 5. Satyr. 14. l) In Idyl. de literis.
m) In Euterpe siue histor. Lib. 2.

que etiam ab antiquiſſimis temporibus, cum Graecis diuerſum eſſet ſcribendi genus, iſtos haud degeneres imitatores habuiſſe Latinos. Modum innuo exarandi literas a laeua in dextram, et rurſum a dextra in laeuam per verſus: *n*) quem Graeci vocant *βȣϛροφηδὸν γράφειν inſtar verſurae boum ſcribere:* quod lineas ducerent, vti boues inter arandum ab extremo ſulco in proximum ab eodem latere conuertuntur. Ita HESYCHIVS: *βȣϛροφηδὸν ȣ̈τως ἔλεγον, ἐπὰν ὁμοίως τοῖς ἀροτριῶσι βȣσὶ τὰς ἀντιϛροφὰς ποιῇ τις ἔλεγον δὲ ἐπὶ τȣ̃ γράφειν τρόπω τοιȣ́τω. Buſtrophedon dixere, quando inſtar arantium boum verſuram quis facit. Dixere autem, quia eo modo ſcribatur.* Et PAVSANIAS *o*) tradidit, quod Cypſelidae in memoriam arcae, in qua ſeruatus erat Cypſelus, dicarint Olympiae arcam, cuius inſcriptiones literis antiquis, et formam ſcribendi fuiſſe aliam, quae *βȣϛροφηδὸν* dicatur; et paulo clarius cauſam demonſtrat: *ἀπὸ τȣ̃ πέρατος τȣ̃ ἔπȣς ἐπιϛρέφει τῶν ἐπῶν τὸ δεύτερον, ὥσπερ ἐν διαύλȣ δρόμῳ. A ſuperioris verſus fine continuo fit verſura ad initium ſequentis, ea ratione, qua curritur in diaulo.* His propemodum, quarum etiam Clariſſ. DICKINSONVS *p)* meminit, lineis:

ΑΛΛΟΠ.ΑΛΑΜ.ΖΟΝΟΠΟΡΤΥΛΟΠ.ΑΖΥΟΜ.ƎΠƎΝΝƎ.ΙΟΜ.ΑΡΔΝΑ.
ΠΛΑΓΧΘΗ. ΕΠΕΙΤΡΟΙΗΣ. ΙΕΡΟΝ. ΠΤΟΛΙΕΘΡΟΝ. ΕΠΕΡΣΕ.
.ΩΝΓƎ .ΝΟΟΝ .ΙΑΚ ΑƎΤΖΑ .ΝƎΔΙ .ΝΩΠΩΡΘΝΑ'Δ. .ΝΩΛΛΟΠ
ΠΟΛΛΑ. Δ'ΟΓ'ΕΝ. ΠΟΝΤΩ. ΠΑΘΕΝ. ΑΛΓΕΑ. ΟΝ. ΚΑΤΑ. ΘΥΜΟΝ.

Iſtud quidem inde fabulantur factum, neque puduit ipſum

n) Eum NAVCLERVS vol. prim. generatione LIV. commemorat, Hebraeis fuiſſe traditum ab Eſdra ſcriba. *o*) Priori Eliacorum. *p*) Delph. Phoenic. c. 10. p. 100. Confer. BOCHARTVS Can. l. 1. c. 20. FLORINVS Exercit. de origine et propagatione linguae Graecae §. 8. Alii.

pſum HERM. HVGONEM, q) virum eruditiſſimum, eo vehementius adduci, quod Cadmo, literarum apud Graecos inuentori, dum Boeotiam conderet, bos occurrerit, quem Graeci ἄλφα appellant, a quo et primae alphabeti literae nomen impoſuerit; et a boum in arando more, modum induxerit ſcriptionis, qui ſtilo, velut aratro, in cera fiebat. Quoquo ſe res habeat modo, iſthanc ſcribendi rationem a Graecis quoque commendatam fuiſſe Latinis, mihi admodum probabile videtur; vel ex ſola *verſuum* denominatione diſcere quilibet poteſt: de quibus ISIDORVS, ille Hiſpalenſis Epiſcopus, r) *Verſus autem*, inquit, *vulgo vocati*, *quia ſic ſcribebant antiqui*, *ſicut aratur terra. A ſiniſtra enim ad dextram primum deducebant ſtilum*, *deinde conuertebantur ab inferiore et rurſum ad dextram verſus: quos et hodie Ruſtici verſus vocant*. Et MARIVS VICTORINVS s) *Apud nos autem verſus dictus eſt a verſuris*, *i. e. a repetita ſcriptura ea ex parte*, *in quam deſinit. Primis enim temporibus*, *ſicut quidam aſſerunt*, *ſic ſoliti erant ſcribere*, *vt*, *cum a ſiniſtra parte initium facere coepiſſent et duxiſſent ad dextram*, *ſequentem verſum a dextra parte inchoantes ad ſiniſtram perducerent etc.* Atque etiam hinc facile, quae ſcripturam exprimunt, *arare*, *exarare*, *ſulcare*, *pingere*, *lineare*, *ſcribere*, verborum ſynonymia intelligi poteſt.

CAP.

q) De prima ſcribendi origine cap. 8. p. 79.

r) Orig. lib. 6. cap. 14.

s) De arte gramm. Lib. 1.

CAPVT II.

De disciplina Graecorum, in Italiam inuecta: vnde Latina lingua perpoliri coepit.

§. I.

A Litteris ad doctrinam facta transitione, 2. Graecorum commendatur industria, 3. Quam ab V. C. Romani vsque adeo voluerunt imitari: 4. Vt ex instituto Romuli studuerint ipsi Graecorum linguae. 5. Frequentarunt igitur non solum, quas in Italia habebant, Graecorum Scholas; 6. Verum etiam ad eorum Academias peregrinationes instituere, in ipsam Graeciam, praesertim Athenas, 7. Alexandriam in Aegyptum, 8. Massiliam Iberiae et alio. 9. Quae communicatio literarum ipsis Latinorum vocibus earundemque constructioni fatalis admodum fuit. 10. Vt adeo studia sua et linguae culturam debeant Graeciae, ceu Magistrae. Quod nonnullis denique Patris Romanae eloquentiae testimoniis comprobatur.

§. I.

HActenus prolixe vidimus, quomodo Latini, Graecorum opera et doctrina, faciliorem quandam animi cogitata literis consignandi atque cum aliis sine voce communicandi rationem didicerint; ab Graecis adeoque primordia ceperint et elementa omnium simplicissima disciplinae, in qua se postmodum haud difficulter cunctis gentibus aliis palmam praeripere gloriabantur. Istos gentis Latinae et Aborigenum magistros siue Pelasgos, siue posteriorem longe illam Euandri coloniam fuisse dicamus, parum

parum refert. Neque diutius eapropter iſtis linguae ſignis inhaerere lubet, cum his nugis minutiisue ſolidiora nobis demonſtranda ſupereſſe videamus: vti videlicet accuratius paulo inſtituamus docere, quibus Auctoribus magis magisque ſuam colere linguam, et bonis artibus eam transferre ad humanitatem, et iuuante fortuna tandem ad ſummum eloquentiae faſtigium et quam adeo praedicamus diuinam prope gloriam euehere potuerint.

§. II.

Ab eo tempore, quo literas, et cum his ſcriptionem, vtut rudiorem, a peregrinis acceptarunt Aborigines, vt ſupra paucis et obiter pertractationis huius initio *a*) commemorauimus, Graecorum coloniae in Italiam cateruatim transfretarunt. *b*) Quorum laus erat tum quidem poſt Aegyptios eloquentiae, ciuilis prudentiae, cuiusuis doctrinae, et artium liberalium longe maxima. Ipſo haud diffitente MARCO TVLLIO, *c*) Graeciam ſemper eloquentiae conſtat eſſe principem voluiſſe, et omnium doctrinarum inuentrices Athenas, in quibus ſumma dicendi vis

 inuenta

a) Vid. cap. praeced. §. 2. et 4. Quibus teſtimoniis, magno ibi numero allegatis, addatur

b) STRABO Geogr. lib. 6. cap. 175. edit. Geneu. 1587. vbi inter alia: ὕστερον μὲν γε καὶ τῆς μεσογαίας πολλὴν ἀφῄρηντο, ἀπὸ τῶν τρωϊκῶν ἀρξάμενοι χρόνων. Καὶ δὴ ἐπὶ τοσοῦτον ηὔξηντο, ὥστε τὴν μεγάλην Ἑλλάδα ταύτην ἔλεγον καὶ τὴν Σικελίαν. *Poſterioribus quidem temporibus magnam etiam mediterraneorum partem ademerunt, a Troianis temporibus facto initio: adeoque eorum creuit potentia, vt iſta Regio et Sicilia nomine magnae Graeciae cenſerentur*, Et SERVIVS *Italia*, inquit, *magna Graecia eſt appellata, quia a Taurento vſque ad Cumas omnes ciuitates Graeci condiderunt.*

c) De oratore lib. 1. c. 4.

inuenta ſit, atque perfecta. Et albi *d*) diſertis inquit: *Haec cuncta Graecia, quae fama, quae gloria, quae doctrina, quae plurimis artibus, quae etiam imperii et bellica laude floruit. etc.* Rurſus: *e*) *Hoc dico de toto genere Graecorum, tribuo illis literas, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam etc. Teſtimoniorum vero religionem et fidem nunquam iſta natio coluit.* Ecquis ignorat antiquiſſimum doctrinae genus, diuinam poëſin apud Graecos fuiſſe, vtpote *Homerus* et *Heſiodus* ante conditam Romam, *Archilochus* regnante Romulo floruiſſe ipſi Romanae patri eloquentiae *f*) dicuntur? Atque adeo iſtos quidem in omni literarum genere ſuperarunt, *in quo erat facile*, vt verba Ciceronis mea faciam, *vincere non repugnantes.*

§. III.

Inde vix fieri potuit, vt Romae tandem aperto aſylo, Latina lingua, quantum ad culturam et flexionem et pronunciandi modum attinet, ab Graeca nihil participarit primum: maxime, cum Graeci Barbaris ex prioribus coloniis permixti, ſublata pene ſingularum gentium appellatione, communi Latinorum nomine, ipſam condiderint vrbem. *g*) Ceteri vero linguam ſuam ad politioris Graeco-

d) Oratione pro Flacco c. 27. *e*) Ibid. c. 4. *f*) CICERONI Tuſcul. Quaeſt. lib. I. ab exordio. *g*) Vid. DIONYSIVS HALIC. Rom. Antiq. lib. 2. c. I. et lib. 7. c. 9. τὰ συνοικίσαντα ἔθνη τὴν ῥωμαίων πόλιν, ἑλληνικὰ ἦν, ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων ἀποικισθέντα τόπων, ἀλλ' οὐχ, ὥσπερ ἔνιοι νομίζουσι, βάρβαρα καὶ ἀνέστια. *Gentes, quae primae domicilia Romae coniunxerunt, Graecanicas fuiſſe, et illuſtriſ-*

Graecorum, insuper sibi affluentium, imitationem magis magisque inuertere coeperint: vsque adeo, vt, teste DIONYSIO, *h*) Romani sermone, nec prorsus barbaro, nec absolute Graeco vterentur: sed quodam ex vtroque mixto, accedente plurimum ad linguae Aeolicae dialectum. Quo pertinent etiam QVINTILIANI *i*) verba: *Haec diuisio mea ad Graecum sermonem praecipue pertinet: nam maxima ex parte Romanus inde conuersus est.*

§. IV.

Atque etiam tum, quod non credideris, Romanorum genti, adhuc satis barbarae, vernacula non videbatur sufficere sua. Hinc aliam, illam videlicet Graecorum, seu politiorem longe, et actionibus quasi commodiorem adamare: neque adamare solum, verum etiam ediscere penitus, ac patriae linguae adiungere instituebant. Statim ab vrbe condita Romulus, qui *k*) *ἐπιγράψας ἑλληνικοῖς γράμμασι τὰς ἑαυτοῦ πράξεις*, sacra, leges, cetera huiusmodi omnia, *ὁμοίως κατεστήσατο τοῖς κρατίστοις τῶν παρ' ἕλλησι νομίμων*, *secundum optimos quosque Graecorum ritus instituit:* atque adeo cum ritibus et consuetudine Grae-

strissimorum populorum colonias, non, vt quidam opinantur barbaras et vagas. Inferius paulo: οὐ βαρβάρους ἐπεδείχθην εἶναι τοὺς οἰκιστὰς τῆς ῥώμης, ἀλλ' ἐκ πολλῶν τόπων συνεληλυθότας ἕλληνας. *Romae conditores non barbaros fuisse, sed e multis Graeciae locis conuenas.* *h*) Rom. Antiq. lib. I. c. vlt. *i*) Instit. orator. lib. I. c. 5. *k*) Vt est apud Halicarnassensem DIONYSIVM Rom. Antiq. lib. 2. c. 3. Vbi etiam post pauca de Romuli institutis atque legibus monita subiungit: ἐκ τῶν ἑλληνικῶν νόμων καὶ ταῦτα μετενηνεγμένος, ὡς ἐγὼ πείθομαι: *Et haec, vt credo ex legibus Graecorum introduxit.*

cum ſermonem populo commendauit. Vnde coepit ille paſſim in Italia doceri, et pro ſcientiarum haberi vehiculo: vt vicem obtinuerit eam, quam et apud nos ipſa Latina habuit lingua in rep. eruditorum literaria: vt dignior ſit facta, prope et vniuerſalis rudiori, vt ita dicam, vernaculae iuncta. Nec inter ipſos Reges Principesque populi, ac dein longa ſerie Imperatores, vix reperire aliquem poteris, qui Graecis literis non fuerit ſaltem mediocriter imbutus. Quod mirum nemini facile videbitur, cum relatum *l*) legerit, antiquiſſimos Doctorum, qui iidem et poëtae, et oratores ſemigraeci erant, nihil amplius, niſi Graece interpretatos fuiſſe: *Liuium* ipſum Andronicum illum, et *Ennium*, poëtarum vetuſtiſſimos, vtraque lingua domi atque foris docuiſſe. Ideo nec deſiit lingua Graeca, feliciſſimo Ciceronis et Auguſti ſeculo, Doctiſſimorum in ipſo Latio eſſe communis et accepta. *m*) Eaque propter ab eruditis Romanis, ea politiori et aurea Latinae linguae aetate, quae Soſpitatoris noſtri temporibus, et paulo ante, contigit, ſtudioſae iuuentuti legimus ſedulo commendari, *n*) et maiorum ipſi, ad imita-

l) Apud SVETONIVM de illuſtribus Grammaticis lib. cap. I.

m) Ex omnibus teſtimoniis, quorum tota hiſtoria plena eſt, memorabilis obuenit eaque Graeca *Iulii Caeſaris* in ipſo vitae diſcrimine ad Brutum, inter ſicarios venientem, acclamatio: ϗ σὺ εἶ ἐκείνων, ϗ σὺ τέκνον apud SVETONIVM Caeſ. cap. 82.

n) ita HORATIVS 3. Carm. od. 8. Maecenatem celebrat Doctum *ſermones vtriuſque linguae.* Idem de arte poëtica:

---- Vos exemplaria Graeca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

ibidem:

imitationem gloriamque hinc aliquando consequendam, proponi exempla. *o*)

§. V.

Satis mature Graecos in Italia etiam aperuisse ludos literarios, quos Graeco nomine scholas *p*) vocitarunt, mihi admodum credibile fit. Quandoquidem constat, iam inde ab vrbe condita, traditum, more haudquaquam reprehendendo, vti magnatum atque Principum tenera aetas aliquatenus saltem literis enutrirentur. *Romulus* et *Remus* par fratrum, adhuc pueruli a lacte depulsi, in vrbem *Gabios*, non procul a Palatino monte sitam, a nutritoribus

Ibidem:

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius auaris.

Et alibi:

Litterulis Graecis imbutus idoneus arti
Cuilibet. ---

OVIDIVS de arte amator. lib. 2. v. 121.

Nec leuis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit, et linguas edidicisse duas.

o) Theodosius ergo pater sero, et propemodum inclinante imperio, adhuc monuit Honorium adolescentulum; apud CLAVDIANVM de quarto consulatu Honorii:

Et quae mox imitere legas: nec desinat vnquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos euolue duces: assuesce futurae
Militiae: Latium retro te confer in aeuum.

p) σχολὴ dicitur vel ab otio honesto, et voluptate in docendo, vel a vacando: quod Graecis σχολάζειν est. Vnde AVSONIVS in Protreptico ad nepotes:

--- *Graio schola nomine dicta est:*
Iusta laboriferis tribuantur vt otia Musis.

ribus mittebantur, vt Graecam disciplinam haurirent; ibique apud priuatos *Faustuli* hospites educati, et literas, et musicam, et arma, more Graeco, tractare ad pubertatem vsque discebant. *q*) Ita quoque *Tanaquil* et *Tarquinius* Priscus, ipsi Graecorum disciplina persusi, *Seruium Tullium*, quem dubiis rebus suis lumen praesidiumque futurum augurabantur, filii loco habitum; erudiri curauere artibus, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur. *r*) Sed quonam id praecipue modo, quo tempore, et quibus conditionibus factum, omnes fere mecum se ignorare fatentur. Denique Tarquinio superbo regnante *s*) *Pythagoras Samius*, insignis philosophus, hausta Phoenicum, Aegyptiorum, Barbarorum, atque Graecorum sapientia, *t*) in Italiam venit, in eaque Regionis parte, quam vulgo Graeciam magnam vocant, *Crotone* praesertim docere instituit; tanta frequentia, vt raro pauciores sexcentis fuerint, qui noctu ad illum audiendum confluebant. Et, si qui præsentia illius frui meruissent, suis scribebant, hoc se tanquam magnum et praeclarum aliquid adeptos fuisse. Ipsius domum Cereris delubrum vocabant, vicumque sacratum Musis. Tres eius libros Plato centum minis sibi comparari per literas orauit.

q) Vid. DIONYSIVS HALIC. Rom. antiq. lib. I. c. 10.
r) DIONYS. l. c. lib. 4. cap. I. et 2. Confer. CYRIACI LENTVLI Profess. Marburg. quondam celeberr. *Apex Gloriae Romanae* pag. 96. *s*) Vid. AVLVS GELLIVS noct. Attic. lib. 17. cap. vlt. *t*) Pythagoram Aegyptiorum Sacerdotes, Persarum magos, et Indorum brachmanas adiisse, scriptores referunt: quem etiam inde regressum Cretam et Lacedaemona ad cognoscendas Minois et Lycurgi inclytas ea tempestate leges, contendisse, ex TROGO POMPEIO auctor est IVSTINVS lib. 20. c. 4.

uit. *v*) Ita ille passim per Italiam non paucos reddidit bonos et doctos viros, tenuitque, vt Romanae Principis eloquentiae *x*) verbis vtar, *magnam illam Graeciam cum honore et disciplina, tum etiam auctoritate, multaque secula postea sic viguit Pythagoreorum nomen, vt nulli alii docti viderentur.* Neque existimandum, sola Philosophorum dogmata eum tradidisse: verum oportet etiam, pro ingenio, quod summum in ipso erat, linguam iuuare, apta rebus dare verba, et sua ope gentem incultam, quantum in se quidem fuit, reuocare ad humanitatem studuisse. Quo TVLLIVS *y*) respicit, quando *Nec Pythagoras,* inquit, *nominis solum inuentor, sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit. Qui, quum post hunc Phliasium sermonem in Italiam venisset, exornauit eam Graeciam, quae magna dicta est, et priuatim, et publice praestantissimis et institutis et artibus.* Eodem tempore inclaruerunt *Thurii*, quorum legislator magnus ille *Charondas,* Pythagorae discipulus, quem, vt DIODORVS *z*) loquitur, ex ciuibus eruditae scientiae cultu spectatissimis optimum, delegerant, inter alia sciuit, *τῶν πολιτῶν τὰς υἱοὺς εἰς ἅπαντας μανθάνειν τὰ γράμματα. Ciuium omnes filios discere literas.* Et quia fore videbat, vt pauperes inopia fortasse non possent liberalibus studiis dare operam: statuit amplius, vt e publico ciuitatis aerario praeceptoribus stipendia soluerentur.

v) Plura vide apud DIOGENEM LAERTIVM de vitis et dogmat. Philosophorum lib. 8. in vita Pythagorae. *x*) CICERONIS Tuscul. Quaestion. lib. 1. c. 16. confer. Tusc. quaest. l. 4. cap. 1.

y) Tuscul. Quaest. lib. 5. c. 4. *z*) lib. 12. c. 11. Confer. DIOGENES LAERTIVS in vita *Pythagorae*, vbi disertis eum asserit per Italiam non paucos reddidisse bonos et doctos viros; *Zaleucum* inter ceteros et *Charondam* legumlatores.

tur. *a*) Imo et *Romae*, iam tum ſub Regibus, et Decemuirorum aetate, ſcholas fuiſſe quamplurimas, facile demonſtrari poſſet, ſi id nunc ageremus. Certe LIVIVS *b*) accurate ſcribit: *virgini venienti in forum* (*ibi namque in tabernis literarum ludi erant*) *miniſter decemuiri libidinis manum iniecit, ſerua ſua natam, ſeruamque appellans eſſe: ſequique ſe iubebat, cunctantem vi abſtracturum &c.* Taceo *Heracleam*, *Metapontum*, *Tuſculos*, alios, quorum ludi literarum ſtrepuere diſcentium vocibus. *c*) Vſque adeo, vt Ciceronis et Auli Licinii temporibus Italia plena fuerit Graecarum artium et diſciplinarum. *d*)

§. VI.

Neque ſolum in patria coepit Romana iuuentus Graecis inſtitui artibus; verum etiam prouectiori aetate Doctores longe celeberrimos in ipſa Graecia et alibi ſalutare voluit: quorum ad ſcientiae et morum nobile ſtudium quaſi manu duceretur. Adierunt vero, quantum memoriae

---

a) Teſte DIODORO lib. 12. c. 12. et 13. *ſancivit, vt omnes ciuium filii in bonis literis inſtituerentur, ciuitate ſtipendia magiſtris erogante. Proſpexerat enim illos, qui prae inopia rei familiaris minerualia ſoluere nequirent, honeſtiſſimo inſtitutionis fructu carituros. Literarum enim ſcientiam ceteris diſciplinis haud immerito praeferendam cenſuit. -- Vnde homines illiteratos, vt ſummis bonis deſtitutos, ad meliorem ille cultum hac ſanctione reuocauit, et publica illos cura impenſaque erudiendos cenſuit.* *b*) Hiſt. Rom. lib. 3. c. 44. Quod iiſdem propemodum verbis exprimit etiam DIONYSIVS HAL. Rom. antiq. lib. 11. c. 6. *c*) Iſtorum meminit IVSTVS LIPSIVS Louanii lib. 3. cap. 7. Oper. tom. 3. pag. 1417. edit. Veſalienſis 1675. Et in Synopſi ex eodem IAC. FRID. REIMANNVS, vir celeberr. ſyſtemate antiquitatis literariae pag. 69. *d*) CICERO orat. pro A. Lic. Arch. poëta c. 3.

moriae proditum eſt, inprimis Academiam *Athenienſem*, quae apud ATHENAEVM *e*) τὸ τῆς Ἑλλάδος μȣσεῖον, *Graeciae Muſeum* vocatur: quod literae et facundia, et ciuilis ordo diſciplinae velut templum Athenas habuere. *f*) Atque etiam paſſim aliis ornatur ciuitas haec elogiis haud infimi nominis Auctorum, et dicitur *Sapientum Domicilium*, ὀφθαλμὸς καὶ ψυχὴ ἐν Ἑλλάδι, *Oculus et Anima Graeciae*, Ἑλλάδος Ἑλλας, *Graeciae Graecia*, *communis omnium hominum Ludus literarius. etc.* Et Athenienſes ſtudioſi literarum, non natura, ſed magis more. *g*) Ipſe MARC. TVLLIVS *h*) omnium doctrinarum inuentrices nominauit Athenas, in quibus ſumma dicendi vis inuenta ſit, atque perfecta. Atque etiam in hac ipſa ciuitate, eodem teſte, nulla vnquam vehementius, quam eloquentiae ſtudia viguerunt. Erant ibi, extra omne dubium, nobiliſſimae virorum doctiſſimorum *Scholae*, *Academiae*, et *Lyceum* non vnius Philoſophi: vnde poſtmodum celebriores ſcholae noſtrae ſua nomina traxerunt. Erat *Stoa*,

 vnde

e) Lib. 5. c. 2. *f*) Quemadmodum ex TROGO POMPEIO id deſcriptum reliquit IVSTINVS lib. 2. c. 6. *g*) STRABO: Ἀθηναῖοι φιλολόγοι ȣ̓ φύσει, ἀλλὰ μᾶλλον ἔθει. Geograph. lib. 1. pag. 70. Edit. Geneuenſis 1587. *h*) De oratore lib. 1. cap. 4. De claris oratoribus c. 7. *Graecia*, inquit, *cum eloquentiae ſtudio ſit incenſa, iam diuque excellat in ea, praeſtetque ceteris, tamen omnes artes vetuſtiores habet, et multo ante non inuentas ſolum, ſed etiam perfectas, quam haec eſt a Graecis elaborata dicendi vis atque copia. Inquam cum intueor, maxime mihi occurrunt Atticae et quaſi lucent Athenae tuae, in qua vrbe primum ſe orator extulit, primumque etiam monimentis et literis oratio eſt coepta mandari. etc.*

vnde ſecta promanauit Philoſophorum Stoicorum. Erant et *Horti*, in quibus Epicurus cum ſectatoribus ſuis philoſophari ſolebat. *i*) Quamobrem docendi diſcendique gratia infiniti ferme eo ſe contulerunt. Et viri prouenere continuo inde toga et ſago illuſtres: quos inter nemo ignorat fuiſſe Theſeum, Codrum, Miltiadem, Themiſtoclem, Ariſtidem, Periclem, Alcibiadem, Cononem, Thraſybulum, Aeſchylum, Sophoclem, Euripidem, Ariſtophanem, Menandrum, Socratem, Platonem, Xenophontem, Iſocratem, Demoſthenem, Aeſchynem, Hyperidem, Thucydidem, Draconem, Solonem, innumeros alios. Sed Romanis ipſis nihil frequentius erat, quam quod prudentiae et ſtudiorum cauſſa, eam matrem nutricemque bonarum artium, Athenas adirent. Inde, exactis etiam Regibus, leges petebant, quibus ciuitatem ſuam fundarent: atque rectius eas interpretaturos ſeſe videntur crediſſe, ſi doctrina ipſorum Graecae ſapientiae ſtudiis perficeretur. *k*)

§. VII.

Poſt Athenas nomen venit celeberrimum *Alexandriae*, quae in Aegypto eſt, colonia Macedonum, Alexandri M. auſpiciis condita: vbi et ipſe poſtmodum, cum diem

i) Plura vide apud IOH. PHIL. PFEIFFERVM Antiq. Graec. lib. 2. c. 66. IOH. BVNONEM, obſeru. in Cluuer. Geogr. lib. 4. c. 8. §. 3. IOH. ANDR. SCHMIDIVM Exercit. Acad. de Gymnaſiis literariis Athenienſium Ienae 1689. in 4. excuſa.

k) Confer. pl. GEORG. NICOL. KRIEGKII de peregrinationibus Roman. Acad. diatribe a §. 6-38. Praeter innumeros, rebus Romanis iam florentibus, *Titus Pomponius Atticus* quoque idoneum tempus ratus ſtudiis obſequendi ſuis, Athenas ſe contulit: referente CORNELIO NEPOTE in eius vita cap. 2.

diem obierit fupremum, fepultus eft. Haec quam diutiffime fuit regia Mufarum fedes; et prouentu ingeniorum vberrimo, ftudia humaniora fub clariffimis Doctoribus ibidem floruere: nec prius extincta, quam Muhamedica Saracenorum barbaries circa A. C. DCL. fub Conftante, Heraclii filio, Aegyptum inundauerit. Mufeum hic iam tum cunctis nationibus vifitatum eft tempore Ptolomaei Philadelphi, qui maximis fumtibus, iftud bibliotheca voluminum feptingentorum millium exornauit. Mufeum ipfum fuit aedificium amplum, magnificum, in plurimas diaetas, conclauia, cellas atque membra defcriptum: quo iuftus doctorum virorum numerus liberaliter exhibitus eft atque nutritus: vti ftudia excolerent, confcriberent libros, et fectatores difcipulosue pro viribus quifque fuos, per fummum nobiliffimumque otium, iuuare poffet. De Mufeo ifthoc Alexandrino memoriae ita Geographus *l*) prodidit: *τῶν δε βασιλείων μέρος ἐςὶ, καὶ τὸ Μȣσεῖον, ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τȣ͂ Μȣσείȣ φιλολόγων ἀνδρῶν. Ἔςι δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινὰ, καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ Μȣσείῳ τεταγμένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νῦν δ' ὑπὸ καίσαρος.* *Pars etiam Regiarum eft Mufeum, quod deambulationem habet et exedram et maximam domum, in qua coenaculum eft eorum, qui Mufei confortes funt ac literis humanioribus ftudium impendunt. Hoc collegium publice pecunias habet et Sacerdotem, qui Mufeo praeeft, olim a Regibus, nunc a Caefare conftitutum.* Quotquot vero literatorum in Mufeo alebantur, maximis gaudebant emolumentis, adeo, vt equeftri etiam

l) STRABO Geograph. lib. 17. p. m. 546.

ordine relati summo quouis honore digni haberentur. Teste PHILOSTRATO *m*) *Adrianus Dionysium satrapam designauit, non humilium gentium, sed inter viros ordinis equestris censeri voluit et eos, qui in museo alebantur. Museum autem erat mensa Aegyptia, quae ex omni terrarum orbe celeberrimos quosque conuocabat.* Ideoque liberalium artium studiosi prae ceteris eam adire volebant scholam: vt STRABO *n*) nullus dubitauerit, eo nomine Alexandriam praeferre Tarso, vbi frequentem literatorum e quouis terrae tractu concursum iustis laudibus efferre studet. Sufficiat hic ipsius verba latine transscripsisse: *Tarsi, qui studia ista colunt, fere sunt indigenae: peregrini non facile eo ventitant. At indigenae domi non desident, sed vt perfectionem consequantur, peregre abeunt: perfectique libenter in alienis versantur locis: domum redeunt pauci. Reliquarum quas modo dixi vrbium diuersa est plane ratio, demta Alexandria, multi enim eo proficiscuntur, et libenter ibi commorantur. Indigenarum paucos videris aut alia doctrinae causa proficiscentes, aut ibi degentes, vt literis operam impendant. Alexandrinis vtrumque vsu venit. Nam et multos recipiunt peregrinos, et emittunt suorum haud paucos. Suntque apud eos omnis generis liberalium artium Scholae.* *o*)

§. VIII.

m) De Sophistis lib. 1. in vita Dionysii Milesii. Confer. eiusd. vita Polemonis et Scopeliani. ATHENAEVS lib. 1. c. 19. lib. 5. c. 8. lib. 15. c. 6. SVETONIVS in vita Claudii Imperatoris. c. 42.

n) Geograph. lib. 14. p. m. 463.

o) Confer. pl. IOH. FRID. GRONOVII de Museo Alexandrino Exercitationes Academicae 1667. habitae; sed a filio Iacobo Gronouio volumini X. Antiq. Graecar. insertae, LVDOLPHI NEOCORI de Museo Alexandrino

§. VIII.

Quis nescit *Massiliam* fuisse illam, vt TACITVS *p*) habet, *Studiorum Magistram?* Puta, Romae Tarquinio Prisco regnante, Phocenses ac Rhodii coloniam deduxerunt in Galliam: et Massilia oppido ad mare internum condito, Graecas artes simul atque linguam huic regioni intulerunt. Praestat hac de materia ipsum audire modo laudatum rerum Geographicarum commentatorem. *q*) πάντες γὰρ οἱ χαρίεντες πρὸς τὸ λέγειν τρέπονται καὶ φιλοσοφεῖν. ὥς δ' ἡ πόλις μικρῷ μὲν πρώτερον τοῖς βαρβάροις ἀνεῖτο, παιδευτήριον, καὶ φιλέλληνας κατεσκεύασε τὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια Ἑλληνιςὶ γράφειν. ἐν δὲ τῷ παρόντι καὶ τὺς γνωριμωτάτυς Ῥωμαίων πέπεικεν, ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾷν φιλομαθεῖς ὄντας. *Nam quicunque sunt elegantiores, ibi homines ii se ad dicendum et Philosophandum conferunt. Itaque vrbs ea, paulo ante Barbaris loco ludi literarii patefacta,*

drino Exercitatio Academica, exercitationum volumine, quod Lipsiae 1707. in 8. prodiit, recusa. M. BENIAMIN. HEDERICHI Commentatio breuis de schola Alexandrina et Tarsensi, quae habetur in diplomate quodam scholastico 1704. Wittenbergae in 4. GEORGII NICOLAI KRIEGKII de peregrinationibus Romanorum Academicis diatribe a §. 64 -- 67. Neque silentio praetermittenda est elegantissima I. PHIL. CROLLII Professoris Bipontini celeberr. oratio de Alexandrinorum Museo, qua prouinciam sibi demandatam 1721. auspicatus est.

p) In vita Agricolae cap. 4. Confer. IOH. CASP. KHVNII Differt. Academica de Massilia studiorum sede et Magistra ad citatum Taciti locum. PHILIPPI CLVVERII German. Antiq. lib. I. cap. 3. GEORG. NICOL. KRIEGKII de peregrinationibus Roman. Academicis diatribe a §. 49 -- 56.

q) STRABONEM Geograph. lib. 4. p. m. 125.

tefacta, *tantum Graecarum literarum studium apud Gallos excitauit*, *vt contractuum quoque formulas Graece conscriberent.* *Et hodie nobilissimis etiam Romanorum persuasit*, *vt discendi studio*, *pro Atheniensi peregrinatione*, *Massiliensem amplecterentur*. Huc facit quoque IVLII CAESARIS r) testimonium, vbi de Druidibus earundemque disciplina tradidit, Gallos in rebus publicis priuatisque rationibus Graecis vti literis: et in Heluetiorum castris s) tabulas fuisse repertas, literis Graecis exaratas; in quibus nominatim ratio confecta, qui numerus domo exiisset eorum, qui arma ferre potuerunt. Peregrinationes suas propter liberaliores artes Romani etiam alio instituere, vbi Graecos nouerant habere sua literarum emporia: *Rhodum*, verbi gratia, quae insula in mari mediterraneo sita est, eruditionis fama, et frequentia commerciorum insignis: itemque *Ephesum*, *Tarsum*, *Mitylenam* et in alias Academias, quas enumerare omnes, longum est. t)

§. IX.

Ecquis nunc inficias ire poterit, Latinam linguam, tanto Graecos atque Romanos inter literarum commercio instituto, aliena vocabula hausisse quam plurima: vt partim ex patria Celto-Scythica, partim ex Graeca coaluisse, et tota ad huius quidem, ceu Magistrae, structuram exculta videatur? v) Quamobrem, nec absque ratione, QVINTI-

r) Belli Gallici lib. 6. cap. 13. s) Idem Belli Gallici lib. 1.

t) Confer. IVSTI LIPSII Louanium lib. 3. cap. 7. 8. MORHOFII Polyhist. liter. lib. 1. c. 14. §. 4. seqq. KRIEGKIVS l. c. IOH. IOACH. ZENTGRAVII Dissert. de peregrinatione academica ad Cicer. lib. 1. Offic. cap. 1. Celeber. WALCHII parerga academ. p. 70. seqq. v) Vid. MORHOFIVS in doctissima de Patauinitate Liuiana dissertatione c. 6.

QVINTILIANVS *x*) *Haec diuisio mea*, inquit, *ad Graecum sermonem praecipue pertinet: Nam et maxima ex parte Romanus inde conuersus est.* Et alibi: *y*) *Nomina Latina ex Graecis orta sunt plurima, praecipue Aeolica ratione, cui noster sermo est simillimus.* Magna vtique linguam inter vtramque affinitas est, et vocabula non modo in etymologia, verum etiam in ipsa syntaxi, nonnunquam amicissime conspirant. *z*) Ex omnibus paucula refero. Latini pro *poposci*, *momordi*, *pupugi* etc. dixerunt olim *peposci*, *memordi*, *pepugi*: quoniam Graeci in quadam specie temporis praeteriti, quod παρακείμενον appellant, secundam verbi literam in ε plerumque vertunt, vt γράφω, γέγραφα etc. *a*) Nec indocte CHRIST. DAVMIVS *b*) pleramque demonstrauit radicum LL. partem, quae nunc amissa putatur, Graecae originis esse, vt ea, quae manserunt e. gr. *pecere* i. e. tondere ἀπὸ τῦ πέκειν; *trepere* τρέπειν; *clepere* κλέπειν, vel κλέπτειν; *apere* ἄφειν, vel ἅπτειν; *dapere* δάφειν, vel δάπτειν: *luere* λύειν etc.

§. X.

Ita maximam studiorum partem et ipsum linguae suae emolumentum Latini Graecis debent. Quod ipse Pater eloquentiae nullatenus simulare potuit: quin data quauis occasione, eam cultissimae nationis gloriam honestis

x) Instit. Orator. lib. 1. c. 5. *y*) lib. 1. c. 6.

z) Id praeter alios docuere VECHNERVS in Hellenolexia et LEOPOLDVS PONATVS in harmonia linguarum c. 7.

a) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 7. c. 9. Idem lib. 1. c. 18. multa docet vocabula Graecorum antiqua hodie ignorari. Sic e. gr. nunc κλέπτης dici, dictum antiquiori Graecorum lingua φῶρ. Vnde Latinorum *Fur*.

b) Diatribe de caussis amissarum radicum LL. cap. 14. Confer. PONATVS l. c. et VARRO de lingua Latina lib. 5. cap. 10.

nestis prosequeretur laudibus. *c*) *Non*, inquit, *me hoc iam dicere pudebit, praesertim in ea vita, atque iis rebus gestis, in quibus non potest residere inertiae aut leuitatis vlla suspicio, nos ea, quae consecuti sumus, his studiis et artibus esse adeptos, quae sint nobis Graeciae monimentis disciplinisque traditae.* Alibi: *d*) *Sint ista Graecorum, quanquam ab his philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus: Sed tamen est aliquid, quod nobis non liceat, liceat illis.* Rursum: *e*) *Auditis Oratoribus Graecis, cognitisque eorum literis, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagrauerunt.* Neque Vates Venusinus *f*) dissimulare potuit, iustam poësin Latinos a Graecis accepisse, vbi:

> *Graecia capta ferum victorem cepit, et artes*
> *Intulit agresti Latio: sic horridus ille*
> *Defluxit numerus Saturnius, et graue virus*
> *Munditiae pepulere.* — — — —

Longe plura et infinita propemodum possemus huius rei proferre testimonia; sed istis modo allegatis erimus contenti. Nam inde potest facillime coniici, Romanos eorundemque linguam Latinam ab exordio et primis incunabulis valde rudem, quod hactenus multis modis, tot freti clarissimorum Auctorum testimoniis, assertum iuimus, Graeciam habuisse Magistram, cuius opera ad eam, qua gaudebat olim, ac etiamnum celebratur, dignitatem peruenit.

CAP.

c) CICERO ad Q. Fratrem lib. 1. epist. 1.

d) Idem de finibus lib. 2. c. 21.

e) Idem de Oratore lib. 1. c. 4.

f) HORATIVS Epist. 1. lib. 2.

CAP. III.

De ſtatu Latinae linguae ſub Regibus, ac vili conditione, ex ſuperſtitibus nonnullis huius Seculi fragmentis demonſtrata.

§. I.

PUerilis ac balbutiens, vt poſteris videbatur, lingua 2. Aboriginum ſiue Latinorum in Italia, 3. Vtut monumentorum defectu tota ſqualore atque tenebris quaſi habeatur ſepulta, ipſam tamen, vel ex natura gentis, barbariem ſuam prodit. 4. Noua Vrbis et Imperii facies, ipſi linguae pariter fatalis, ſcripta quaedam protulit, ex quibus nunc praeter nomen et fragmenta paucula obſcuriora nihil ſuperſit. 5. Quidnam in illis poſſit deſiderari. 6. Ad eruendum linguae Latinae ſtatum, Romuli emendatur et examinatur lex vnica, de filiorum iniuriis, quibus parentes afficiunt. 7. Deinde leges Numae Pompilii recenſentur, ſigillatim illa de homine fulminis ictu exſpirante. 8. De homine libero non interficiendo. 9. De mulieribus, quae alienis viris miſcentur. 10. De ſpoliis in re militari. 11. De ſacrificiis. 12. De termino in agris non exarando atque aliis. 13. De Saliaribus hymnis: 14. Quorum nonnulla vocabula dilucidantur. 15. De Annalibus maximis, et 16. Similis argumenti libris deperditis.

§. I.

EXaminata, poſt originem, Latinae linguae magiſtra, quam prolixe vidimus Graecam eſſe; ad ipſius fata

E e praeſer-

praesertim illa progredimur, quae pueritiam atque adeo tenerrimam aetatem sub Regibus ac deinceps sustinuisse apparet. Priscus hic et diu obsoletus, proin ipsis aliquando literatoribus non infimi nominis odiosus, Latinitatis status merito nobis indagandus est: vti, quantum per istas quidem temporis obscurissimi tenebras licet, ordine videamus, quomodo lingua nunc adeo perpolita exculta-que, vt orbis literatus eam prae reliquis omnibus constituerit in communem quasi Reip. suae vernaculam eligere, Barbaris primum vsitata gentibus, multo squalore deformata in vulgus prodierit. Quamuis tum etiam satis eleganter quisque in lingua sua et rationis vsu quam maxime locutum fuisse, ipsimet sibi videretur. Nam Venusino protinus adstipulor Poëtae asseueranti: *a)*

> *Vt sylvae foliis pronos mutantur in annos,*
> *Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas.*

Rursum:

> *Multa renascentur, quae iam cecidere cadentque*
> *Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus?*
> *Quem penes arbitrium est, et ius et norma loquendi.*

§. II.

Latinam linguam, cuius primam atque puerilem aetatem in praesenti describere constituimus, Italicorum populorum ab antiquissimis temporibus domesticam fuisse atque vernaculam, ex superioribus abunde patet; vel sola istius appellatio neminem ignorare patitur, nisi qui forsan ab omni rerum humanarum notitia longissime abest. Adeo etiam cuique indoctissimo constat, quoad longissi-

a) HORATIVS de arte poëtica.

longissime possumus respicere spatium praeteriti temporis, gentes fuisse dudum vetustissimas, quae sub coelo clementiori positam, nullisque terris secundam celebritate, Regionem istam coluere. Nec alios, praeterquam *Aborigines* attendere licet, mox a *Latino* Rege, qui belli Troiani temporibus regnauit, *Latinos* vocatos. *b*) Hinc ipsa, quam habitabant, etiam terra *Latium*, eorundemque lingua *Latina* dicebatur. Prae ceteris namque Italiae populis isti eminebant Latini, siue Aborigenes, ad quos plerique, potentia pellecti minores, accesserunt: vt in vnam quasi gentem cum istis coaluerint, ac iure merito lingua domestica, vt fieri vulgo solet, a parte regionis potiori denominata fuerit: maxime cum inter ipsos Italiae incolas tanta obseruaretur dialectus et loquelae differentia, qua praesertim Aborigenes, pro temporum ratione ac moribus, Latine fuisse locutos, dicendum sit: ex aduerso Tuscis aliisque nonnisi barbaro et alieno sermone, qui ne vestigia quidem retulerit Latinae linguae, vtentibus: si clarissimo cuidam et summi iudicii Viro, *c*) in re tam obscura, quam antiqua, fidem habere velimus.

§. III.

Sed quicquid etiam statueremus de differentia linguae, vel dialectus istius aeui, in Italia; tenebris haec tamen omnia, plus quam Cimmeriis, obuoluta latent.

 Nihil

b) Vid. DIONYSIVS HALIC. Antiq Rom. lib. 1. c. 2. T. LIVIVS Hist. Rom. lib. 1. c. 1. 2. IOH. FVNCCIVS Chronol. p. 42. D. ALSTEDIVS Chronol. p. 211. Plures alii.

c) SAMVELI BOCHARTO Geogr. sacr. part. post. cap. de Italia. Conferatur huius differt. cap. 1, §. 3.

Nihil enim ex illa antiquitate scriptorum superest, quibus de conditione et modo loquendi nobis aliquid innotescere queat. Et hoc ipsum prohibuit vel iniuria temporum, quae, quod scriptum forsan erat, citius opinatu suppressit; vel summa populorum negligentia et rusticitas in caussa est, quae ab omni libros conscribendi cura non solum fuisse aliena, sed prorsus abhorruisse videtur. Atque hoc vltimum vt omnium maxime credam, facile Romanorum Historicorum Principis adducor testimonio, *d*) *quod rarae et paruae per ea tempora literae fuerint; vna custodia fideli rerum gestarum memoria.* Adeo pleraque sua per manus ad posteros propagarunt ἄγραφα, et nobis ne hilum quidem cognoscendum de pervetusto sermone suo reliquerunt: quod aures nostras, vel incredibili quadam et insolita vltimae antiquitatis dulcedine, vehementer oblectare, vel asperitate durissima, offendere possit. Hoc saltem, nec absque fundamento, coniicimus, quod prisca illa Latina lingua temporis eiusdem agrestibus horridisque moribus bene responderit: quod adeoque satis barbara et rudis, horridum quid delicatis auribus sonans, neque cum Graeca, cui tum plerique cordatiores studebant, neque cum ipsa illa perpolita, prout aetatibus proxime sequentibus consueuit, Latinitate vllo modo comparanda veniat. Imo vix mihi credibile fit, si ex nostris cuipiam nunc istos populos loquentes audire contingeret, fore, vt sermonem intelligat, sensumque assequatur verborum, a quibus Latinitas hodierna penitus abhorret. Quo casu ne quid a me videatur effictum, cetera Historici Mega-

d) T. LIVIVS hist. Rom. lib. 6.

Megapolitani *e*) verbis profequar: Τηλικαύτη γὰρ ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς Διαλέκτου, καὶ παρὰ Ῥωμαίοις τῆς νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἐνιαμόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν. *Veteris ſane linguae etiam Latinae tanta diuerſitas eſt ab illa, qua hodie vtuntur, vt vel peritiſſimi nonnulla aegre, vbi animum attenderint, explanare queant.*

§. IV.

Is profecto ſtatus fuit Latinae linguae antiquiſſimus, quoad Regnum Albanum durauit. Deinceps Anno primo ſeptimae Olympiadis, *f*) *Roma* a germanis fratribus, Romulo et Remo, vel denouo extructa, vel, quod magis credibile, ex oppido vetuſtiori, in vrbis magnificae formam redacta et amplificata, multum Hiſtoricis ſcribendi anſam dedit. *g*) Haec celeberrima Imperii ſedes, dum ſenſim

 ſenſim-

e) Vid. POLYBIVS MEGAPOLITANVS Hiſtor. lib. 3. Confer. A. GELLIVS Noct. Attic. lib. 1. c. 10. Et SENECA Epiſt. 114. FESTVS vel epitomator eius PAVLVS: *Latine loqui a Latio dictum eſt; quae locutio adeo eſt verſa, vt vix vlla pars eius maneat in notitia.*

f) Vt DIONYSIVS HALIC. teſtatur, ſecundum calculum IOH. FVNCCII Chronol. p. 57. anno mundi 3213. ALSTEDII Theſ. Chronol. p. 262. anno 3197. THOMAE LYDYATI emendat. temporum p. 40. anno 3258. Aliter aliis computum inſtituentibus. *g*) Vid. DIONYS. HALIC. Rom. Antiq. lib. 1. cap. 9. et lib. 2. cap. 1. T. LIVIVS hiſtor. Rom. lib. 1. IVL. SOLINVS polyhiſt. c. 2. FESTVS in voce Roma. ROSINVS Antiq. Rom. lib. 1. c. 1. Ibid. DEMPSTERVS. Et innumeri e recentioribus alii. Imo videtur ipſe *Romulus* ex *Romae* vocabulo nomen accepiſſe. Ita ſaltem MARINVS vel MARIANVS, vetus Lupercaliorum Poëta:

Roma

sensimque omnes et dignitates, et potentias, et splendorem, et diuitias, ad se pertraheret, simul ac statu politico fatalis admodum fuit, respectu literarum et ipsius linguae notari meretur. Vel quis non ad primam Romae commemorationem profitebitur vltro, eam prae ceteris omnibus de scientia et bonis artibus triumphare? Quis non eam dicat laudibus multum excellere? Vel quis denique non sentiat, Latinam linguam cum isthac metropoli sua quasi renatam, postmodum felicius in ea conseruatam, et vsque adeo excultam fuisse, vt amplius non tam *Latina*, quam *Romana*, quasi huic vrbi soli natales debeat, vocitari voluerit? Sed tamen sub auspicio felicissimae vrbis, et quoad Reges in ea fasces Imperii tenuere, *h*) nihil rursum,

Roma ante Romulum fuit,
Et ab ea nomen Romulus
Acquisiuit. — — —

Deinde Romam a Roma, Aesculapii filia, nomen traxisse versibus tradidit, qui manci et corrupti apud SERVIVM ad eclog. Virgil. 1. exstant, et a SALMASIO Exercit. Plin. p. 7. ita digeruntur:

Sed Diua flaua et candida,
Roma Aesculapii filia,
Nouum nomen Latio facit.
Hanc conditricis nomine
Ab ipsa omnes Romam vocant.

Contrarium voluit VARRO de lingua Latina lib. 8. c. 35. vt alios taceam.

h) Tenuere autem Reges imperium, secundum IOH. FVNCCII sententiam Chronol. p. 65. ad vsque annum mundi 3456. v. o. 244. Quo ob Sexti Tarquinii stuprum violentum Lucretiae illatum, expulsis Regibus, Consules bini ac bini annuatim regnantes summam potestatem sibi victricibus armis sumserunt.

ſum, vel pauciſſima ſcriptis expreſſa habemus, quae priſcum et genuinum ſermonis Romani ſtilum prodere, ac nobis ſufficienti modo repraeſentare valeant. Quamuis enim *Romulus*, conditor vrbis, quaſdam, ad ſtatus ordinandos, et incolas Romae ciuesque ſuos ad vitam cultiorem reuocandos, leges conſcripſerit; †) ac poſt eum *Numa Pompilius* Rex auctor fuerit latis legibus honeſtis ac vtilibus, *i*) quarum etiam nonnullae fuerunt ſcriptis mandatae, *k*) haec tamen maximam partem ſimul ac alia monumenta fato iniquo periere, vt quod ad ipſas antiquioris huius ſeculi voces, vocum ſtructuram, ſcriptionem ac orationem integram attinet, parum nobis cognoſcendi detur facultas.

§. V.

Exſtant hodie quidem Romuli et Numae Pompilii leges nonnullae, ſiue iuris Papyriani (is enim codice ſuo leges Regias olim collegerat) fragmenta, veterum Grammaticorum ſolertia partim, partim recentiorum Jureconſultorum et antiquariorum ſtudio aſſeruata. Ita FRANCISCVS BALDVINVS in eo, quem ad leges Romuli ſcripſit, libro octodecim ipſius leges recenſet, quas tempore ſuo in tabula antiquiſſima ſcribit inueniſſe. Atque etiam multas ex his PAVLVS MANVTIVS in legum libello commemorat. Quibus inſuper ſex alias PANDVLPHVS PRATEVS, haud incelebris Jureconſultus, addidit. *l*) Sed eiuſmodi ſunt, quae reſpectu iuris, ſenſum aliquem legum, ex auctoribus aliis petitum

†) Vid. DIONYSIVS HALIC. antiq. Rom. l. 2. c. 4.

i) Vid. DIONYSIVS HALIC. antiq. Rom. lib. 2. c. 8. 9.

k) DIONYSIVS l. c. confer. PLINIVS Hiſtor. natur. lib. 13. c. 13.

l) Omnes ſuis fontibus erutas commonſtrauit etiam ROSINVS. Antiq. Rom. lib. 8. c. 5.

petitum, exhibent: quibus vero neque modum scribendi, neque contextum, neque vocem vllam antiqui seculi nobis relictam videre licet. Speciem prae se maiorem ferunt ipsa FESTO POMPEIO passim allegata legum Regiarum fragmenta. Et potuit ille quidem, inficias ire nolim, insignia et genuina quaedam istius aeui monumenta nobis conseruasse. Enim vero, quod dolendum maxime, optimus Auctor, vt plures ex classicis alii, seculis obscurioribus et semibarbaris, orbi literato admodum fatalibus, antiquariorum et librariorum incuria, vel ignorantia, cum illas diu obsoletas vocabulorum constructiones, et mirum scribendi modum non assequerentur, varia primum accepit menda: quae cum recentioribus corrigere, vel restituere, piaculum ferme fuisset, non modo obscuritatis, verum etiam hinc inde falsitatis atque errorum ansam dederunt. Accedit, quod post epitomatoris, PAVLI DIACONI, opera, ipse FESTVS, blattis et tineis expositus, iacturam fecerit literarum longe maximam: vt fragmenta nunc non nisi ex fragmentis colligere, et aegerrime colligere possimus. Sedulam illis quoque, post renatam Latinitatem, Maximi Viri, ANTONIVS AVGVSTINVS, FVLVIVS VRSINVS, IOSEPHVS SCALIGER, DIONYSIVS GOTHOFREDVS, alii nauarunt operam, et menda, quae irrepsere temporis successu expurgare allaborarunt. Nec infelici conatu. Sed tamen in vetustissimis hisce Regum Romanorum, Decemuirorum etc. monumentis, dictionem antiquam, et scribendi modum, illis ipsis tanti nominis literatoribus alibi traditum, non ignorantia quidem, vel haesitatione, verum negligentia quadam et incuria non vbiuis attenderunt. *m*) Vestigia eorum

m) Ex. gr. vbiuis pene apud istos G literam inuenies scriptam in legibus

eorum poſtea incauti erroris legerunt IACOBVS RAEVARDVS, IOH. ROSINVS, CHVNR. RITTERSHVSIVS, IAC. GOTHOFREDVS, et nuper IANVS VINC. GRAVINA, vt alios taceam. Rectius ſenſit, ac priſtinam legibus faciem reſtituere PAVLVS MERVLA, in illo, quem de legibus Romanorum ſcripſit, libro ſtuduit. Neque etiam ille ſibi vbiuis ſimilis eſt: quod ſcriptum hoc poſtumum, curas poſteriores eius videre nunquam potuit. Quoquo denique loco habeantur leges iſtae: minimum voces in illis ſuperſunt ex infima aetate: quas nunc quidem perluſtrare, et ordine ſuo, et breuiter, operae fore pretium exiſtimamus. Atque hinc inde ſimul annitemur quantumpote antiquiſſimum ſcribendi modum cum textu claſſicorum Auctorum vulgari exhibere: quo ex vtriuſque collatione maior lux, et maior ex oppoſitis differentia appareat. Coniecturae noſtrae rationes, quas pro fundamento emendationis certo poſuimus, nonnullas ſubiiciemus ſtatim breuibus, alias et principes quidem iſtas, vbi de Tabulis, roſtrata C. Duilio, et illa haud longe poſt Scipioni Barbato, poſitis, antiquiſſimis et indubitatis LL. monumentis, ſermo erit, largiori manu dabimus.

§. VI.

Legum, quas Romulus, Romanorum Rex primus, tulit, vnica ſupereſt apud FESTVM, n) quae tamen, an Romulo adſcribenda ſit, primo intuitu, nec immerito dubitari poteſt: cum tribus Regibus eadem lex ſimul et

 ſemel

gibus Regiis, longe demum poſt a Caruilio quodam ludimagiſtro inuentam. Literas duplicarunt itidem, quod olim nunquam ad vſque Ennii tempora obtinuit. Et ſic in reliquis, paulo inferius, Tabulae roſtratae occaſione, plenius deducendis. n) In voce *Plorare.*

femel tribuatur. Ipsius verba videamus: *Plorare*, inquit, *flere, inclamare nunc significat, et cum praepositione implorare, id est inuocare: At apud Antiquos plane INCLAMARE. In Regis Romuli et Latii legibus: SI. NVRVS. SACRA. DIVIS. PARENTVM. ESTO.* o) *Et in Seruii Tullii hoc est: SI. PARENTEM. PVER. VERBERIT, AST. OLLE. PLORASSIT. PARENTES, PVER. DIVIS. PARENTVM. SACER. ESTO, id est clamarit, dixit.* Verba intricatissima, et ordine turbatissimo collocata, IOSEPHVS SCALIGER p) ita restituit: *In Regis Romuli, Tatii, et Seruii Tullii legibus haec est: SEI. PARENTES. PVER. VERBERIT, AST. OLOE. PLORASSINT, PVER. DEIVEIS. PARENTVM. SACER. ESTO: SEI. NVRVS. SACRA. DIVEIS. PARENTVM. ESTO.* PAVLVS MERVLA q) in hunc modum ista redegit emendauitque: *in Regis Romuli et Tatii legibus haec est: SEI. NVROS. PARENTEM. VEBERIT, AST. OLE. PLORASIT, SACRA. DIVEIS. PARENTVM. ESTOD. In Seruii Tullii haec est: SEI. PVER. PARENTEM. VERBERIT, AST. OLE. PLORASIT, PVER. DIVEIS. PARENTOM. SACER. ESTOD.* Sensus est: vt Nurus, quae socero, et filius, qui parenti suo fecit iniuriam verbis, aut factis, conuiciando, pulsando, verberando, puniretur, neque hoc istis impune esset. Scriptionem si respicere velimus, haec praesertim ceu antiquissima nobis arridet: SEI. NVROS. PARENTEM. VERBESIT. AST. OLE. PLORASIT. SACRA. DIVEIS. PARENTOM. ESTOD. SEI.

o) Alii ita legunt, si nurus incestum passa non plorassit, sacra diuis parentum esto. Vid. DIONYS. GOTHOFREDI notae in Festum, Corpore Auctorum Latinae linguae p. 1782.

p) In emendat. ad Festum voc. *ab Oloes* et *plorare*.

q) De legibus Roman. cap. 2. §. 4. p. 36.

SEI. PVER. PARENTEM. VERBESIT. AST. OLE. PLORASIT. PVER. DIVEIS. PARENTOM. SACER. ESTOD. VERBESIT. pro *verberet* seu *verberauerit*; quemadmodum *plorasit* dicebatur antiquitus, quod nunc *plorauerit*, et *dicasit*, quod nunc *dixerit*. *r*) Ita enim voces contrahere, et loco R, litera S. quam frequentissime vti solebant. OLE pro *ille*, O. et I. vocalibus inter se commutatis, et altero L. excusso. Antiqui enim non geminabant literas. Ita dicebant quoque *ab oloes*, pro *ab illis*, et *oloe*, pro *illi*: vt in Saliari *pilumnoe poploe* sunt *pilumni populi*. *s*) DIVEIS. PARENTOM. SACER. ESTO. i. e. Diis parentum deuoueatur, vt illis mactari, instar holocausti, et immolari, maleficii damnatus, a quolibet impune possit. Ideoque cauetur lege tribunitia prima: *Si quis eum, qui ex plebeiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit.* Ex quo etiam quiuis homo malus et improbus sacer appellatur. *t*)

§. VII.

Plura ex legibus Numae Pompilii fragmenta reperiuntur. Apud FESTVM: *v*) *Occisum a necato distingui quidam, quod alterum a caedendo atque ictu fieri dicunt, alterum sine ictu. Itaque in Numae Pompilii Re-*

r) PAVLVS DIACONVS, FESTI epitomator in voce *dicassit*.

s) Vid. FESTVS, siue PAVLVS, epitomator eius, et SCALIGER in voc. *ab oloes*. AVSONIVS POPMA de vsu antiquae locutionis lib. I. c. 2. p. 10.

t) FESTVS in voc. *Sacer*. *v*) In voce *Occisum*. Sententiam legis refert quoque PLINIVS hist. natur. lib. 2. cap. 54. vbi hominem, inquit, ita exanimatum, cremari fas non esse, condi autem terra, eo in loco, vbi fulmine percussus erat, religione tradi.

gis legibus scriptum esse: *SI. HOMINEM. FVLMINIBVS. OCCISIT. NE. SVPRA. IANVA. TOLLITO. Et alibi*: *HOMO. SI. FVLMINE. OCCISVS. EST, EI. IVSTA. NVLLA. FIERI. OPORTET.* Quae verba ita restitui debent: SEI. HEMONEM. FVLMIN. IOBIS. *x*) OCISIT. NEI. SVPERA. CENVA. TOLITOD. HEMO. SEI. FLVMINED. OCISVS. ESCIT. OLOE. IOVSTA. NVLA. FIERI. OPORTETOD. HEMONEM veteres *hominem*, et *hemona humana* dixerunt. *y*) Sic quoque *Benus* pro *Bonus*, *Helus* pro *olus*, *Helera* pro *Olera*: Vt ex eiusdem Festi fragmentis patet. FVLMIN pro *fulmen*. Commutarunt videlicet E et I. literas. z) Atque etiam *Fulminis*, casu recto, pro *fulmen* dixerunt: quae lectio proin aliis mage placet. IOBIS pro *Iouis*. Antiquitus enim B et V aeque in pronunciando, ac in scribendo, promiscue posuerunt. Sic in antiquis monumentis leguntur, *Abus*, *Serbus*, *Amauilis*, *Venemerens*, et sexcenta alia. Ex quo promiscuo literarum vsu etiam multi errores in veterum libros irrepsere, propter similium dictionum aliam atque aliam expressionem: ita *viuit*, *bibit*, *acerbat*, *aceruat*, *habe*, *haue*, *belle*, *velle*, *bilis*, *vilis*, *iubet*, *iuuet*, *nobis*, *nouis*. Id genus non numeranda ambigua. Licet, ista si quis recentiora magis, seu medii aeui, negligentius scripta, quam vetustissima monumenta redolere, velit curiosius asseuerare

x) IVSTVS LIPSIVS et qui sectatur eum, PAVLVS MERVLA de legibus Rom. cap. 5. §. 8. p. 90. I. V. GRAVINA in origine iuris ciuilis lib. 2. com. 22. *fulminis* nominatiuo casu legunt ex Archaismo. *y*) FESTVS in voc. *hemona*.

z) Exempla vide apud AVSONIVM POPMAM de vsu antiquae locutionis lib. 1. cap. 1. p. 5.

rare, ego inficias ire nolim. *a*) ESCIT *erit*. *b*) IOVSTA pro *iusta*, quemadmodum *Loucetios*, *nountios*, *loumen*, *c*) et alia per OV fcripfere veteres, quae poftea per V tantum exprimere maluerunt. In veteri de Thermenfium immunitate plebifcito, *ious deicunto*, *quae leges quodque ious*, *iouris Thermesium etc.* toties totiesque legimus, vt alia antiquitatis monumenta filentio tranfeamus, quae femper *Fourius*, *foures*, *ioudico*, et fimilia habent.

§. VIII.

Aliam Regis Numae Pompilii legem recenfet FESTVS *d*) in hunc modum: *PARICI QVAESTORES appellabantur, qui folebant creari caufa rerum capitalium quaerendarum. Nam PARICIDA non vtique is, qui parentem occidiffet, dicebatur, fed qualemcunque hominem. Id autem fuiffe, indicat lex Numae Pompilii Regis his compofita verbis: SI. QVIS. HOMINEM. LIBERVM. DOLO. SCIENS. MORTI. DVIT. PARICIDA. ESTO.* Quam IOSEPHVS SCALIGER *e*) ex fchedulis Seruianis altera parte auxit ita: *SEI. QVIS. HOMINEM. LIBERVM. DOLO. SCIENS. MORTEI. DVIT. PARICEIDA. ESTO. SEI. IM. IMPRVDENS. SE. DOLO. MALO. OCCISIT. PRO. CAPITE. OCCEISEI. ET. NATEIS. EIVS. IN. CONCIONE. ARIETEM. SVBIICITO.* Quod fi vero dictionem antiquam attendere licet, fic fe habet: SEI. CVIPS. HEMONEM. LOEBESOM. DOLO. SCIENS. MORTEI. DVIT. PARICEIDAD. ESTOD. SEI. IM. IM-

a) Vid. LIPSIVS Var. lect. lib. 2. cap. 28. vbi inter alia fe vidiffe affirmat *Adamantii Martyris* libellum de affinitate V. et B. Vid. etiam POPMA l. c. cap. 3. p. 11.

b) FESTVS in hac voce. *c*) De quibus VICTORINVS lib. I. nobis auctor eft. *d*) In voce *Parici Quaeftores*.

e) In Fefti emendationibus ad voc. *Subici*.

PRVDENS. SE. DOLO. MALOD. OCEISIT. PRO. CAPITED. OCEISEI. ET. NATEIS. EIIVS. ENDO. CONCIONED. ARIETEM. SVBICITOD. CVIPS. pro *Quis*. Vbi probe notandum venit, Latinorum vetustissimos pronomina longe aliter protulisse, ac hodienum nos ista pronunciare solemus. Ita verbi gr. *Ipsus* pro ipse, *Ips* pro is, *Quips* pro Quis, *Isipte*, vel *Ipsipte*, pro Illiipsi, *Em*, et *Im*, pro eum, *Hibus* pro his, *Ibus* pro iis, *Mis* pro meis, *Tis* pro tuis, *Sis*, *Sos*, et *Sas*, pro Suis, Suos et Suas. Huius furfuris alia passim eorum monumenta praemonstrant. *f*) LOEBESOM et *Loebertatem* antiqui dicebant liberum et libertatem. *g*) DVIT antiq. pro *dederit*, a verbo *Duo*. †) vnde *duis*, quod duas habet significationes, modo pro *dis* positum, modo pro *dederis*. *h*) IM ponebat pro *eum*, a nominatiuo *is*. *i*) Sic quoque pro *eum*, ab eo, quod est is, dicebant *em*, et *emem* pro *eundem*. *k*) *Eum* vero tantum antiquitus, quantum nobis nunc *eorum* valebat. *l*) SE. DOLO, i. e. *sine dolo*. *Sed* pro sine inueniuntur posuisse antiqui, FESTVS inquit. *m*) Vbi quidem critici, quasi mendosam, D literam in fine expungere, et quod frequentissime obuenit, *Se* legere malunt.

f) Vid. pl. AVS. POPMA de vsu Antiq. locutionis lib. 1, c. 10.

g) FESTVS in hac voce.

†) *Duim* esse a verbo *duo* cum aliis opinatus sum, praeterquam quod certum eius fundamentum antiquis monumentis reperire potuerim. Vnde sententiam mutaui, ratus, hanc vocem ita praeterito et futuro subiunctiui tantum vsurpari. Confer. spicilegium literarium ad Branchii obseruat. pag. 235.

h) FESTVS in hac voce.

i) FESTVS in voce *im*.

k) Idem in his vocibus.

l) Idem in hac voce.

m) In hac voce.

malunt. *n*) Quasi vero non satis constet, D in omnibus propemodum vocibus litera vocali finitis, tum maxime, quando subsequentis dictionis initium itidem a vocali est, adiectum fuisse. *o*) Ita in tabula rostrata *Altod*, *Marid*, et id genus alia occurrunt, de quibus suo loco plenius agendum erit. In compositione etiamnum eius particulae vestigia supersunt, vt in *Secordia*, quod vocabulum compositum esse videtur ex *se*, quod est sine et *corde*. *p*) Significat aliquando etiam dimidium, vt in *selibra* et *semodio*. *q*) EIIVS pro *eius*. Vbi duplicationem vocalis I notamus: cum veteres scripserint *eiius*, *eii*, *reii*, *peiius Maiia Pompeiius*, et similia. *r*) Ita PLAVTVS: *s*)

Is Summanum se vocari dixit, eii reddidi.

Idem: *t*)

— — *Alia apportabunt eii Nerei filiae.*

Et alibi: *v*)

Feci eius eii, quod me orauit copiam.

SVBICITOD pro *subiicito*. Sic quoque pro gemino ii, videmus positum fuisse I longum. Quocum ludit AVSONIVS: *x*)

Quid, imperite, P putas ibi scriptum,
Vbi locari iota conuenit longum?

Et

n) Vid. IOSEPHVS SCALIGER et DIONYSIVS GOTHOFREDVS in notis ad hanc Festi particulam. *o*) FABIVS QVINTILIANVS Instit. orator. lib. 1. c. 7. *p*) Vid. FESTVS in *Secordia*. *q*) VARRO de lingua Latina lib. 4. c. 36. *r*) Vid. QVINTILIANVS Instit. orator. lib. 1. c. 7. PRISCIANVS lib. 1. cap. de numero literarum. POPMA de vsu antiq. locut. lib. 1. c. 4. p. 19. *s*) Curcul. Act. 4. sc. 3. *t*) Epidico Act. 1. sc. 1. *v*) In Cistell. Act. 1. sc. 2. *x*) Epigr. 120. in Eunum.

Et PLAVTVS *y*) suspendium signat, cum ait, se velle ex se facere vnam literam longam. Vbi certe per literam iota longum intelligitur, quod figuram suspensi refert. Exempla sunt passim, et in his: FECIT. DE. MANIBIS. i. e. *manibiis*. DIS. MANIBVS. *pro Diis Manibus*.

§. IX.

Hactenus et Numae Pompilii legem de mulieribus, viris alienis nubentibus, quas *pellices* nominabant veteres, apud FESTVM *z*) his verbis conceptam: *PELLEX. ARAM. IVNONIS. NE. TANGITO. SI. TANGET, IVNONI. CRINIBVS. DEMISSIS. AGNVM. FEMINAM. CAEDITO.* Rectius, si quid sentio, ita: PELECS. ASAM. IVNONIS. NEI. TANCITOD. SEI. TANCET. IVNONEI. CRINIBOS. DEMISEIS. ACNOM. FEMINAM. CEDITOD. *Pellex* ea proprie nominabatur olim, quae vxorem habenti nubebat. *a*) Expressimus eam, altera omissa litera L, quod veteres nunquam solebant duplicare eiusdem generis consonantes. Neque sumus conati vltimo loco scribere X, literam recentiorem, ex duabus C et S compositam. Vnde FABIVS: *b*) *Et nostrarum vltima X, qua tamen*

y) Aulular. Act. 1. sc. 1. vers. vlt. Hinc LIPSIVS de recta pronunciat. Latin. ling. c. 8. *Literae I sonum*, inquit, *triplicem deprehendo. Primum eius longae, et vere longae; quia non, vt caeterae, geminatur aut apice insignitur: sed productior fit, et longitudine velut dupla. Exempli causa*, PISO. VIVVS. AEDILIS. QVINQVENNALIS. *Ideo* κατ᾽ ἐξοχὴν *inter omnes literas haec proprie dicta longa.* Confer. tabula rostrata huius dissert. cap. 5. §. 1.

z) In voce *Pellices*. Vid. etiam A. GELLIVS noct. Attic. lib. 4. c. 3.

a) FESTVS l. c. Confer. PAVLVS IC. l. 144. D. de verbor. signif.

b) Instit. Orat. lib. 1. c. 4. Ibidem MOSELLANVS in notis p. 8. edit. Venet. 1546. fol.

tamen carere potuimus, si non quaesissemus. Et MARIVS VICTORINVS: *c*) *Nigidius in libris suis X litera non est vsus, antiquitatem sequens.* Sed quod ISIDORVS habet, *d*) X literam nec in vsu fuisse apud Latinos, ad vsque Octauii Augusti tempora, falsissimum est. Nam vt alia monumenta taceamus, quae temporibus Iulii Caesaris sculpsere, iam tum in columna rostrata, Duilio, post confectum bellum Punicum primum, posita, scriptum fuit EXFOCIONT. Neque tamen adhuc omnes ea vtebantur. Pellices prohibentur, aram Iunonis tangere: quem ritum, in nuptiis celebrandis, mulieribus illegitimis obseruare nunquam licebat. RAEVARDVS, *e*) ROSINVS, *f*) et nuperrime GRAVINA *g*) voluere, Numam in ea lege vsum fuisse tropica locutione, forsitan vt actus inhonestus, honesta verborum tegeretur figura: et cum vetare voluerit, feminam viri alieni appetere concubitum, scripsisse, ne aram Iunonis tangeret. Et sic, per aram Iunonis, lectum maritalem interpretantur. ASAM pro *Ara* posuimus, Veterum freti consuetudine, qui pro R saepius vtebantur litera S, vt *Maiosibus*, *Meliosibus*, *Lasibus*, *Fesiis* et similia scriptitauerint, pro *maioribus*, *melioribus etc.* *h*) Literae huius praeterea fuit vsus frequentissimus et multifarius: ceu quae valeret nunc pro aspiratione Graecorum, vt ἓξ sex, ἑπτὰ septem, *i*) et eius generis alia dicerentur: Nunc inserta conspiceretur praeter necessitatem vocibus

 aliis

c) lib. 1. *d*) Orig. lib. 1. c. 4.

e) De Auctor. Pruden. c. 1. *f*) Rom. Antiq. lib. 8. c. 5. p. 787.

g) Orig. iuris ciuilis lib. 2. c. 22. Oper. pag. 166.

h) FESTVS in Litera R. in voce *Arbosem* et alibi.

i) FESTVS in voce *Serpsit*, et *Suppum*.

aliis, vt in *cosmittere* pro *committere*, *casmenae* pro *camenae* et similibus. *k*) Si femina probrum isthoc in se admiserit, et contra mandatum Regis, cum alieno viro aliquando rem habuerit, iubetur *crinibus demissis*, quod luctus erat ac moestitiae signum, Iunoni mactaret *agnum feminam*. Vbi nota, veteres non *lupam*, sed *lupum feminam*, non *agnam*, sed *agnum feminam*, in altero sexu dicere solitos fuisse. *l*)

§. X.

Alia lex fuit de spoliis, hostibus ab ipso belli Duce detractis. Et haec apud FESTVM *m*) extat: *CVIVS. AVSPICIO, CLASSE. PROCINCTA, OPIMA. SPOLIA. CAPIVNTVR, IOVI. FERETRIO. DARIER. OPORTEAT, ET. BOVEM. CAEDITO, QVI. CAEPIT. AERIS. DVCENTA. SECVNDA. SPOLIA. IN. MARTIS. ARAM. IN. CAMPO, SOLITAVRILIA. VTRA. VOLVERIT. CAEDITO. TERTIA. SPOLIA. IANO. QVIRINO. AGNVM. MAREM. CAEDITO, CENTVM. QVI. CEPERIT. EX. AERE. DATO. HVIC. AEDIS.* Quae in hunc modum restitui debet: CVOIVS. AVSPICIOD. CLASE. PROCINCTAD. OPEIMA. SPOLIA. CAPIVNTVR. IOVEI. FEDETRIOD. BOVIM. CEDITOD. CVEI. CEPIT. AIRIS. DVCENTA. DASIER. OPORTETO. SECONDA. SPOLIA. ENDO. MARTIS. ASAM. ENDO. CAMPO. SOLITAVRILIAD. VTRA. VOLVERIT. CEDITOD. TERTIA. SPOLIA. IANO. CVEIRINOD. ACNOM. MASEM. CEDI-

k) Idem in voc. *Dusmoso* etc. *Poesmis* et alibi. VARRO. de lingua Latina lib. 6. c. 3. *l*) Idem in voce *Agnus*. Alias masculina cum femininis, et vicissim, antiquiores Latini frequentissime commutasse comprehenduntur: vti pluribus ex eodem patet in voc. *Masculino*, *Specus* atque aliis.

m) In voce *opima Spolia*. Ibidem SCALIGER in castigat. PAVLVS MERVLA de legibus Rom. cap. 5. §. 3. p. 83. GRAVINA l. c. p. 167. atque alii conferantur.

CEDITOD. CENTOM. CVEI. CEPERIT. ECS. AIRE. DATOD. Constitutio est de *opimis Spoliis*, et dicuntur ea, quae Dux populi Romani Duci hostium ademit: vel etiam, dummodo hostium Duci, manipularis miles detraxit. *n*) Templum adeoque statuebant, quo inferrentur ista, simul atque, grati animi testandi ergo, Diis mactarentur hostiae. Prima igitur spolia destinata fuere *Ioui Feretrio*, seu, prout paulo superius in ipsa legis emendatione scripsi, IOVEI FEDETRIO. *o*) Nihil enim frequentius accidit olim, quam vt D et R literae inuicem commutarentur: vt in *Medidie* pro *Meridie*: *p*) vice versa, *Apor* dicebant pro *Apud*, *q*) *Ar* pro *Ad*. Sic *Aruenas*, *Aruentores*, *Aruolare*, et similia. *r*) Iupiter vero dicebatur Feretrius a ferendo, *quod pacem ferre putaretur, ex cuius templo sumebant sceptrum, per quod iurarent, et lapidem silicem, quo foedus ferirent.* *s*) Atque hinc maiorem hostiam ipsi tribuebant, bouem, et victori dabant ducenta aeris. DASIER OPORTETO, nec immerito, scripsi pro *Darier*, vel *Dari*, fretus FESTI POMPEII *t*) testimonio. Secunda spolia Martis voluerunt esse cum *Solitaurilibus*, quibus comprehenduntur tauri, arietes, verres corporum integrorum, non tonsi castratiue. *v*) Quoniam

Gg 2 vero

n) Plura vide apud FESTVM l. c. ASCONIVS PAEDIANVS, Ciceronis interpres, apud Gothofredum, inter veteres Gramm. p. 1364. *Spolia* dicit *quaesita de vino hoste nobili perdeditionem.* Latiori sensu haec interpretatur NONIVS MARCELLVS cap. 6. n. 55.

o) Vid. AVSON. POPMA de vsu antiquae locut. lib. 1. cap. 3. p. 12.

p) VARRO de LL. lib. 5. c. 2. *q*) FESTVS in hac voce.

r) PRISCIANVS lib. 1. *s*) FESTVS in voce *Feretrius*.

t) In voce *Dasi*. *v*) FESTVS in hac voce *Solitaurilia*, inquit, *hostiarum trium diuersi generis immolationem significant*,

vero maiora ſacrificia tauro, minora ariete aut verre conficerentur, vtraque lex, ſiue maiora ſiue minora voluerit aliquis, immolari permittit in campo, ſeu, prout rectius verba ſonant, *endo campo.* Veteres enim dicere conſueuerunt *endo* pro *in*; ſic *endoitium*, *endoplorato*, *endoprocinctu* x) pro *initium*, *implorato*, *in procinctu*, et quae ſunt alia. Tertia ſpolia cum agno mare deſtinarunt *Iano Quirino*, quem, ad vetuſtiſſimam imitationem, ſcripſi per C. Quandoquidem Q plurimorum conſenſu aeui recentioris inuentum eſt. Quo etiam reſpicit iocus Ciceronis in vocibus *coque* et quoque ludentis. y) Cum videlicet candidatus, qui coqui filius habebatur, coram Cicerone ſuffragium ab aliquo peteret: *Ego quoque*, Cicero inquit, *tibi iure fauebo*; pro *coque fauebo*. Pari modo apud PLAVTVM z) Virgo decipit Dordalum lenonem, cum *inquilina* ita effert, vt leno putaret, eam *in culina* dixiſſe. Vltimo conſtituitur victori, praemii loco, centum aeris: vbi vetuſtiſſimi ſcriptitarunt, more Graecorum, *airis;* qua de pronunciatione inferius dicendum erit, quando Tabulam roſtratam, Duilio victori, atque illam Scipioni barbato poſitam, inluſtrare aggrediemur.

§. XI.

De ſacrificiis ſancitum ita fuit: PISCES. CVEI. SCVAMOSEI. NEC. SVNT. NEI. POLVCETOD. SCVAMOSOS. OMNEIS.

---

cant, tauri, arietis, verris. Quod omnes hi ſolidi integrique ſint corporis. Sollum enim lingua Oſcorum ſignificat totum et ſolidum. x) FESTVS in his vocibus.

y) QVINTILIANVS Inſtit. Orator. lib. 6. c. 3. Confer. DONATVS in Adelph. Act. 3. ſc. 3. z) In Perſa Act. 4. ſc. 4.

OMNEIS. PRAETER. SCAROM. POLVCETOD. *a*) A Deorum sacrificiis remouentur pisces sine squamis, vtpote qui non nisi maximis sumtibus et rarissime comparantur: cum frequentissima Deorum oblatio, eaque non adeo magnis impensis instituta fuerit. Consulto scripsimus, squamosi *nec sunt*, pro *non sunt*. Nouimus enim Grammaticis quidem plurimum coniunctionem *nec* hodienum esse disiunctiuam, sed positam ab antiquissimis fuisse pro *non*. *b*) Sic in XII. Tabulis dicebant: *SEI. ADORAT. FOVRTO, QVOD. NEC. MANIFESTOM. etc. AST. EEI. COVSTOS. NEC. ESIT. etc.* Hos itaque pisces non squamosos nolebant Diis *polluceri*, i. e. porrigi, siue pro libaminibus Diis offerri. *c*) Etenim vocabulum isthoc proprie mercatorum erat, quando mercium primitias Diis offerebant. Hinc *polluctum*, siue *pollutum* dicebatur conuiuium, quod Diis magnifice parare solebant: siue, vt cum VARRONE *d*) loquar, *cum ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara*. Ceteros pisces, quibus erant squamae, omnes licebat offerre, praeter scarum. Idemque FESTVS *e*) testatur: *Pollucere merces* Diis quas *liceat*, *sunt far*, *polenta*, *vinum*, *panis fermentatus*, *ficus*, *passa*, *suilla*, *bubula*, *agnina*, *casei*, *ouilla*, *alica*, *sesama et oleum*, *pisces* NB. *quibus est squama*, *praeter squarum*. *Herculi autem omnia esculenta*, *poculenta*. Ratio, quod veteres cum piscibus non squamosis, ipsum etiam a sacris remouerint scarum, haec fuisse inter alias mihi videtur,

 quod

a) PLINIVS hist. natur. lib. 32. c. 2. Confer. SCALIGER ad Festum in verb. *pollucere*. *b*) FESTVS in hac voce.

c) VARRO de LL. lib. 5. c. 7. *d*) l. c. Confer. VOSSIVS Etymol. verbo *polluceo*. *e*) In verbo *Pollucere*.

quod rariuscule eum et graui sumtu haberent: quem luxum proin ab omni consuetudine, rebus maxime religiosis arcere studebant. Meminit eius quoque HORATIVS: f)

— — Pinguem vitiis, albumque, nec ostrea,
Nec scarus, aut poterit peregrina iuuare lagois.

Idem: g)

Non me Lucrina iuuerint conchylia,
Magisue rhombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.

§. XII.

Posteaquam Numa Remp. Deorum cultu muniuerat, agros etiam in Terminalium Deorum tutela constitutos esse voluit; quam maxime saluos et incolumes istos fore existimans. Ita enim FESTVS: h) *Termino sacrificabant, quod in eius tutela fines agrorum esse putabant. Denique Numa Pompilius statuit EVM, QVI. TERMINVM. EXARASSET, ET. IPSVM, ET. BOVES. SACROS. ESSE.* Hinc facili negotio legem efficimus: CVEI. TERMINOM. ECSARASIT. IPSVS. ET. BOVEIS. SACREI. SVNTOD. Sensus non admodum obscurus est. Iubetur, vt qui terminum exarasset, siue transtulisset, quo fines agrorum conturbarentur, huic Deo sacer sit, vna cum suis bobus, ea conditione, vt impune cuilibet eum interficere, tanquam sacrilegum, ac terminalibus Diis simul atque eius animalia in victimam caedere liceret. Eius generis fragmentum etiam hoc est: SEI. CVIPS. ALIVTA. FACSIT. IPSVS

f) Serm. lib. 2. Satyr. 2. v. 21. g) Epod. od. 2. v. 50.
h) In voce *Termino*. Confer. DIONYSIVS HALIC. Rom. antiq. lib. 2. c. 9.

IPSVS. IOVEI. SACER. ESTOD. Apud FESTVM *i)* vbi notat, *Aliuta* antiquos dixiſſe pro *aliter*, ex Graeco ἄλλῃ vel ἄλλως. Sunt et alia, exempli gratia: *Mulier, quae praegnans mortua ſit, ne humetur, antequam partus ei excidatur: qui contra fecerit, ſpem animantis cum grauida peremiſſe videatur. k)* Alibi: *Sarpta veinia nei ſiet, ex ea veixom Dis libarier nefas eſtod. l) Veino Rocom nei reſparcitod. m)* Pyram enim, ſiue rogum, et Cadauer liquoribus nonnullis perfundebant, propter grauem vſtrinae odorem, eo ne populi circumſtantis corona offendatur. Sic quoque FESTVS *n)* de alia teſtatur: *Quid horum fuit, vnum Iudici arbitroue, reoue, eo die deffenſus eſto.* Sed de his paulo inferius tractandi nobis erit occaſio, vbi vel ex profeſſo fragmenta legum decemuiralium examinare inſtituimus.

§. XIII.

Parum etiam nos iuuant *Saliares* hymni, quos Numa ſimiliter ille Pompilius, poſtquam Salios Marti conſecratos ſacerdotes ordinauerat, Latino ſermone compoſuit: *o)* vt ab iſtis Marti, vel prout alii volunt, Herculi, feſtiuos celebrantibus dies, Martio menſe, inter modulos tibiae atque choreas militares, canerentur. Sacerdotes hi duo-

i) In voce *Aliuta*. *k)* MARCELLVS IC. l. 2. D. de mortuo inferendo et ſepulchro aedificando. Confer. VALERIVS MAX. lib. 1. cap. vlt. exempl. n. 5. *l)* PLINIVS hiſt. natur. lib. 14. c. 12. *m)* Idem l. c. *n)* In voce *Reus*.

o) QVINTILIANVS Inſtit. Orator. lib. 1. c. 17. *Verſus quoque Saliorum habent carmen. Quae cum ſint a Numa Rege inſtituta, faciunt manifeſtum, ne illis quidem, qui rudes ac bellicoſi videntur, curam Muſices, quantam illa recipiebat aetas, defuiſſe.*

hi duodecim *p*) iuuenes erant, forma et virtute, longe omnium praeſtantiſſimi, quos Numa ille ſacrorum ſtudioſiſſimus ex ordine patricio *q*) delectos Marti Gradiuo conſecrauerat: vti ſaltatores quidam ſint et laudatores Deorum illorum, quos bello armiſue praefectos putabant. Eorum dies feſti, qui plures erant, incidunt in Panathenaea, quae menſe Martio fiebant, ac publice a toto populo inter tot gaudia habebantur. His diebus per vrbem Salii ſolebant ire in forum, capitolium et multa alia tam priuata, quam publica loca, tunicis induti pictis, ſuper tunicam habentes aeneum pectori tegumen, praetextas inſuper ſubtegminis punicei fibulis adſtrictas, quae ab illis *trabeae* vocantur, in capite *apices* quos aiunt, pileos rotundos et in altum faſtigiatos, ſuo omnes accincti gladio, dextra manu lanceam, aut virgam, aut aliud huiuſmodi, laeua peltam tenebant Thraciam, ſcuto oblongo latera habenti anguſtiora ſimilem, canentes carmina cum tripudiis ſolennique ſaltatu: *r*) vſque adeo, vt nunquam illis

p) Numerum duodenarium deinde Tullus Hoſtilius, deuictis Sabinis, fertur duplicaſſe, ita quidem, vt quatuor et viginti, belli paciſque temporibus, cooptarentur. Vid. DIONYS. HALIC. Rom. antiq. lib. 3. Atqui etiam Appius Claudius triumphalis, Scipio Africanus, et L. Bibaculus inter Salios eſſe, et haec attrectare ſacra, magnae ſibi duxerunt gloriae. De his praeter alios vide TVRNEBVM animaduerſ. lib. 13. cap. 8.

q) Salios ex ordine patricio fuiſſe teſtatur etiam LVCANVS de bello ciuili lib. 9. v. 460. ſeq. Confer. eiuſd. lib. 1. v. 603.

r) Vid. DIONYSIVS HALIC. Roman. antiq. lib. 2. c. 8. T. LIVIVS hiſtor. Rom. lib. 1. c. 20. PLVTARCHVS in Numa Pompilio, Rom. Rege. Alia de Saliis notatu digniſſima, et ſpeciatim qua ratione iſtos Virgilius Aeneid. lib. 8. vbi inter alia:

Tum

illis fuerit requies pedum. *s*) Sacerdotes ideoque vocantur *Salii*, a concitato motu atque *τὸ ſalire*, quod Graecis eſt ἐξάλλεσθαι καὶ πηδᾶν. Quamobrem omnes etiam, quos Graeci ὀρχηστὰς appellant, ceu qui tripudiis multis ſaltationibusque vtuntur, deflexo a Saliis nomine, *Saltatores* vocant. *t*) Conſentiunt VARRO, *v*) cui ſacerdotes *Salii* dicuntur *a ſaltando, quod facere in comitio in ſacreis quotanneis et ſolent, et debent.* Atque etiam OVIDIVS, *x*) vbi

> *Iam dederat*, inquit, *Saliis (a ſaltu nomina ducunt)*
> *Armaque et ad certos verba canenda modos.*

Quod licet in dubium vocari nequeat, POLEMON *y*) tamen voluit, Arcada quendam fuiſſe nomine *Salium*, quem Aeneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui iuuenes Italicos ἐνόπλιον ſaltationem docuerit. At CRITOLAVS, *z*) *Saonem* ex Samothrace, cum Aeneas Deos penates Lauinium tranſtulerit, ſaliare genus ſaltandi inſtituiſſe: a quo appellatos ſalios, quibus per omnes dies, vbicunque manent, quia amplae ponuntur caenae, ſi quae aliae magnae ſunt, ſaliares appellantur. Quo cantans reſpicit quam elegantiſſime HORATIVS: *a*)

H h *Nunc*

> *Tum Salii ad cantus incenſa altaria circum,*
> *Populeis ibant euincti tempora Ramis:*

Herculi aſſignauerit, & quare coronatos ramis induxerit, vide apud MACROBIVM Saturn. lib. 3. cap. 12.

s) HORATIVS Carm. lib. 1. od. 36. Plura vide ſis apud ALEXANDRVM AB ALEX. Genial. Dier. lib. 1. c. 26. *t*) DIONYSIVS l. c.

v) De Latina lingua lib. 4. c. 15. *x*) Faſtor. lib. 3.

y) Apud FESTVM in voc. *Salii.* *z*) Ibid. *a*) Carm. lib. 1. od. 37.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare puluinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

Et AVSONIVS: *b*)

Nam mihi non saliare epulum, non coena dapalis.

Carmina, quae ab Saliis fiebant et canebantur, vel in Deos facta erant, et dicebantur ab eorum nominibus, *versus Ianualii*, *Iunonii*, *Mineruii*: vel in vniuersos homines et dicebantur *Axamenta*, *c*) siue ab *axare*, quod est nominare, *d*) siue ab *axibus* et tabulis, quibus ea inscribere consueuerunt. *e*)

§. XIV.

Et haec quidem Saliorum carmina insigne quondam fuere Latinitatis, praesertim in ligata oratione, monumen-

b) Epistol. 33. ad Paulum. *c*) Quae SCALIGER ad Festum in hac voce interpretatur ex veteri Glossario στίχοι ἐπὶ θυσιῶν ἠραχλίως·

d) Ita FESTVS: *Axamenta dicebantur carmina saliaria; quae a saliis sacerdotibus componebantur, in vniuersos homines. Nam in Deos singulos versus facti a nominibus eorum appellabantur: vt Ianualii, Iunonii, Mineruii. Axare nominare est.* *e*) *Axis, quem Graeci ἄξονα dicunt, plures habet significationes. Nam et pars coeli septentrionalis et stipes teres, circa quem rota vertitur, et tabula sectilis axis appellatur.* Idem in hac voce. Et in eiusmodi axibus seu tabulis illa carmina describebant, sicuti leges suas Graeci ἐν τοῖς ἄξοσι. Nam quia legitime concepta erant, non minus ediscebantur a Saliis, quam a leguleis actiones ac formulae iuris. Hinc et ipse Cicero ait, a pueris praetextatis carmen saliare, tanquam legitimas formulas, dici solitum. Confer. SCALIGER l. c.

numentum: adeo, vt ipsi VARRONI *f*) dicatur fons, si hoc aeuum spectamus, verborum poëticorum: imo et in his prima Romanorum verba poëtica haberi Latina. Sed fato iniquo nunc ista quidem omnia, vna cum commentariis, qui iam olim ad interpretationem eorum, qualis C. Aelii, hominis literatissimi, fuit, *g*) conscripti habebantur, periere: Et nihil nobis praeter singularia quaedam et obscurissima eorum vocabula, Grammaticis veteribus citata, supersunt, quae aliquatenus saltem de stilo huius aeui plusquam ferreo testari possunt. VARRO *h*) in illis obseruat, quod supra etiam monitum fuit, in quamplurimis verbis habuisse literam S, cuius vice posteriores R scriptitauerint. Et in carmine saliorum haec esse: COSAVLI. DOLOSI. ESO. OMINA. VERO. ADPATVLA. COEMISE. IAM. CVSIATII. *i*) MVSES. RVSEI DVMCVL. IANVS. VENET. *Post* MELIOS *melior*; FOEDESVM *foederum*, PLVSIMA *plurima*, ASENA *arena*, IANITOS *Ianitor*. *Quare* CASMENA *Carmena*: *inde* CARMINA. *R postea extrito* CAMENA *factum*. *Ab eadem voce* CANITE, *pro quo in saliari carmine scriptum est*: CANTE. DIVVM. EXTA. CANTE. DIVVM. DEO. SVPLICE. CANTE. Quod mihi videtur significare, *cantate sacros*

f) De lingua Latina lib. 6. c. 1. *g*) VARRO l. c. *h*) De lingua Latina lib. 6. c. 3. *i*) Haec IOSEPHVS SCALIGER ad Festum in voce *Curiales*, circa finem, facie longe alia proposuit: vbi *Calatores* inquit, *antiquitus vocabant curiones*, *vt in carmine saliari*. OMNIA. DAPATILIA. COMISSE. IANI. CVSIONES. h. e. *calatores*, *vel praecones sacrorum*. *Illi erant seruilis conditionis*. Curiones dicti sunt a curiis, qui fiebant vt in his sacra facerent. vid. VARRO de LL. lib. 4. c. 15. Confer. G. I. VOSSIVS Instit. Orat. lib. 4. cap. 1. p. m. 192.

cros versus excelsos, cantate sacros Deo supplicate, cantate: EXTA enim FESTO *k*) dicta sunt, quod Diis prosecentur, quae maxime extant eminentque. CERVS MANVS, in saliari carmine, est *creator bonus*. *l*) Ibidem MANVOS Aelius Stylo *m*) significare ait *bonos*. Hinc inferi *Dii manes* boni dicuntur venerantibus eos, propter mortis metum. MAMVRII VETVRII nomen frequenter in cantibus Romani celebrabant, hac de causa. Numa Pompilio regnante, coelo cecidisse fertur *ancile*, id est scutum breue; edita voce, omnium potentissimam fore ciuitatem, quamdiu id in ea mansisset. Itaque facta sunt eiusdem generis plura, quibus id misceretur, ne forsitan internosci a quopiam, ac dolose, vel ex inuidia, transportari queat. Probatum fuit tunc maxime opus *Marmurii*, qui praemii loco petiit, vt nomen suum inter carmina Salii canerent. *n*) MOLVCRVM Aelius, in explanatione carminum Saliarium, *id* appellari ait, *quod sub mola supponatur*; Aurelius Opilius vero, *ubi molatur*. *o*) CVANVIS. MOVENTIVM. DVONVM. NECVMATE. scriptum est in carmine Cn. Marci vatis: vbi *necumate*, vel *negumate*, pro *negate* dicitur. *p*) Alibi OBSTINET pro *ostendit* posuere antiqui in carminibus, vt in hoc: SED. IAM. SE. CELO. CANDENS. AVRORA. OBSTINET. SVVM. PATREM.

k) In hac voce. *l*) Vid. FESTVS in voc. *Matrem Maturam* &c. Confer. GOTHOFREDVS in notis ad Varr. lib. 5. c. 8. Corp. Auctor. LL. p. 1640.

m) Apud FESTVM in voc. *Manuos*.

n) FESTVS in nom. *Marmurii Veturii*. Confer. DIONYS. HALIC. Rom. antiq. lib. 2. c. 8. PLVTARCHVS in vita Numae.

o) Apud FESTVM in voce *Molucrum*. *p*) FESTVS in voce *Negumate*.

TREM. *q*) PA pro *parte*, & PO pro *populo* in saliari carmine positum est: *r*) vbi etiam PENAS. IMPENATASCVE. ACNAS. *spicas* vocitarunt *cum aristis*. Alias vero sine aristis per *agnas nouas* intelligi volunt. *s*) PESCIA dicuntur ibidem *capitia ex pellibus* agninis facta, quod Graeci pelles vocent πέσκη. *t*) PILVMNOE. POPLOE. sunt *Romani*, vel quod pilis consueuerint vti, vel quia praecipue pellant hostes. *v*) PRECEPTAT illis Saliarium carminum auctoribus significat *saepe praecipit*; *x*) PROMENERVAT *monet*. *y*) REDANTRVARE, vel, Scaliger id vocis restituere voluit, *Redemptruare* dicitur in Saliorum exultationibus, cum Praesul *z*) *amptruauit*, h. e. motus edidit, ac isti referuntur inuicem iidem motus. Vnde Lucilius:

Praesul vt amptruat, inde et volgu' redemptruat olli. *a*)

H 3 SOSO-

q) Idem in hac voce. Atque in hoc loco DIONYSIVS GOTHOFREDVS *se celo* interpretatur de *coelo*: vid. eius notae in Festum p. 1770. AVS. POPMA vero antiq. locut. lib. 1. c. 4. pag. 16. legit *scaelo* vna voce, quasi s. more veteri ab initio frustra appositum fuerit. *r*) Idem in voc. *Pa*. Eiusmodi monosyllabis vtebantur etiam Osci, eo nomine incluti, quod pessime loquerentur, vtpote qui GAV, pro *gaudio*, COEL pro *coelo*, DO pro *domo*, & similia pronunciare solebant. Confer. MORHOFI Unterricht von der Teutschen Sprach und Poësie part. 1. c. 5. pag. 76. *s*) FESTVS in voce *Pennas*. *t*) Idem in voce *Pescia*. *v*) Idem in *Pilumnoe*. *x*) Idem in verbo *Praeceptat*. *y*) Idem in hac voce. *z*) Coetus Saliorum dicebatur collegium, cui qui praeerat, ac illud quasi moderabatur, Magister Saliorum, atque Praesul audiuit.

a) Vid. FESTVS in voc. *Redantruare*, cum IOSEPHI SCALIGERI castigat.

SESOPIA in augurali, et saliari carmine, quae alias *so-pia*, pro *sedilibus*, dicere adhuc in consuetudine habemus. *b*) SONIVIO *sonanti*, *c*) TAMA pro *tam* in carminibus, toties hactenus memoratis, positum est. *d*) Alia lubenter nunc, vel breuitatis causa, praeterimus. Atqui etiam paucula ista vocabula, a nobis suo velut squalore producta, barbarum *e*) hoc seculo carmina scribendi modum satis superque produnt. Ideo QVINTILIANVS *f*) ipse, ille optimus Latinae linguae magister, istorum mentionem facit, vbi Tyrones suos sedulo monet, ne obsoleta et a vetustate repetita verba in vsu crebra sint, neque manifesta; quod nihil sit odiosius affectatione: nec vtique ab vltimis et obliteratis repetita temporibus, qualia sunt *topper*, cuius loco nos nunc *cito*, et *antigerio*, cuius loco eadem significatione *valde* aduerbiis vti.

b) FESTVS apud Gothofredum in corpore auctorum LL. p. 179.
c) Ibid. *d*) Ibid. pag. 462. GOTHOFREDVS not. in Festum p. 1822. et AVS. POPMA Antiq. loc. lib. 1. c. 4. p. 18. *Tame* legunt. *e*) Quoties rudem et minus cultum sermonem *barbarum* nomino: isti velim detur licentia voci, et accipiatur, non quidem pristina et vetustiori, sed ea significatione, qua hodienum gaudet. Barbarus dicitur nunc, qui parum elegans, qui incomtus, qui stupidus et agreste genus vitae in actionibus suis et tota oratione commonstrat. Barbaros olim, ex FESTO et scriptoribus aliis discimus, omnes gentes fuisse dictos, exceptis Graecis. Quo sensu PLAVTVS Naeuium poëtam Latinum vocat barbarum, in milite: *Nam os columnatum poetae inaudiui esse barbaro*; *Quoi vini custodes semper totis horis accubant.* Et in Asinaria, de se, cum transferret ex Graeco fabulam, dixit: *Marcus vortit barbare.* Sic quoque PAVLVS sanctus Sospitatoris nostri Apostolus semet fatetur Graecis et Barbaris, h. e. ceteris nationibus debitorem esse. Rom. I. 14. *f*) Instit. Orator. lib. 1. c. 6.

vtimur; et *prosapia*, et *Saliorum carmina*, *vix sacerdotibus suis satis intellecta*. *Sed illa*, inquit, *mutari vetat religio*, *et consecratis vtendum est*. Et Venusinus Poëta: *g*)

Iam saliare Numae carmen qui laudat, et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri:
Ingeniis non ille fauet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque liuidus odit.

§. XV.

Huc referendi sunt etiam *Annales*, qui *maximi* audiunt, *h*) quod a *Pontificibus maximis*, temporum memoriam conseruandi causa, perscriberentur. *Erant enim*, TVLLIVS *i*) inquit, *historia nihil aliud*, *nisi annalium confectio*, *alicuius rei memoriaeque publicae retinendae causa*, *ab initio rerum Romanarum*, *vsque ad P. Mutium Pontificem M. Res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus*, *efferebatque in album & proponebat tabulam domi*, *potestas vt esset populo cognoscendi*; *ii qui etiam nunc annales maximi nominantur*. Sed obseruandum, quando Cicero ait, quod ab initio rerum Romanarum obtinuerit istud; eius verba non ad Romuli, verum ad Numae Pompilii, Regis Romanorum ordine secundi, aeuum restringenda esse. Ita enim clarissime DIONYSIVS testatur, *k*) vltimam Numae institutorum partem continere sacra, quae sortiti erant ii, qui apud Roma-

g) HORATIVS lib. 2. epist. 1. *h*) FESTVS: *Maximi Annales appellantur*, *non magnitudine*, *sed quod eos Pontifex Maximus consecrasset*. *i*) De oratore lib. 2. cap. 12. Confer. MACROBIVS Saturn. lib. 3. c. 2. *k*) Rom. Antiq. lib. 2, c. 8. circa finem.

Romanos summum sacerdotium et summam potestatem habuere: isti, ab vno opere, quod faciebant, reficiendo sc. ligneo ponte, Pontifices appellati. Et T. LIVIVS *l*) Pontificem Numam Marcium ex patribus lectum a Numa Pompilio, qui ipsi sacra omnia exscripta, exsignataque attribuerit; quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent, atque vnde in eos eos sumtus pecunia erogaretur etc. Idem porro discimus ex VOPISCO, *m*) vbi *post Romuli excessum*, inquit, *nouello adhuc Romanae vrbis imperio, penes Pontifices scribendae historiae potestas fuit.* Quod quidem paulo clarius nobis descriptum reliquit SERVIVS: *n*) *Ita Annales conficiebantur*; ipsius verba sunt, *Fabulam dealbatam quotannis Pontifex maximus habuit, in qua, praescriptis Consulum nominibus et aliorum magistratuum, digna memoratu notare consueuerat, domi militiaeque, terra marique gesta per singulos dies. Cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt, eosque a Pontificibus maximis, a quibus fiebant, Annales maximos appellarunt.* Qualis eorum dictio fuerit, itidem non meis, sed maximi et in hoc studiorum genere expertissimi, G. I. VOSSII *o*) verbis dabo: *Non peccare mihi videor, qui commentarios summorum virorum, pueritiam, vel etiam infantiam historiae appellem. Quippe antiquiores iis scriptores non habuit historia Romana. Rudes etiam, et inconditi; imo facundiam si spectes, plane infantes fuerunt.* Neque transeundum est CICERONIS nostri de illis testimonium

l) Hist. Rom. lib. I. c. 20. *m*) In Imperatoris Taciti vita.
n) Ad Virgil. Aeneid. l. I. v. 377. *o*) De Historicis Latinis lib. I. c. I.

nium: *p*) *Hanc* Annalium maximorum *ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine vllis ornamentis, monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt.* etc. Sed neſciunt fere, quomodo ſe expediant, Viri docti, cum alibi CICERONEM *q*) ſibi contradicentem quaſi opinantur inueniſſe, quod inter alia ſcripſerit: *Poſt Annales Pontificum maximorum, quibus nihil poteſt eſſe iucundius* etc. Quamobrem ipſe etiam modo laudatus VOSSIVS noſter Gulielmium Fuluiumque ſectari, ac pro *iucundius* legere *ieiunius* mauult. *r*) Rurſum alii pro *iucundius*, *nudius*, i. e. inornatius, ſupponere conantur. *s*) Illis tamen ego certas ob rationes adſtipulari nequeo. Etenim quis ignorat primo, codices omnes MSC. et impreſſa exempla quam conſtantiſſime *iucundius* habere? Quod ipſe etiam laudatus VOSSIVS *t*) ingenue fatetur. Deinde citra extremam neceſſitatem, ac adeo leui de cauſa in claſſicis ſcriptoribus emendatio alicuius loci, quam vulgo, etiam magni nominis, Critici pro captu ac lubitu praecipitanter et audacter ſcribere nonnunquam deprehenduntur, minime gentium mihi videtur admittenda eſſe. Verum heic nulla prorſus ſuppeditatur emendandi facultas. Omnino annales maximi omnibus, et in primis patriae hiſtoriae amantiſſimis *iucundi* i. e. vtiles, vel etiam ad res pridem in rep. geſtas accuratius intelligendas neceſſarii fuerunt. Ecquis igno-

Ii rat,

p) Quod lib. 2. de Oratore, loco ſupra citato annectit.

q) De legibus lib. 1. cap. 2. *r*) De Hiſtor. Latinis lib. 1. c. 1. p. 4. *s*) Vid. TVRNEBVS Comment. in Ciceron. lib. 1. de legibus p. m. 16.

t) l. c. in fine cap. 1.

rat, ipſum TVLLIVM †) a *iuuare* hanc vocem deriuare, eademque ſignificatione vt plurimum vti. ††) Saltem, quae aliis forſan obuenit, contradictio mihi nondum in eo loco apparet: cum ſat rudis, horrida atque exilis potuit eſſe maximorum annalium dictio, et nihilominus propter antiquitatem, ſimplicem breuitatem fidemque acceptiſſima et iucunda cultoribus antiquitatum videri. Quemadmodum etiamnum nos vetuſtiſſima, licet nullo pretio, nullo ſplendore aut arte parata conſiſtant, mirifice tamen vt plurimum delectare ſolent, vel ex ſolo antiquitatis amore atque ſtudio. Exemplum in ſupra citato QVINTILIANI loco habemus: vbi Saliorum carmina, inquit, vix ſuis intellecta ſacerdotibus eſſe; et nihilominus addit, mutari illa vetat religio, et conſecratis vtendum eſt. De legibus XII. Tabularum ex fragmentis ſuperſtitibus quaedam adhuc cognoſcere licet. At quantis encomiis CICERO eas, vel ex hoc capite, paſſim in ſcriptis ſuis euehit atque commendat? Vt adeo etiam hic maximorum annalium iucunditatem non in ſermonis puritate, ornatuue oratorio, quem iſtis alibi *v*) abrogauerat aperte, ſed in conſpicua antiquitatis cognitione, aut alio huic ſimili poſuerit. Quoquo ſe res habeat modo, non ſolum hiſtoriae Romanae, ſed omnes pari modo priſci ſermonis auſcultatores, et rei literariae cupidiſſimi quique, ingens fecerunt damnum, poſteaquam Annales hi, vna cum aliis

†) De finibus bon. et mal. lib. 2. cap. 4.

††) Vid. CICER. ad famil. l. 5. epiſt. 15. Ad Attic. l 3. epiſt. 20. et 24. Rurſum lib. 12. epiſt. 1. in fine. Confer. SVETONIVS de illuſtr. grammat. cap. 14. *v*) De Oratore lib. 2. c. 12.

aliis monumentis, post vrbem a Gallis circa annum CCCLXVI captam, maxima parte incendio absumti fuerunt. *x*)

§. XVI.

Anno ab v. c. CCCIX a C. Canuleio, quodam Tribuno plebis, *Fasti* et *Pontificum commentarii* in concione citantur. *y*) Qui num fuerint iidem cum annalibus maximis, an diuersi, non satis constat. *Annales* praeterea, et *linteos libros*, a Magistratibus scribi, ac in aede Monetae solitos deponi, LIVIVS aliquoties monuit. Sic quoque *Censoriis Tabulis* adiecta fuisse, quae ad historiam facerent, a DIONYSIO HALIC. *z*) discimus: qui ex eo, quod tabulis Censoriis, Coss. L. Valerio Potito T Manlio Capitolino, adiectum esset, anno post Reges exactos CXIX colligit, vrbem fuisse conditam anno primo olympiadis septimae. Eodem teste DIONYSIO Censorios commentarios a patribus filii per manus acceperunt, et ipsi posteris pari cura tradiderunt, haud secus quam sacra paterna et gentilitia: vt per viros illustres in familiis censoriis seruarentur. CATO in originibus scripsit, *Carmina multis seculis ante suam aetatem in epulis cantitata de clarorum virorum laudibus*: quae vt suo adhuc tempore extarent, CICERO, *a*) ille quoque pater eloquentiae, frustra optauit. Idem paulo ante testabatur etiam, *b*) *priuatarum familiarum*, quae in magistratibus versatae

Ii 2 fue-

x) Qua de re ipse quoque LIVIVS conqueritur, hist. Rom. lib. 6. c. 1. ab initio. *y*) Apud LIVIVM lib. 4. c. 3.

z) Antiq. Rom. lib. 1. Idem lib. 4. *Fuerunt*, inquit, *vniuersorum ciuium Romanorum, quorum fortunae tunc censae sunt, LXXXV. millia, minus trecentis, vt in censoriis tabulis legitur.* *a*) In Bruto cap. 19. *b*) In Bruto cap. 16.

fuerant, ſcripturas multas extitiſſe. *Annales* memorantur VARRONI; c) et FESTO d) *Rituales* Etruſcorum libri, in quibus perſcriptum eſt, quo ritu condantur vrbes, arae, aedes ſacrentur, qua ſanctitate muri, quo iure portae, quo modo tribus, curiae, centuriae diſtribuantur, exercitus conſtituantur, ordinentur, ceteraque eiuſmodi ad bellum ac pacem pertinentia. Sed noſtrum nunc non eſt, pluribus de iſtorum iactura conqueri, multo minus diſquirere, num haec ſcripta ſint iidem, quos modo enarrauimus, annales; an diuerſa, et cuiusnam quaequae aetatis eſſe cenſeantur. Haec enim omnia obſcuriſſima ſunt. Et coniecturae, ſi quas dare ſecum aliquis conſtituerit, ne tanti quidem, vt memoratu dignae habeantur. Sufficiant nobis ergo de huius aeui Latinitate, quae hactenus diximus, quaeque IVLLIVS noſter e) diſertis comprobauit. *Quid enim?* inquit, *in Numa Pompilio quid? In Seruo Tullio quid? In ceteris Regibus, quorum multa ſunt eximia ad conſtituendam Remp. num quod eloquentiae veſtigium apparet? Quid exactis Regibus? tametſi ipſam exactionem mente, non lingua perfectam L. Bruti eſſe cernimus. Sed deinceps omnia nonne plena conſiliorum, inania verborum videmus?* Atque etiam inde ſatis patet, qualis fuerit dictio Romanorum, pulſis iamiam eorum Regibus, cum Imperii faſces bini quotannis occuparent conſules, atque ſuam ipſimet ciues regnare prouinciam ſuſciperent. Licet iſtorum durante dynaſtia, ad Decemuiratum vſque per annos LXI. pro inuidia

c) De lingua Latina lib. 4. cap. 10. d) In voce *Rituales*.

e) De oratore lib. I. c. 9. Confer. ANDR. BORRICHIVS de fatis et aetatibus Lat. linguae p. 7.

uidia huius aeui, nullum literis exhibitum ad nos peruenerit monumentum: quo noſtrum demulcere animum, verba priſca, et nunc penitus obſoleta, cum recentioribus ac hodienum vſitatis conferre, atque adeo pluribus de barbara et toto coelo a politiori poſterioris aeui diuerſa Latinorum oratione verba facere queamus.

CAP. IV.

De Statu Latinae linguae puerili, tempore X. Virorum, ex fragmentis XII. Tabularum demonſtrato.

§. I.

Leges XII. Tabularum commendantur. 2. Qua occaſione fuerint ex Graecia Romam translatae. 3. Earum nunc non niſi fragmenta ſuperſunt, nobis poſt aliorum curas ſuis quaequae Tabulis commemoranda. 4. Tabula recenſetur primo prima de in ius vocando. 5. Secunda de Iudiciis et furtis. 6. Tertia de rebus creditis. 7. Quarta de Iure patrio et connubii. 8. Quinta de haeredibus et tutelis. 9. Sexta de dominio et poſſeſſione. 10. Septima de delictis. 11. Octaua de iuribus praediorum. 12. Nona de Iure publico. 13. Decima de Iure ſacro. 14. Vndecima in ſupplementum quinque priorum, 15. Duodecima in ſupplementum quinque poſteriorum Tabularum. 16. Fragmenta reiiciuntur alia ex legibus Ciceronis compilata. 17. Noſtra ſtabiliuntur denuo et 18. Stilus ſatis craſſus in XII. veterum teſtimoniis demonſtratur.

§. I.

CReuit magis magisque tenerrima Latinae linguae aetas, atque vires, pro temporis ratione, ſumſit minime contemnendas: quibus cum et nos pedetentim ex ſumma ignorantia atque tenebris, quibus infantia illa plurimum ſolet eſſe inuoluta, prodimus ad lucem, et noſtrum maiori ſpe ac ſolatio huc vſque vacillantem animum demulcere conamur: quando ad illud ſeculum peruenimus, quod quidem etiamnum ſatis obſcurum atque barbarum, nec adeo liberale, vt de ſuis multa nobis conceſſiſſe praedicari queat; cuius tamen beneficio, plura, quam hactenus videre licuit, ipſis quoque fragmentis dictamina veterum conſeruata reperiuntur. Leges XII. Tabularum innuo: illas, vt omni tempore quibuslibet Iuris antiqui et linguarum ſtudioſis acceptiſſimas, ita CICERONI inprimis commendatiſſimas, atque ſummis euectas laudibus: cum inter alia, *Si quem aliena*, inquit, *a) ſtudia delectant, plurima eſt et in omni iure ciuili, et in Pontificum libris, et in XII. Tabulis, antiquitatis effigies, quod et verborum priſca vetuſtas cognoſcitur, et actionum genera quaedam maiorum conſuetudinem viamque declarant. Siue quis ciuilem ſcientiam contempletur - - - totam hanc deſcriptis omnibus ciuitatis vtilitatibus ac partibus XII. Tabulis contineri videbitis.* Et poſt pauca: *Fremant omnes licet, dicam quod ſentio, bibliothecas me hercule omnium Philoſophorum vnus mihi videtur XII. Tabularum libellus; ſi quis legum fontes, et capita viderit, et auctoritatis pondere et vtilitatis vbertate ſuperare.* Imo etiam vir tantae eloquentiae ſibimet eo nomine gratulatur,

a) De Oratore lib. 1. cap. 43. 44.

tur, *b*) quod hunc libellum, tanquam neceſſarium quoddam carmen, memoriae cum aequalibus ſuis mandauerit, ac indignatur ſuper negligentia aliorum, qui idem facere detrectent. De his ergo nunc ordine tractandum eſt: ita quidem, vt, pro inſtituti ratione, breuiſſimis, ſed tamen clare omnia exponere ſtudeamus: quomodo primum Romani ſuas leges ab Graecis, quos in omni doctrina quondam habuiſſe magiſtros vidimus dudum, ad emendandum ſui regiminis ſtatum acquiſiuerint: tum quid de fragmentis earum atque forma dictionis ſentiendum. Quare ipſas ſuo ordine tabulas, prout ab eruditiſſimis viris, nominatim IACOBO GOTHOFREDO *c*) ſuis hinc inde ruderibus collectae et poſtliminio reſtitutae inueniuntur, bona fide, noſtra tamen adhibita criſi, exhibere ſimul, atque perſpicuum cuiuſuis tabulae ſenſum, et vocum diu obſoletarum ſuccinctam interpretationem ſubiungere aggrediemur: cetera prolixiori commentario reſeruaturi, quem horis ſubciſiuis poſthac, antiquitatis monumentum iſthoc nouis obſeruationibus critico-antiquariis illuſtrandum, pro viribus paramus, tuae, Lector, beneuolentiae aliquando conſecrandum, opus nouantiquum fiat vt inde tibi.

§. II.

Res itaque, ſi fidem fide digniſſimis auctoribus, vt decet, tribuere volumus, ſic ſe habuit. Circa annum mundi III M. IↃ. XV. vrbis conditae CCCIII. *d*) diu exactis

b) CICERO de legibus lib. 2. c. 23. *Diſcebamus*, inquit, *pueri XII. vt carmen neceſſarium, quas iam nemo diſcit.*

c) In fontibus quatuor Iuris ciuilis lib. 1. *d*) Sequimur autem, vt incepimus, IOHANNIS FVNCCII calculum.

ctis Regibus, quod ciuium Romanorum numerus in dies creuerit, vna cum negotiorum atque caussarum copia: veteres illae, quae de Regiis sanctionibus supererant, ad quasuis componendas lites, remque regendam publicam, illam interea temporis latius se extendentem, haudquaquam sufficientia videbantur; atque opus erat, de iure augendo Romano atque nouis condendis legibus consilium inire: ciuitatem suam ne magis incerta voluntate moribusue, quam sanctissimis iustisque statutis regere, ad summum Reip. damnum exitiumue, deprehenderentur. Accedebant grauissimae contentiones Plebeios inter atque Patricios homines, quod hi per multos annos pro arbitrio, sua tyrannide multa agerent, atque isti nimiae dominationis impatientes viriliter sese opponerent, tandemque per Tribunos postularent, vt communis aliqua legum ferendarum ratio ineatur. Senatus itaque consultum factum est, auctore *Tito Romilio*, Viro Consulari, quod Plebiscito confirmabatur, vt Legati Athenas, et Lacedaemonem, et in alias Graeciae ciuitates, mitterentur, qui, cognitis et examinatis earum legibus saluberrimis, exempla inde sumerent Romamque, ad diligentem obseruantiam vel imitationem, transportarent. Sic Respubl. Romana tribus magnifice instructis triremibus, *Sp. Postumium Album*, *Sext. Sulpitium*, et *A. Manlium* ablegarunt, leges petitum, in Graeciam, quae pro illius temporis cultura ceteris praestabat Regionibus, vbi homines plerumque ferocitate naturali sua degebant. Post triennium isti Romam cum optimarum legum farragine reuertuntur, suisque persuadent, vt ad noui iuris compositionem propius accederent. Ita demum Senatui Populoque Romano placuit, post longam disputationem

et sen-

et ſententiarum varietatem, ad leges ferendas ex Senatoribus X. Viros creare, a quibus prouocare ad populum nunquam liceret: reliquis etiam omnibus magiſtratibus abrogatis. Centuriatis itaque comitiis, praeter iſtos ſupra memoratos tres Senatores, in Graeciam ante legatos, eligebantur *Appius Claudius*, *T. Genutius*, duo t. t. Conſules, *P. Sextius*, *T. Romilius*, *C. Julius*, *T. Veturius*, et *P. Horatius*. Vnde Decemuirum nomen iſtud dignitatis cuique tributum occaſionem praebuit POMPONIO *e*) ſcribendi, Decemuiros in Graeciam miſſos fuiſſe: non vt denarium legatorum numerum, ſed vt tribus iſtis ſeparatim, eo miſſis tributam decemuiralem dignitatem ſignificaret. Quoniam vero leges ex inſtitutis literisque Graecis hauriendae fuerant, Decemuiri in conſilium adhibuere quendam *Hermodorum Epheſium*, Philoſophum in Italia tum forte fortuna exulantem, *f*) qui ſua interpretatione ac conſilio iſtos multum iuuit, vſque adeo, vt ſcriptores quidam huic ſoli iuris tribuere compoſitionem, atque leges Romanas acceptas ferre nulli dubitauerint. *g*) Has leges Decemuiri, eum in finem creati, pri-

mum

e) In l. 2. §. 4. D. de origine Iuris. *f*) *Epheſii* eum propter exuperantiam virtutis, vel ex mera inuidia ciuitate eiecerant, et hoc quidem plebiſcito, cuius formulam ex Graeco TVLLIVS ita retulit: *Nemo de nobis vnus excellat: ſed ſi quis extiterit, alio in loco, et apud alios ſit.* Quamobrem HERACLITVS Philoſophus dixit: Epheſios dignos eſſe, quibus gula frangeretur, quam primum puberes fierent. Vid. STRABO Geogr. lib. 14. p. m. 441. CICERO Tuſcul. quaeſt. lib. 5. cap. 36. *g*) STRABO l. c. POMPONIVS in l. 2. §. 4. D. de origine Iuris. Et PLINIVS Hiſt. natur. lib. 34. c. 5. teſtatur ipſi Romae ſtatuam publice in foro poſitam fuiſſe, quod Decemuiris leges Solonis interpretatus eſſet.

mum X. Tabulis roboreis (Pomponius eas vitiose eboreas vocat) maxima adhibita solennitate promulgarunt: et in comitiis centuriatis vno omnis populi assensu confirmatas curarunt aereis incidere columnis. Quibus, cum adhuc nonnulla ad Reip. emolumentum necessaria deesse viderentur, anno sequenti post primam legum sanctionem, pro numero auctorum X. prioribus, insuper duas addiderunt Tabulas. Ita XII. denique pro rostris, in fori loco maxime conspicuo, ordine dispositas constituere, quas, more solito ad perpetuam rei memoriam deinde in Capitolium translatas, sanctissime asseruari voluere. *b*)

§. III.

Sed quod dolendum maxime, thesaurus hic iuris veteris, et pristinae Latinitatis monumentum, quod paulo clarius nobis pueritiam eius commonstrare potuisset, periit iam dudum, et pro iniuria temporis, tristi fato corruit. Hodie tamen fragmenta quaedam circumferuntur, quae sola ex memoratis legibus supersunt: multo labore et industria ab eruditissimis Viris, omnes quod istas bonarum artium studiosi, vltimae antiquitatis consideratione, tanti facere plerumque soleant, ex MARCI TVLLII, DIONYSII HALIC. LIVII, A. GELLII, PLINII, MACROBII, FESTI POMPEII aliorumque scriptis, nec non ex ipsis Pandectis, seu tot riuulis, colligere accuratius, et postliminio restituere allaborarunt. Abhinc rursum

b) Confer. Plur. DIONYS. HALIC. Rom. Antiq. lib. 10. c. 13. T. LIVIVS Histor Rom. lib. 3. c. 34. maxime vero lib. 3. c. 57. alibi POMPONIVS l. c. ISIDORVS Origin. lib. 5. c. 1. DIODORVS SICVLVS Biblioth. Histor. lib. 12. OROSIVS Hist. lib. 2. c. 13. ZONARAS tom. 2. Alii.

ſum interpretes inuenere quam plurimos, quos inter iam LIPSIVM, LVD. CHARONDAM, THEODORIVM MARCILIVM, FR. HOTOMANNVM, RAEVARDVM, RITTERSHVSIVM, ROSINVM, PAVLVM MERVLAM, IACOB. GOTHOFREDVM, IANVM VINC. GRAVINAM nominare ſufficiat. Quorum tamen aliis atque aliis felicius iſtud periculoſae plenum opus aleae ſucceſſit. Quidam de ſenſu tantum ſolliciti antiqua, ſed genuina, vt vt nunc obſoleta, iuris veteris verba penitus abſterſerunt, diuerſamque fragmentis iſtis formarunt faciem. Alii in perſcrutanda antiquitate magis curioſi, quantum potuere, ex ipſis fontibus, rite examinatis, verba legum fragmenta haurire, et in conſpectum producere aliorum dederunt operam. Nec iſtud rurſum pari modo omnes bonis auibus. Ita quoque leges noſtrae a recentioribus ordine vario locantur: cum explicationem earum alii Hotomannum ſequentes, tribus ſummis capitibus incluſam, primo de iure ſacro, deinde iure publico, et vltimo de iure priuato pertractauerint, ſecundum vulgares AVSONII, Viri conſularis et Imperatoris Gratiani praeceptoris, verſus: i)

Ius triplex, Tabulae quod ter ſanxere quaternae:
Sacrum, priuatum, Populi commune quod vſquam eſt.

Alii vero, quos inter IAC. GOTHOFREDVS, k) egregie antiquitatis veſtigia ſequentes, coniectura ſua, nec

 pror-

i) Edyll. 4. k) In Fontibus Iuris ciuilis lib. I. Ex quibus poſtea quoque I. V. GRAVINA XII. Tabulas originibus Iuris ciuilis, Oper. pag. 273. ſeqq. Edit. Lipſ. 1717. in 4. inſerere nullus dubitauit.

prorſus inani priſtinum XII. Tabularum ordinem nobis reddere ſtuduerint. Exemplarium hinc inde longe maxima diſcrepantia. Nos ſuppoſititiis neglectis, quae potius ex interpretum ingenio, quam ex veterum monumentorum fide proſtant, gratam facturos operam putamus, quando exemplaris, vt videtur, accuratiſſimi copiam faciamus denuo purgatam, et maxime conſpicuis liberatam erroribus, quibus adhuc optimas leges fuiſſe a quadam recentiori manu conſpurcatas, vel ex diſſertationis huius progreſſu, meridiana luce clarius apparet. Ceteroquin bona fide omnia ex fontibus ipſis, vnde dulcius plurimum hauriuntur aquae, transſcripta cum breui analyſi et vocabulorum antiquiorum interpretatione noſtra, huic pertractationi inſerere animus eſt, certa fiducia fretis, fore, vt ſparſim haud exigua priſtina Latinitatis exempla in illis cernere liceat.

§. IV.

Ad primam igitur legum Decemuiralium Tabulam, poſt GOTHOFREDVM et ſectatores, quos hodie propemodum innumeros reperit, fragmenta referimus, de in ius vocando aliquo reo et Praetoris cognitione in foro, ſequentia. -

(1) SEI. ENDO. IOVS. VOCET. ATQVE. EAT. *l*)

(2) NEI. EAT. ANTESTATOR. EICITOR. EM. CAPITOD. *m*)

(3) SEI.

l) CICERO de legibus lib. 2. c. 4. CORNIFICIVS, vel quiſquis Auctor eſt, Rhetoricorum ad Herennium lib. 2. c. 13.

m) PORPHYRION vetus interpres Horatii lib. 1. ſerm. Satyr. 9.

(3) SEI. CALVITOR. PEDEMVE. STRVIT. MANOM. ENDOIACITOD. *n*)

(4) SEI. MORBOS. AIVITASVE. VITIOM. ESCIT. QVEI. ENDO. IOVS. VOCASIT. IOVMENTOM. DATOD. SEI. NOLET. ARCERAM. NEI. STERNITOD. *o*)

(5) SEI. ENSIET. *QVEI. ENDO. IOVS VOCATOM. VINDICIT. MITITOD.* *p*)

(6) ASIDVOD. VINDECS. ASIDVOS. ESTOD. PROLEITARIOD. CIVEI. QVEIVIS. VOLET. VINDECS. ESTOD. *q*)

(7) REM. OVBEI. PAICONT. ORANTOD. *r*)

(8) NEI. ITA. PAICONT. ENDO. COMEITIOD. AVT. ENDO. FOROD. ANTED. MEIDIDIEM. CAVSAM. CONICIVNTOD. *s*)

(9) POST. MEIDIDIEM. PRESENTED. AMBORVS. STLITEM. ADEICITOD. *t*)

(10) SOL. OCASOS. SOPREMA. TEMPESTAS. ESTOD. *v*)

Voluerunt Decemuiri, vt, ſi quis (1) alterum in *Ius*, ſiue ad tribunal iudicis, cauſae cognoſcendae gratia citauerit,

n) FESTVS in voc. *Struere.* LVCILIVS apud NONIVM MARCELLVM cap. 1. n. 20. in voc. *Caluitur.* *o*) A. GELLIVS noct. Attic. lib. 20. c. 1. *p*) CAIVS lib. 1. ad l. XII. Tabul. l. 22. §. 1. Digeſt. de in ius vocando. *q*) CICERO in Topicis c. 2. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 16. c. 10. *r*) CORNIFICIVS Rhetor. ad Herennium lib. 2. c. 13. *s*) Ibid. Et A. GELLIVS l. 17. c. 2. Et QVINTILIANVS Inſtit. Orat. l. 1. c. 6. *t*) GELLIVS l. 17. c. 2. *v*) A. GELLIVS lib. 17. c. 2. VARRO de LL. l. 5. c. 2. l. 6. c. 3. MACROBIVS Saturn. l. 1. c. 3. FESTVS in v. *ſuppremum.* PLINIVS hiſt. natur. l. 7. c. 60.

uerit, Reus ſtatim vocantem eo ſequatur. Nam particula *Atque* heic nihil aliud ſignificat quam *ſtatim*. *x*) Niſi eat abſque mora (2) *Anteſtator*, ſiue teſtes antea rogantor, vti ſuo tempore, ſi quid opus fuerit, coram iudice profiteantur, reum ab actore modo legitimo in ius vocatum fuiſſe. *Eicitur*, Igitur, ſeu *poſtea*, *y*) *em capitod*, eum capito et prehendito, quaſi in ius eum rapere, vi quadam imaginaria, velit. (3) Si *Caluitur*, i. e. ſimulat, fore, vt ſtatim ſequatur, interim vero moram ducit fruſtraturque; *z*) *Pedemue ſtruit*, vel aufugit, *a*) *manom endo iacitod*, manum iniicito, vt tandem obtorto, quod aiunt, collo in ius rapiatur. (4) Si morbus aliquis minime ſonticus atque aetas *b*) *vitiom eſcit*, i. e. *impedimento fuerit*, quin ire atque adeo vt decet actorem ſequi valeat: qui in ius vocauerit, ipſi *iumentum*, h. e. vectabulum dato, quod adiunctis pecoribus trahitur. *c*) Iſtud repudianti, minime gentium teneatur, ſi nolet, *Arceram* ſternere, ſiue plauſtrum ipſi dare vndique tectum ac munitum, et quandam veluti arcam magnam veſtimentis inſtratam, qua nimis aegri atque ſenes quondam portari cubantes ſolebant. *d*) Si quis interim (5) fuerit

x) Vid. A. GELLIVS lib. 10. c. 29. *y*) FESTVS in hac voce.

z) CAIVS in l. 233. D. de verb. ſignif.

a) FESTVS in verbo *ſtruere*. *b*) AIVITAS, *aeuitas*, veteres ſcriptitarunt, pro *aetas*, quemadmodum *aeuiternus*, pro *aeternus*, et ſimilia apud AVS. POPMAM de vſu antiquae locutionis lib. 1. c. 6. p. 23. ſeq.

c) Vid. A. GELLIVS l. 20. c. 1. Confer. NONIVS MARCELLVS cap. 1. n. 269.

d) GELLIVS l. c. NONIVS l. c. n. 270. VARRO de lingua Latina lib. 4. c. 31. in fine.

fuerit, qui in ius vocatum prenſumque defendat, dimittitor. (6) *Aſiduo*, i. e. locupleti ac diuiti *e*) vindex atque fideiuſſor diues eſto. *Proletario*, ſiue pauperi ac tenuioris fortunae ciui, qui nil niſi prolem Reip. exhibet, *f*) vindex quilibet eſſe poteſt. (7) Vbicunque interea temporis litigantes *rem*, ſiue cauſſam, agunt, ac inter ſe *paicont* i. e. *paciſcuntur*; ita deinceps *oranto* ſuamque cauſſam ſenſu communi *agunto*. (8) Niſi vindex aliquis intercefferit, neque tranſactum fuerit de cauſſa, propter quam quis alterum in ius vocauit, in comitio, aut in foro, Praetor ante meridiem *g*) cognoſcito cauſſam, vbi litigatores ambo praeſentes perorant. (9) Poſt meridiem, iiſdem praeſentibus, vel, prout ſatis archaice, ſingulari numero adſcripto pluribus, verba legis ſonant, *praeſented ambobus*, *h*) Iudex actionem dato, et iudicium conſtituito: id enim verbis, *Stlitem Adeicitod*, litem addicito, legumlatores exprimere volebant. Vbi etiam obſeruamus ſimul, quondam inſigni aſperitate nominibus, quae ab litera L. incipiunt, plurimum ST praepoſitum fuiſſe. Hinc *Stlatus* pro *latus*, *Stlocus* pro *locus*, *Stlis* pro *lis*, et ſimilia. *i*) Denique (10) *ſol ocaſus*, ſeu occidente ſole, vltimus iudiciorum terminus eſto: ne quid differatur ad noctem, qua cuiuſuis etiam generis coetus hiſce prohibentur tabulis agitari. *k*) *Tempeſtas* vero pro *tempore* ſumi, vulgo notum eſt. †)

§. V.

e) CICERO in Topicis c. 2. A. GELLIVS l. 16. c. 10.
f) GELLIVS l. c. *g*) *Medidiem* pro *Meridie* Veteres dixiſſe, VARRO teſtis eſt de lingua Latina lib. 5. c. 2. CICERO in oratore c. 47. NONIVS c. 1. n. 299. *h*) Vid. IOSEPHVS SCALIGER ad Feſtum in verbo *plorare*. *i*) FESTVS in voc. *Stlata*. *k*) Vid. Tab. 9. fragm. 6. †) Vid. FESTVS h. v. VARRO de LL. l. 6. c. 5.

§. V.

Tabulae secundae, vbi de Iudiciis atque furtis agitur, hae videntur leges fuisse. (1) - - - VADES. SVBVADES. - - - *Extera. quam.* Sei. MORBOS. SONTICOS. - - - VOTOM. *absentia Reip. ercod.* AVT. STATOS. CONDICTOSVE. DIES. COM. HOSTED. SIET. *l)*

(2) SEI. QVID. HOROM. FVETA. OINOM. IOVDICEI. ARBITROVE. REOVE. EO. DIE. DIFEISOS. ESTOD. *m)*

- - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - -

(3) QVOI. TESTIMONIOM. DEFVERIT. OLE. TERTIEIS. DIEBOS. OB. PORTOM. OBVACVLATOM. EITOD. *n)*

(4) QVEI. NOCS. FOVRTOM. FACSIT. SEI. IM. ALIQVIPS. OCEISIT. IOVRED. CEISOS. ESTOD. *o)*

(5) *Sei. Lucei. fourtom. facsit. sei. im. aliquips. endo. ipso. capsit. verberator. oloeque. quei fourtom. factom. escit. adeicitor. Sei. Seruos. siet. virceis. ceisos. sacso. deicitor. Sei. empobis. siet. pretoris. arbitra-*

l) Fragmentum istud ex variis conflatum, nobis sensum non adeo facilem reddit. *Vades* et *subuades* XII. inesse testatur GELLIVS l. 16. c. 10. De *morbo sontico.* Idem l. 20. c. 1. et VLPIANVS in l. 2. §. 3. in fine D. *Si quis cautionibus in iudicio* etc. De *voto* Caius in l. 233. D. de verb. signif. De *absentia Reip. ergo* CAIVS in l. 6. D. *si quis cautionibus*, De *Stato die cum hoste* CICERO officior l. 1. cap. 12.

m) FESTVS in voc. *Reus.* *n)* FESTVS in voc. *Portum* et *Vagulatio.*

o) CICERO in orat. pro Milone c. 4. GELLIVS lib. 11. c. 18. MACROBIVS Saturn. lib. 1. c. 6.

bitratu. verberator. nocfiamque. decernitod. p)

(6) *Sei. se. telo. defensint. quiritatod. endoque. ploratod. postidea. sei. ceisei. escint. sed. frauded. estod. q)*

(7) *Sei. fourtom. lance. licioque. conceptom. escit. atque. vtei. manufestom. vindicator. r)*

(8) SEI. ADORAT. FOVRTO. QVOD. NEC. MANVFESTOM. ESCIT. *duplione. luito. s)*

(9) *Sei. quips. alienas. arboses. en. iouriad. ceisit. endo. sinculas. XXV. airis. luitod. t)*

(10) *Sei. pro. foure. damnom. deceisom. escit. fourtei. nec. adoratod. v)*

(11) QVOD. SVBRAPTOM. ESCIT. EIIVS. REI. AIVITERNAD. OTORITAS. ESTOD. x)

Iudicio constituto coram iudice, (1) postmodum sistendi, *vades et subuades*, i. e. sponsores, qui pro altera parte vadimonium promittunt, *y)* vtrinque dantor. Proin tenetur Reus et Actor stato tempore in ius venire, ac respondere vadato, vel perdere litem. *z)* Nisi impedimento sint iustae causae, *morbus sonticus*, qui vim grauiter nocendi habet, *a)* *Votum*, *Absentia Reip. causa*, *aut*

p) A. GELLIVS. lib. 11. c. 18. *q)* CICERO pro Milone c. 4. GELLIVS l. c. AVGVSTINVS ad cap. 11. Exod. *r)* GELLIVS l. c.
s) FESTVS in partic. *Nec.* GELLIVS l. 11. c. 18. *t)* PLINIVS Histor. natur. lib. 17. c. 1. *v)* VLPIANVS IC. lib. 42. ad Sabinum in l. 7. D. de condict. furtiua, et l. 4. ad edictum l. 7. §. 14. fin. D. de pactis. *x)* GELLIVS lib. 17. c. 7. Imperator §. 2. Instit. de vsucapionibus et long. temp. praescript.
y) FESTVS in hac voce. VARRO de lingua Latina l. 5. c. 2. *z)* HORATIVS Serm. lib. 1. Satyr. 9.
a) GELLIVS lib. 20. c. 1. IAVOLENVS in l. 113. D. de verb. signif. FESTVS. in voc. *Sonticus.*

aut status condictusque dies cum hoste, i. e. cum peregrino. *Hostis* enim dicebatur is, qui nobis nunc peregrinus, et qui hostis, siue aduersarius est, *Perduelis* audiebat. *b)* Si quid horum (2) *Fueta oinom*, i. e. fuit vnum, *c)* et eo die, vel ipsi Iudici, vel arbitro atque reo obuenit, terminus statusque dies *Difcisos*, diffisus, siue dilatus esto, (3) Cui testimonium defuerit ad probationem caussae, ille *tertiis diebus*, siue trinundino, ter adeoque intra XXVII. dies, *ob portum* i. e. ad domum *d)* eius, quem facere reum proxime cupit, *Obuagulatum*, seu facinus quadam veluti lamentatione et conuicio *e)* questum ito. (4) Qui *Nox*, siue *noctu f)* furtum fecerit, et eum aliquis occiderit, iure merito caesus esto. (5) Si interdiu aliquis furtum fecerit, vt in ipso facinore suo deprehenderetur, primo verberator, deinde illi, cui furtum erat factum, a Iudice tradito. Ita quidem, vt si fur iste seruilis conditionis fuerit, virgis caesus de saxo vel rupe Tarpeia, quae pars erat Capitolii, praecipitaretur. Sin puer, priusquam pubes esset, furatus sit, pro circumstantia caussae et arbitrio iudicis, verberator, postea damnum resarcito. (6) Si, qui furantur, telo vel quouis alio instrumento se defenderint, Dominus, vel qui fures deprehendit, id ipsum prius cum clamore testator, et aliorum operam auxiliumque implorato. Quo facto, si manu eius occiderentur, sine fraude, i. e. impune caesi sunto. (7) Si furtum *lance licioque conceptum*, i. e.

b) CICERO de officiis lib. 1, c. 12. CAIVS in l. 234. D. de verb. signif. FESTVS in voc. *Duellum*, *Hostis*, *Status dies* et alibi.

c) Vid. Tab. Scipioni Barbato posita. *d)* FESTVS in voc. *Ob* et *Portus*.

e) GELLIVS lib. 16. c. 17. FESTVS in voc. *Vagulatio*.

f) GELLIVS ab init. lib. 8. MACROBIVS Saturn. lib. 1. c. 4.

i. e. ab lictore, qui licio cinctus, lancem siue patinam prae se ferebat, in domo aliena repertum fuerit, *g*) perinde ac si manifestum esset, vindicator. (8) Si furtum fecerit aliquis, quod non manifestum erit, vt res ipsa vindicari possit, dupli damnator. (9) Si quis alienas arbores furtim et iniuria quadam ceciderit, pro singulis arboribus caesis xxv. asses soluito. (10) Si pro fure damnum decisum fuerit, atque Domino satis factum, ipsi nullum furti amplius agere ius esto. (11) Eius, quod alteri subreptum est, ac furtim ablatum, *aeterna*, siue perpetua *auctoritas*; i. e. vindicatio et vsucapio esto: nec ab vllo, vt vt longissimi temporis possessione, acquiri, vel praescriptione aliqua vsucapi, ius esto.

§. VI.

Tertia, quae sequitur Tabula de rebus creditis leges comprehendit, suo heic ordine subscriptas: - - - - - - - - - - - - - - -

(1) *Sei. quid. endo. deposito. dolo. malo. factom. escit. duplione. luitod. h*)

(2) *Vnciasiod. foenosed. nei. quips. amplius. ecsercetod. sei. quips. aliuta. facsit. quadruplioned. poinam. luitod. i*) - - - - - - - - - - - - - - - - -

 (3) AD-

g) FESTVS in voc. *Lance* etc. Quamuis probe sciam, viros eruditissimos in partes abire. Atque etiam non ita pridem materiam hanc ABRAHAMVS VVIELINGIVS, Illustrissimi Comitis de Wartenberg Ephorus dignissimus, docta et elegante diatribe pertractauit.

h) PAVLVS I C. lib. 2. sent. sub titulo de Deposito apud Auctorem collat. legum Mosaic. tit. 10. §. 6. CICERO de officiis lib. 3. c. 15.

i) TACITVS Annal. lib. 6. c. 16. Confer. MARCI CATONIS CENSORII proem. rei rusticae.

(3) ADVORSVS. HOSTEM. AIVITERNAD. OTORITAS. ESTOD. *k*)

(4) AIRIS. CONFESEI. REBOSQVE. IOVRED. IOVDICATEIS. XXX. DIES. IOVSTEI. SVNTOD. *l*)

(5) POSTIDEA. MANVIS. ENDOIACTIOD. ESTOD. ENDO. IOVS. DVCITOD. *m*)

(6) NEI. IOVDICATOM. FACSIT. AVT. QVIPS. ENDO. EO. IM. IOVRE. VINDICIT. SECOM. DVCITOD. VINCITOD. AVT. NERVOD. AVT. COMPEDIBVS. XV. PONDO. NEI. MAIOSED. AT. SEI. VOLET. MINOSE. VINCITOD. *n*)

(7) SEI. VOLET. SOVO. VIVITOD. NEI. SOVO. VIVIT. QVEI. EM. VINCTOM. HABEBIT. LIBRAS. FARIS. ENDO. DIES. DATOD. SEI. VOLET. PLOVS. DATOD. *o*)

(8) *Endoteratim. Paciod. estod. Nei. com. eo. pacit. LX. dies. vinctom. habetod. Endo. oloes. diebos. terticis. nondineis. continueis. endo. comeitiom. endo. ioured. im. procitatod. airisque. aistimiam. ioudicatei. predicatod. p*)

(9) *Postidea. de. capited. addicti. poinas. soluitod. aut. sei. volet. vls. Tiberim. peregre. venom. datod. q*)

(10) *Ast*

k) CICERO de officiis lib. I. c. 12.

l) A. GELLIVS lib. 15. c. 13. et lib. 20. cap. I. Confer. SCALIGER ad Festum in voc. *Neruum*.

m) GELLIVS lib. 20. c. I. *n*) Idem l. c. *o*) Idem. l. c.

p) Ibid. *q*) Ibid.

(10) *Ast. sei. plousebos. adictos. siet.* TERTIEIS. NONDINEIS. PARTIS. SECANTOD. SEI. PLOVS. MINVSVE. SECVERONT. SED. FRAVDED. ESTOD. *r*) . . . .

(1) Si quid in re deposita aliquis dolo malo egerit, dupli poena afficitor. (2) *Vnciario foenore*, siue vsura *s*) vnciaria, qua vnus pro centum per menses perditur nummus, *t*) nemo amplius exerceto. Si quis *aliuta*, i. e. aliter *v*) fecerit, contra mandatum, quadrupli poena afficitor. (3) Aduersus *hostem*, i. e. peregrinum, ciui Romano aeterna auctoritas esto: vt actio aduersus eum perpetua sit, nec quicquam vsucapi ab isto valeat. (4) *Aeris confessi*, quando aliquis debitum et aes alienum, quo premeretur, professus fuerit, *rebusque iure iudicatis*, siue cognita in iudicio causa eius, vt ipsi iniungeretur, creditoribus suis satisfaciat: *XXX. dies iusti sunto*, h. e. induciae menstruae, ad exsoluendum debitum, ipsi dantor. (5) *Postidea* pro *postea*, et *antidea* pro *antea*, veteres dictitare solebant. *x*) Proin lectio haec nobis arridet, vtut in vulgatis Gellii libris *post deinde*, in manuscriptis codicibus *pedeinde* legeretur. Post lapsum ergo mensis spatium, si debitor non satisfecerit, manus iniectio fiat, ac in ius ducatur a creditore suo. (6) Si et tum iudicatum non soluerit, aut aliquis in iudicio eum defenderit vindex, creditori liceat eum prehendere, et secum

 in pri-

r) GELLIVS l. c. QVINTILIANVS Instit. Orator. lib. 3. c. 6. TERTVLLIANVS Apologet. c. 4. *s*) Vid. GELLIVS l. 16. c. 12. VARRO de LL. in fragmento lib. 3. *t*) MARCELLVS DONATVS dilucit. in Iul. Capitulinum pag. 868. 873. *v*) FESTVS in hac voce. *x*) Vid. POPMA de vsu antiq. locut. lib. 1. c. 6. p. 23. PAVLVS MERVLA de legibus Rom. c. 22. p. 243.

in priuatum carcerem abducere, imo etiam neruo, aut compedibus eum vincire: ita tamen, vincula ne sint maiora XV. pondo; sed minora potius, si ipsi videretur. (7) Debitor ita nexus, modo voluerit poteritue, ex propriis viuito: sin viuere suo victu nequeat, is, qui eum vinctum habet, ipsi in singulos dies, singulas farris libras dato, vel etiam, si placet, pro arbitrio ipsi plus dato. (8) *Endoteratim*, id enim vocis antiquioribus in vsu erat pro *interim*, y) addicto cum creditore paciscendi copia sit. Nisi pactus fuerit cum eo, LX. dies in vinculis denuo miserum habeat. In illis diebus eum tribus nundinis continuis in comitium ad Praetorem *procitato*, i. e. producito; z) et quanti iudicatus esset, vel aeris sui aestimationem praedicato. (9) Postea de capite addicti poenas sumito, aut si volet, creditor eum *vls* i. e. vltra Tiberim a) peregre venum dato. (10) Ast si pluribus creditoribus addictus fuerit, tertiis nundinis, i. e. XXVII. die, corpus ipsius, si velint, in partes secanto: si plus minusue secuerint, *se fraude*, i. e. sine fraude et impune esto.

§. VII.

Quatuor quartae Tabulae de Iure Patrio et connubii fragmenta nobis supersunt, his circiter concepta veteris Latii vocibus: - - - - - - -

(1) *Patri. endo. fidiom. ioustom. vitai. necisque. potestas. estod. Terque. im. venom. darier. ious. estod.* b)

(2) SEI.

y) FESTVS: *Interduatim et interatim dicebant antiqui, quod nunc interdum et interim.*

z) FESTVS in hoc verbo. a) Idem in hac particula.

b) DIONYS. HALIC. Rom. antiq. lib. 2. c. 4.

(2) SEI. PATER. FIDIOM. TER. VENOM. DVIT. FIDIOS. AF. PATRE. LEIBER. ESTOD. *c*)

(3) *Pater. endoficnem. ad. deformitatem. puerom. toper. necatod. d*)

(4) *Sei. quei. oloe. endo. X. menfibos. procfumeis. poftumos. natos. efcit. iouftos. eftod. e*) - - - -

\- - - - - - - - , - - -

(1) Patri in *fidiom*, i. e. *filium f*) iuftum, adeoque ex legitimis nuptiis natum, vitae ac necis poteftas fit, atque etiam, fi volet, eum ad tertiam vfque vicem venundandi ius habeat. (2) Si pater filium ter *venomduit*, i. e. venum aut venalem dederit, *g*) filius *af*, feu prout nunc loqui debemus, *a* Patre *h*) liber efto. (3) Pater infignem ad deformitatem puerum, feu partus deformes et monftrofos *i*) *topper*, i. e. cito *k*) necato. (4) Si aliquis illi poft mortem proximis decem menfibus filius natus fuerit poftumus, ex iuftis nuptiis genitus, et legitimus effe cenfeatur.

§. VIII.

c) DIONYS. l. c. VLPIANVS IC. lib. 1. Regul. tit. 10. confer. SCALIGER ad Feftum in voce *addues*. *d*) CICERO de legibus lib. 3. c. 9. *e*) GELLIVS lib. 3. c. 16. Confer. leg. 3. §. penult. D. de fuis et legit. l. 29. Gallus in princ. D. de liber. et poft. Nouell. 39. c. 1. etc. *f*) D et L literas frequentiffime commutarunt veteres, vt *fidiom* pro *filio*, *dacruma* pro *lacruma*, *dautia* pro *lautia*, et id genus alia dicerent. vid. FESTVS paffim. POPMA de vfu antiq. loc. l. 1. c. 3. p. 12. *g*) A verbo *Duo* in fecunda perfona *duis* pro dederis etc. FESTVS in verbo *Duis*. Quamuis, vt fupra notauimus, *duim*, non *duo*, veteribus in vfu fuiffe legamus. *h*) AF pro A veteres dixiffe, teftatur PRISCIANVS lib. 1. c. 13. *i*) Confer l. 135. D. de verb. fignif. *k*) QVINTILIANVS Inftit. Orat. lib. 1. c. 6.

§. VIII.

Ad quintam progredimur Iuris antiquiſſimi Tabulam de heredibus et tutelis, cui haec ineſſe putamus:

(1) PATERFAMILIAS. VTEI. LEGASIT. SVPER. PECVNIAI. TVTELAIVE. SOVAI. REI. ITA. IOVS. ESTOD. *l*)

(2) SEI. PATERFAMILIAS. INTESTATO. MORITOR. QVOI. SOVOS. HERES. NEC. ESCIT. ADCNATOS. PROCSVMOS. FAMILIAM. HABETOD. SEI. ADCNATOS. NEC. ESCIT. GENTILEIS. FAMILIAM. HERES. NANCITOR. *m*)

(3) *Sei. Libertos. inteſtato. moritor. quoi. ſouos. heres. nec. eſcit. aſt. Patronos. Patroneiue. liberei. eſcint.* ECS. EA. FAMILIAD. ENDO. EAM. FAMILIAM. *procſumo. pecunia. adeicitor. n*)

(4) *Nominad. enter. Heredes. pro. portionibos. hereditarieis. atque* ERCTA. CITA. *ſuntod. o*)

(5) *Sei. conheredes. ſincolei.* FAMILIAI. ERCTO. NON. CITO. *ſouam. partem. volent.* ERCTOM. CITOM. *faciuntod. Pretor. ad* ERCTOM. CIENDOM. *Arbitros. tris. datod. p*)

(6) *Sei.*

---

l) CICERO de inuentione lib. 2. c. 50. CORNIFICIVS Rhetor. ad Herennium lib. 1. cap. 13. de confirm. et confutatione l. 53. et 120. D. de verb. ſignif. Imperator in princip. inſtit. de lege Falcidia.

m) CICERO de inuentione lib. 2. c. 50. CORNIFICIVS rhetoric. ad Herenn l. 1. c. 13. VLPIANVS IC. Inſtit. cap. 26. §. 1. Idem in l. 195. D. de verb. ſignif. POMPONIVS IC. in l. 162. D. de V. S. Imperator §. 2. inſtit. de heredum qualitate et differentia.

n) Imperator princ. inſtit. de ſucceſſione libertorum. VLPIANVS inſtit. l. 29. §. 1. CAIVS ad edictum prouinciale l. 1. et 3. D. de hered. petit. *o*) Imper. Valerian. et Gallien. in l. 1. C. *ſi vnus ex pluribus* etc. PAVLVS IC. in l. 25. §. 13. D. Famil. Erciſc.

p) CAIVS IC. lib. 7. ad edictum prouinciale l. 1. D. Famil. Erciſc. VLPIANVS ibid. leg. ſeq.

(6) *Sei. Paterfamilias. intestato. moritor. quoi. endo. poubes. souos. Heres. escit.* ADCNATOS. PROCSVMOS. TVTELAM. NANCITOR. *q*)

(7) SEI. FOVRIOSOS. AVT. PRODICOS. ECSISTAT. AST. OLOE. COVSTOS. NEC. ESCIT. ADCNATOROM. CENTEILIOMQ. ENDO. EO. PECVNIAQVE. EIIVS. POTESTAS. ESTOD. *r*) -

(1) Paterfamilias vti *lecasit*, i. e. legauerit, *s*) siue testamento dispofuerit, super *pecuniae*, pro *pecunia*, *t*) i. e. quibuslibet bonis suis, *v*) vel tutela suae rei hereditariae, ita ius ratumque esto, vt post mortem eius stricte obseruentur omnia. (2) Si paterfamilias intestato *x*) moritur,

 cui

q) Imper. Instit. de legitima agnatorum tutela. CAIVS IC. instit. tit. 1. VLPIANVS regul. tit. 1 1. l. 1. D. de legit. tut.

r) CICERO de inuentione lib. 2. c. 50. Idem Tusc. Quaest. l. 3. c. 5. CORNIFICIVS Rhetor. ad Herenn. lib. 1. c. 13. de confirm. et confut. VLPIANVS in l. 1. D. de curat. furiof. etc. Idem tit. 12. §. 2. Instit. Imper. §. 3. Instit. de curatoribus. *s*) Quod Decemuirorum tempore Latini pro G, litera continuo C. vsurpauerint, atque etiam S. pro R. valuerit vsu vulgari, obseruata simul in verbis praeteritorum contractione, antiqua scribendi ratione *lecasit* pro *legarit*, vel *legauerit*, consulto posuimus. Quemadmodum *Esit*, vel *Escit*, pro *Erit*, *Arbosem* pro *Arborem*, *Robosem* pro *Roborem*, et similia, quae apud FESTVM et alios antiquae locutionis commentatores vbiuis obuia sunt.

t) Ita more Graecorum apud Latinos antiquissimos Genitiuus loco Ablatiui, vt grammatici loquuntur, casus erat.

v) Vid. l. 178. et 222. D. de verb. sign. *x*) Intestato quomodo aliquis mori dicatur, vide princip. Instit. de heredit. quae ab intestato deferuntur.

cui ſuus heres non erit, proximus agnatus *familiam*, i. e. omnes defuncti opes et bona *y*) habeto, atque adeo heres eſto. Sin agnatus ipſi nullus fuerit, *Gentilis*, qui ex eodem genere ortus ſimili appellatur nomine, *z*) familiam heres *nancitor*, contracte pro *nanciſcitor*, i. e. ſucceſſionem in totam rem familiarem habeat. *a*) (3) Si Libertus aliquis inteſtato cum morte vitam commutauerit, cui pariter ſuus heres non ſit, aſt patronus vel patroni liberi ſuperſtites fuerint, proximo ex eius familia, in familiam liberti tranſituro, tota hereditas addicitor. (4) Defuncto creditore, vel debitore, eius heredes, pro portionibus hereditariis, tantum conuenire, vel conueniri debent, ipſoque iure inter eos *nomina*, i. e. obligationes, *b*) quas defunctus ſiue creditor, ſiue debitor, poſt ſe reliquit, atque *Ercta*, i. e. bona *c*) *cita*, i. e. diuiſa ſunto. (5) Si familiae bonis nondum diuiſis, heres quiſque ſuam partem capere velit: bona diuiſa faciunto, et Praetor, ad diuidendam hereditatem, arbitros *tris* i. e. *tres* *d*) dato. (6) Si paterfamilias inteſtato decedat, cui ſuus heres

y) l. 195. D. de V. S. *z*) FESTVS in voc. *Gentilis*.

a) Confer. FESTVS in verbo *nancitor*. *b*) VLPIANVS l. 6. D. de V. S. FESTVS in voce *Nomen*. NONIVS MARCELLVS c. 4. n. 324.

c) FESTVS putat *Erctum* a coërcendo eſſe dictum, quaſi coërcitum, vt hoc in loco ſit indiuiſum. Quocum etiam facit IACOBVS GOTHOFREDVS, ad hanc legem, in fontibus quatuor iuris ciuilis pag. 207. Sed nobis magis placet ſententia GRAVINAE, ad hanc legem, oper. pag. 197. Cum veteres habuerint *horctum*, quod eſt *bonum*, mutato O in E, natum eſſe *herctum*, et aſpiratione ſubmota *Erctum*. *Citum* vero a *Cio*, quod eſt diuido, a veteri σχίω, vnde σχίζω, *diuido*. Hinc *Ercta cita*, ſunt *bona diuiſa*, et verbum *Erciſcere*, quaſi *ercta*, ſiue *bona*, *diuidere*.

d) Vid. GELLIVS lib. 13. c. 19.

heres impubes et minorennis extat, proximus agnatus eius tutelam in se recipiat. (7) Atque etiam, si ex heredibus aliquis furiosus, aut prodigus existat, cui defunctus nullum curatorem testamento dedit, qui prospicere ipsi possit, proximi agnati, vel si horum nulli fuerint, gentiles tam ipsius, quam bonorum eius, curam habere debent.

§. IX.

Ordine sequitur sexta Tabula de domino et possessione, quae hisce propemodum legibus constat: - -

(1) QVOM. NECSOM. FACSIT. MANCIPIOMQ. VTEI. LINGVA. NONCVPASIT. ITA. IOVS. ESTOD. *Sei. endoficias. ierit. duplioned. damnator. e)*

(2) *Stata. leiber. Emtorei. dandod. Leiber. estod. f)*

(3) *Res. vendita. transque. data. Emtorei. nec adqueiritor. donicom. satisfactom. escit. g)*

(4) OESVS. OTORITAS. FONDEI. BIENIOM. *ceterarom. Rerom.* ANVOS. OESVS. ESTOD. *h)*

(5) *Molier. quae. Anom. apud. Virom. matrimoniei. ercod. fueta. nei. trinoctiom. ocsorpatom. ierit. oesos. estod. i)*

(6) SEI. QVEI. ENDO. IOVRED. MANOM. CONSERONT. *vtreique. superstitibus. presentibus. vindicias. sumuntod. k)*

Mm 2 (7) *Sei-*

e) FESTVS in voc. *Nuncupata.* Confer. CICERO de Oratore lib. I. c. 57. Idem de officiis lib. 3. cap. 16. *f)* MODESTINVS l. 25. D. de statu liberis. POMPONIVS l. 29. §. vlt. d. t. *g)* Imperator §. 41. Instit. de rerum diuisione etc. *h)* CICERO in Topicis cap. 4. et in Orat. pro A. Caecinna c. 19. IVSTINIANVS in princ. Instit. de vsucapionibus etc. *i)* GELLIVS lib. 3. c. 2. Confer. MACROBIVS Saturn. lib. I. c. 3. *k)* GELLIVS lib. 20. c. 9.

(7) *Sei. quips. quem. leiberalei. causa. manu. adserat. Pretor. secondom. Leibertatem. vindicias. datod.* *l*)

(8) TICNOM. IONCTOM. AIDIBOS. VEINIAIVE. ET. CONCAPET. NEI. SOLVITOD. *Quei. ioncsit. duplioned. damnator. m*)

(9) *Ticna* QVANDOQVE. SARPTA. DONICOM. DEMTA. ERVNT. *vindicarier. ious. estod. n*)

(10) *Sei. Vir. molierei. repudiom. mitere. volet. causam. deicito. haromce. oinant. o*) - - - - - - - - - - - - - - - - -

(1) Quum aliquis fecerit *nexum*, i. e. propter aes alienum obligationem tradiderit, siue contractus qualescunque iniuerit cum aliis; *p*) vel etiam fecerit *mancipium*, i. e. rem mancipi abalienauerit, ac dominium istius per nexum in alios transtulerit: *q*) vti lingua *nuncupasit*, pro *nuncuparit*, vel *nuncupauerit*, i. e. nominauerit ac locutus erit, *r*) ita ius ratumque esto. Sin aliquis inficias ierit, pactumue cum altero initum seruare noluerit, duplum,

l) DIONYS. HALIC. lib. II. c. 34. LIVIVS lib. 3. c. 44. POMPONIVS §. 24. D. de origine Iuris. *m*) FESTVS in voce *Tignum*. IVSTINIANVS §. 29. Instit. de rerum diuis. et acq. ips. dom. Confer. l. 1. §. 1. D. de tigno iuncto. etc.

n) FESTVS in voc. *Sarptum*. *o*) PAVLVS IC. l. 98. §. vlt. D. de solutionibus et liberationibus. CICERO Philippica oratione 2. c. 28. vbi lectionem probamus: *Illam suam* sc. Mimam Antonius *suas res sibi habere iussit, ex XII. Tabulis causam addidit, exegit.* Alii: *ex XII. Tabulis claues ademit, exegit. etc.*

p) FESTVS in voce *Nexum*. *q*) Idem in voc. *Manceps*. VARRO de lingua Latina lib. 5. c. 8. ISIDORVS orig. l. 9. c. 4.

r) FESTVS in verbo *Nuncupare*.

plum, vt lueret poenam, praeſtato. (2) *Statu liber*, qui teſtamento, certa conditione propoſita, liber eſſe iubetur, *s*) ſi dederit redemtionis pretium domino, cui poſtea rurſum venditus erat, liber eſto: vt pro lubitu agere deinceps, atque commodis ſuis ſtudere poſſit. (3) Res vendita atque tradita emtori nullatenus acquiritor, *donicum*, i. e. donec, venditori aliqua ratione ſatisfactum fuerit. (4) *Oeſus Otoritas*, antique pro *Vſus Auctoritas*, *t*) ſiue vſucapio fundi atque bonorum immobilium intra biennium, ceterarum rerum, quas mobiles vocant, intra anni ſpatium rata habeatur. (5) Mulier, quae apud virum, matrimonii ergo, per vnius anni curriculum fuerit, niſi vſurpauerit, atque vinculum iſthoc interruptione trinoctii annihilauerit, vſucapta eſto. (6) Si qui in iure, coram Praetore, de aliqua re manus conſerunt, vterque litigantium; *ſuperſtitibus* ſiue teſtibus *v*) praeſentibus, vindicias ſumito. (7) Si quis liberali cauſſa, ſiue de alicuius libertate agat, Praetor vindicias ſemper ſecundum libertatem dato. (8) *Tignum*, ſeu quamlibet aliam materiam *x*) iunctam aedibus atque vineae, vnde *concapet*, ſiue concapita res accipit aliena et propria, compoſitis vtriuſque extremitatibus, *y*) nemo vindicare ac ſoluere debet. Sed qui ſuis ita res alienas iunxit, du-

 plo

s) Idem in his verbis. *t*) Sic quoque *Oetier* pro *vti* legebatur antiquitus et ſimilia. Vide Rogationem Silli P. et M. Tribuni PL. apud FESTVM in *publica pondera*. Confer. POPMA de vſu antiq. loc. lib. 1. c. 2. p. 10.

v) FESTVS in voc. *ſuperſtites*. *x*) CAIVS in l. 62. D. de V. S. IVSTINIANVS Imper. §. 29. Inſtit. de rer. diuiſ. et acq. ipſ. dom.

y) Vid. SCALIGER ad Feſtum in voc. *Tignum*. Confer. GRAVINA ad hanc legem. oper. pag. 215. Alii aliter ſentiunt.

plo damnator. (9) Tigna etiam quando *Sarpta*, i. e. purgata, vel ad ſuum vſum praeparata ſunt, z) vſque quo ad deſtinatum opus *demta* ſiue ablata fuerint, a iuſto Poſſeſſore vindicari ius eſto. (10) Si vir ab vxore ſua diuertere ac matrimonium diſſoluere geſtiat, cauſam aliquam diuortii dicito.

§. X.

De delictis eſt Tabula ſeptima, leges quo ſpectant, niſi me omnia fallunt, ſequentes: - - - -

(1) SEI. QVADRVPES. PAVPERI. EM. FACSIT. *Dominus. nocſai. aiſtimiam. obfertod. ſei. nolet. quod nocſit. datod.* a)

(2) *Sei. endoiouriad.* RVPITIAS. b) - - - - - - - - - - - - - -

Sei. caſu. SARCITOD. c)

(3) QVEI. FRVCES. ESCSANTASIT. d)

(4) *Quei. frucem. aratro. queſitam. fourtim. nocſ. pauit. ſecuitue. ſei. pubes. eſcit. ſuſpenſos. Cereſei. necator. Sei. impubes. eſcit. Pretoris. arbitratu. vesberator. nocſiamque. duplione. decernitod.* e)

(5) *Quei. pecu.* ENDO. ALIENO. IMPESCIT. f)

(6) *Quei.*

z) FESTVS in *Sarpta vinea*, a) IVSTINIANVS Imper. in princ. Inſtit. ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. VLPIANVS IC. §. 1. l. 1. D. h. t. b) FESTVS in *Rupitias*, c) Idem in verb. *Sarcito*. d) PLINIVS Hiſt. natur. lib. 28. c. 2. lib. 30. c. 1. SENECA natur. quaeſt. lib. 4. APVLEIVS in Apologia. AVGVSTINVS de ciuitate Dei lib. 8. c. 19.

e) PLINIVS Hiſt. Natur. lib. 18. c. 3. f) IVLIANVS in l. 14. §. vlt. D. de praeſcriptis verbis.

(6) *Quei. aides. aceruomque. froucmentei. ad. aides. positom. dolo. sciens. endocensit. vinctos. verberatosque. icnei. necator. Sei. imprudens. se. dolo. malo. damnom. duit. nocsiam. sarcitod. Sei. nec. idoneos. escit. leuius. casticator. g*)

(7) SEI. INIOVRIAM. ALTEREI. FACSIT. XXV. AIRIS. POINAI. SVNTOD. *h*)

(8) SEI. QVEI. PIPVLOD. OCENTASIT. CARMENVE. CONDISIT. QVOD. INFAMIAM. FACSIT. FLACITIOMQ. ALTEREI. *fuste. feritod. i*)

(9) SEI. MEMBROM. RVPSIT. NEI. CVM. EO. PACIT. TALIOD. ESTOD. *k*)

(10) SEI. OSVA. FRECIT. ECS. CENETALEI. LEIBEROD. CCC. SERVOD. CL. AIRIS. POINAI. SVNTOD. *l*)

(11) QVEI. SEIRIT. TESTARIER. LIBRIPENSVE. FVERIT. NEI. TESTIMONIOM. FARIATOR. IMPROBOS. INTESTABILISQ. ESTOD. *m*)

(12) *Quei. falsom. testimoniom. dicasit. saxo. Tarpeio. deicitor. n*)

(13) *Sei. quips. hemonem. loebesom. dolo. sciens. mortei. duit. etc. o*)

(14) QVEI.

---

g) CAIVS in l. 9. D. de incendio etc. *h*) GELLIVS lib. 20. c. 1.

i) CICERO lib. 4. de rep. apud AVGVSTINVM de ciuitate Dei lib. 2. c. 9. Confer. Idem Tusc. quaest. lib. 4. ab exord. HORATIVS serm. lib. 2. Satyr. 1. *k*) GELLIVS lib. 20. c. 1. FESTVS in voc. *Talio*. Confer. §. 7. Instit. de iniuriis. *l*) PAVLVS libro singulari et titulo de iniuriis, apud auctorem collat. legum Mosaic. tit. de atroci iniuria. 5. IVSTIN. Imper. §. 7. Instit. de iniuriis. GELLIVS lib. 20. c. 1.

m) GELLIVS lib. 15. c. 13. *n*) Idem lib. 20. c. 1.

o) Hanc legem regiam vide sis, cap. praec. §. 8. p. 229. seqq.

(14) QVEI. MALOM. CARMEN. INCANTASIT. MALOMQ. VENENOM. FACSIT: DVITVE. PARICEIDAD. ESTOD. *p*)

(15) QVEI. PARENTEM. NECASIT. CAPVT. OBNVBITOD. *colcoque. insutos. endo. profluentem. mercitor.* *q*)

(16) *Sei. Tutor. dolo. molo. cerat. vituperatod. quandoque. finita. tutelad. escit. fourtom. duplioned. luitod.* *r*)

(17) SEI. PATRONOS. CLIENTEI. FRAVDEM. FACSIT. SACER. ESTOD. *s*)

(1) Si *quadrupes*, seu genus quoduis pecorum, *t*) *pauperiem*, i. e. damnum *v*) fecerit, Dominus quadrupedis *noxae*, siue damni *x*) *aestimiam*, h. e. aestimationem, *y*) alteri satisfaciendum, offerto; sin nolit aliqua ratione damnum compensare, quod *noxit*, vel nocuit, animal suum tradito. (2) Si per iniuriam et lubens *rupitias*, i. e. damnum dederis, *z*) - - - - Sin casu fortuito et citra culpam alicui nocueris, *sarcito*, i. e. damnum soluito atque praestato. *a*) (3) Qui fruges alienas *excantasit*, i. e. excantauerit, vel magicis carminibus suo

p) PLINIVS Hist. nat. lib. 28. c. 2. Confer. l. 236. D. de V. S.

q) CORNIFICIVS rhetor. ad Herenn. lib. 1. cap. 13. de confirm. et confut. Confer. VALERIVS MAX. lib. 1. c. 1. exempl. 13. FESTVS in voc. *Nuptias*. MODESTINVS in l. 9. D. de parricid.

r) CICERO de officiis lib. 3. cap. 15. TRYPHONINVS in l. 55. §. 1. D. de administ. et peric. Tut. VLPIANVS in l. 1. §. 2. de susp. Tutor. IVSTIN. in princip. Instit. h. t. *s*) SERVIVS in comment. ad Virgil. Aeneid. lib. 6. vers. 604. *t*) §. 1. Instit. de lege Aquilia. *v*) FESTVS in voc. *Pauperies*. Imper. in princ. Instit. si quadrupes etc. *x*) FESTVS in voc. *Noxa*. *y*) Idem in hac voce.

z) Idem in *Rupitias*. *a*) Idem in verb. *Sarcito*.

ſuo loco tranſtulerit ac diabolicis artibus, quin creſcere queant, obligauerit, - - - - - - -
(4) Qui frugem, ab alio quodam laborioſe, dum coleret agros, quaeſitam, furtim noctu *pauit*, vel immaturam percuſſit, *b*) *ſecuitue*, vel maturam falce deputauit meſſuitque; ſi pubes et maiorennis eſt, Cereri ſacer ac deuotus de arbore infelici ſuſpenditor; impubes vero, ſecundum cognitionem rei atque iudicis ſententiam verberator, et damnum, quod dedit, duplo reſarcito. (5) Qui *pecu*, quod in caſu recto veteres dicebant, hodie nobis *pecus*. *c*) ſeu quoduis animal in alterius fundum *impeſcit*, *d*) i. e. paſcendi gratia immiſerit, - -
(6) Qui aedes aceruumque frumenti, ad aedes poſitum, ſciens atque dolo incenderit, vinctus verberatusque Igni ſacer necator; ſi vero *imprudens*, h. e. inſcius, ſine dolo malo, caſu fortuito vel negligentia damnum dederit, iſtud reſarcito. Sin minus ad hoc idoneus fuerit, leuius caſtigator. (7) Si quis minorem iniuriam re aut verbis alteri fecerit, xxv. aſſibus multator. (8) Si quis *pipulo occentauerit*, i. e. conuicium fecerit, *e*) carmenue condiderit ad infamiam et iniuriam *f*) alicuius, ad internecionem fuſte feriatur. (9) Si membrum ruperit alteri, neque voluerit cum eo paciſci, *talio eſto*, h. e. idem ipſi membrum rumpere liceat illi, quem iniuria ante affecerat. (10) Si oſſa fregit ex genitali, ſiue dentem ex gingi-

Nn ua ex-

b) Idem in h. v. *c*) FESTVS in *pecu*.

d) Idem in verbo *impeſcere*. *e*) FESTVS in voc. *Pipatio*. Conf. NONIVS MARCELLVS c. 2. n. 676.

f) *Flagitium* ſenſu latiori pro quouis ſcelere, vitio maiori et iniuria ſumitur. vid. GELLIVS l. 1. c. 17.

ua excussit, homini libero, trecentis, seruo, centum et quinquaginta assibus multator. (11) Qui se sirit, vel siuerit testari, h. e. in actu aliquo rogatus testis, libripensue adfuerit, si postea testimonium profiteri nolit, improbus intestabilisque esto, vt neque deinceps in testimonium admittatur, neque ipsi vice versa ab aliis testimonium dicatur. (12) Qui falsum testimonium dixerit, praeceps e Capitolio et saxo Trapeio darier, ius esto. (13) Lex Regia de non occidendo homine libero capite praecedenti sufficienter a nobis exposita videtur. (14 Qui carmine magico et huius furfuris incantationibus aliquem defixerit, aut malum venenum alicui fecerit dederitue, paricida declaratus poena capitali et vltimo supplicio afficiatur. (15) Qui parentem enecauerit, *caput obnubito*, i. e. circumtegito fasciis inuolutum, et insutus *culeo*, siue coriaceo sacco, in profluentem fluuium, aut quodlibet stagnum, abiiciatur ac submersus pereat. (16) Si Tutor officium atque munus tutelae sibi oblatum dolo malo gerat, in detrimentum pupilli, *vituperato*, i. e. cuiuis suspectus et infamis esto, et finita tutela, pro furto, duplum praestato. (17) Si Patronus defraudasset clientem, bona fide ipsi commissum, quo tutus ab iniuria et vi aliorum persisteret: *sacer esto*, i.e. Plutoni deuotus et execrabilis a quolibet impune occidatur.

§. XI.

Istam de delictis excipit Tabula octaua de iuribus praediorum. Et eo pertinent leges quae sequuntur.

(1) AMBITOS. PARIETEIS. SECSTERTIOS. PES. ESTOD. g) (2) *Soda.*

g) VARRO de lingua Latina lib. 4. c. 4 VOLVSIVS MAECIANVS in distribut. ad Censorem. Confer. BRISSONIVS select. ex iure ciuili antiq. lib. 1. c. 2. IAC. GOTHOFREDVS ad hanc leg. in quat. font. iuris ciuilis lib. 3. p. 330.

(2) *Sodales. lecem. quam. volent. dumne. quid. eos. publica. conrompant. fibei. feruntod.* b)

- - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - -

(3) *Interea. V. pedeis. vſucapio. nec. eſtod.* i)

(4) *Sei. iourcant. Adfines. finibus. recondeis. Pretor. arbitros. tris. adeicitod.* k) - - - - - -

- - - - HORTVS. *l*) - - - -

- - - - HEREDIOM. *m*) - - - -

- - - - TVCVRIOM. *n*) - - - -

(5) *Sei. Arbos. endo. vicinei. fundom. endopendet. XV. pedibus. altius. ſublucator.* o)

(6) *Sei. clans. endo. cnem. caduca. fiet. Domino. lecere. ious. eſtod.* p)

(7) SEI. AQVA. PLVVIA. NOCET. *Pretor. arcendai. aquai. Arbitros. tris. adeicitod.* NOCSAIQ. DOMINO. CAVETOR. *q*)

(8) *Veiarom. endo. poreƈtod. VIII. pedes. ſuntod. endo. amfraƈtod. XVI. pedes. ſuntod.* r)

(9) *Amſecetes. veiam. muniuntod. ſei. endomunita. fiet. qua. volet. ioumentom. acitod.* s)

Nn 2 (1) *Am-*

b) Vid. l. vlt. C. de colleg. et corp. *i*) CICERO de legibus lib. 1. c. 21.

k) Idem de legibus l. 1. c. 21. et de Rep. lib. 4. apud NONIVM MARCELLVM cap. 5. n 34. *l*) PLINIVS hiſt. natur. lib. 19. c. 4.

m) PLINIVS l. c. *n*) Vid. FESTVS in hac voce. POMPONIVS in l. 180. D. de V. S. *o*) VLPIANVS in l. 1. §. vlt. D. de arb. caed.

p) PLINIVS hiſt. natur. lib. 16. c. 5.

q) Vid. l. 21. D. de ſtatu lib. et l. 5. D. ne quid in loc. publ. CICERO in Topicis cap. 9.

r) Vid. l. 8. D. de ſeruit. ruſt. praedior. VARRO de LL. lib. 6. c. 2.

s) CICERO in Orat. pro Caecinna cap. 19.

(1) *Ambitus parietis*, i. e. circuitus aedificii, *t*) siue spatium circumeundi gratia, inter vicinorum domus vacuum *sestertius*, i. e. duo pedes atque semis esto. Sestertius enim quartam denarii partem, siue duos asses cum semisse continet. (2) *Sodales*, siue certi alicuius collegii membra, *v*) legem quamcunque volunt inter se ferunto, dummodo nihil Patriae legibus atque publico contrarietur. (3) Inter agros confines spatium quinque pedum relinquitor vacuum, quo praedia sua circumire, atque aratrum vertere vterque Dominus possit. Et hoc vsucapere nemini vnquam licet. Si de finibus disceptant inter se vicini, Praetor, siue iudex, ad dirimendam eiusmodi litem, tres arbitros dato. (5) Si arbor in vicini fundum impendit, xv. pedibus altius *sublucator*, i. e. ramos arboris supputato, *x*) atque lucem veluti subtus mittito. (6) Si *glans*, i. e. cuiuslibet arboris fructus, *y*) in *emem*, i. e. eundem sc. fundum *caduca*, siue prolapsura sit, *z*) domino et possessori arboris, qua de fructus cecidit, legere *a*) et auferre ius esto. (7) Si aqua pluuia, quae de coelo veniens crescit imbri, opere manufacto, nocet alteri, Praetor ad arcendam eam, tres arbitros dato, ipsique ne damnum inde proueniat, caueto. (8) Viarum latitudo in *porrecto*, vbi in longitudinem sese ad eandem normam recta linea porrigit, octo pedum, in *amfracto*, seu vbi curuatur, et quasi circumfrangitur in ambitum, sedecim pedum esto. (9) *Amsegetes*, quorum ager viam tangit, *b*) istam muniunto, sin immunitam reliquerint viam suumque

t) VARRO de LL. lib. 4. c. 4. FESTVS in voce *Ambitus*. ISIDORVS Orig. lib. 15. c. 16. *v*) FESTVS in hac voce. *x*) FESTVS in h. v. Confer. l. 1. §. 7. de arb. caed. *y*) Vid. l. 236. D. de V. S. *z*) l. 30. D. de V. S *a*) l. vnica D. de glund. leg. *b*) FESTVS in hac voce.

que agrum, vbicunque volet aliquis, iumentum agere poteſt.

§. XII.

Fragmenta ex Tabula nona de iure publico haec ſunt: - - - - - - - - - -

(1) PREIVILECIAD. NEI. ENDOROCANTOD. *c*)

(2) FORCTEI. SANATEIQ. SIREMPS. IOVS. ESTOD. *d*)

(3) *Sei. ioudecs Arbiterue. ioure. datos. ob. rem. deicundam. pecuniom. adcepſit. capital. eſtod. e*)

(4) DE. CAPITE. CIVEIS. NEISEI. PER. MAXVMOM. COMEITIATOM. NEI. FERVNTOD. *f*)

(5) *Queſtores. pariceidei. quei. de. rebus. capitalibus. querant. af. poplod. creantor. g*)

(6) *Sei. quei. endo. vrbe. coitus. nocturnos. acitaſit. capital. eſtod. h*)

(7) *Sei. quei. perduelem. concitaſit. ciuemque. perducleí. tranſduit. capital. eſtod. i*) - - - -

(1) ***Priuilegia***, ſeu leges in *priuos*, i. e. ſingulos homines, *k*) ne *irroganto*, ſiue in alicuius odium fraudemue roganto. (2) *Forctei*, et variante dialecto *Horctei*, atque *Forti*, i. e. ciui bono, frugi atque valido, *l*) *ſanatique*,

 h. c.

c) CICERO in oratione pro domo ſua ad Pontifices cap. 17. Pro Seſtio cap. 30. et lib. 3. de legibus cap. 4. et 19.

d) FESTVS in voc. *Sanates*. *e*) GELLIVS lib. 20. c. 1.

f) CICERO in orat. pro P. Seſtio c. 30. et lib. 3. de legibus c. 4. et 19.

g) POMPONIVS in l. 2. §. 16. et 22. D. de origine Iuris. FESTVS in v. *Quaeſtores*. *h*) PORCIVS LATRO declam. in Catilinam.

i) MARCIANVS in l. 3. D. ad l. iuliam maieſt. *k*) GELLIVS lib. 10. c. 20. *l*) FESTVS in voc. *Fortis* et *Horctum*.

h. e. rebelli, qui ſanata veluti mente ad amicitiam et obſequium rediit, *m*) *Siremps*, i. e. ſimile atque idem *n*) Ius eſto. (3) Si iudex arbiterue iure, h. e. a ſuperiori magiſtratu datus, ob rem dicendam atque litem in huius vel illius fauorem decidendam, pecuniam et quaeuis alia dona acceperit, *capital eſto*, ſiue capite poenam luito. (4) *De capite ciuis*, h. e. de vita, libertate, ciuitate, familia etc. alicui adimenda, nihil niſi per maximum comitiatum, ſiue in centuriatis comitiis decernito. (5) Quaeſtores paricidii, ſiue iudices rerum capitalium a populo creantor. (6) Si quis in vrbe coetus conuentusque nocturnos agitauerit, capite luito. (7) Si quis perduelem, i. e. hoſtem, quocum intereſt bellum geratur, *o*) vel eiuſmodi aliquem concitauerit, atque ciuem illi tradiderit, vltimo ſupplicio afficiatur.

§. XIII.

Porro ſancitum fuit Tabula decima de iure ſacro:

(1) *Iouris. iourandei. ad. ſtrincendam. fidem. macſuma. vis. eſtod. p*)

(2) *Sacra. priuata. perpetua. manentod. q*)

(3) HEMONEM. MORTVOM. ENDO. VRBED. NEI. SEPELITOD. NEIVE. VRITOD. *r*)

(4) SVMTOS. LVCTOMQ. AF. DEOROM. MANIOM. IOVRED. REMOVETOD. *s*)

(5) HOC. PLOVS. NEI. FACITOD. *t*)

(6) ROCOM.

m) Idem in hac voce. *n*) FESTVS in h. v. *o*) CICERO de offic. lib. 1. cap. 12. de iuſtitia. VARRO de lingua Latina lib. 4. c. 1. FESTVS in voc. *duellum* et *hoſtis*. CAIVS in l. 234. D. de verb. ſign.

p) CICERO de offic. lib. 3. c. 31. GELLIVS lib. 7. c. 18.

q) CICERO in orat. pro Muraena c. 12. et lib. 2. de legibus c. 9. et 19.

r) Idem de legibus lib. 2. c. 23. *s*) Ibid. *t*) Ibid.

(6) ROCOM. ASCIAD. NEI. POLEITOD. *v*)

(7) *Tribus. Reicinieis. et. vincoleis. porporai. et. X. Tibicinibus. foris. ecfere. ious. estod.* *x*)

(8) MOLIERES. FACIEM. NEI. CARPVNTOD. NEIVE. CENAS. RADVNTOD. NEIVE. LESOM. FONERIS. ERCOD. HABENTOD. *y*)

(9) HEMONEI. MORTVOD. OSVA. NEI. LECITOD. QVO. POST. FONOS. FACIAT. *extera. quam. sei. belei. endoue. hostico. mortuos. escit.* *z*)

(10) SERVILIS. VNCTVRAD. OMNEISQ. CIRCOMPOTATIO. TOLITOR. *a*)

(11) MVRATA. POTIO. HEMONEI. MORTVO. NEI. ENDODATOR. NEIVE ROCOM. VEINO. RESPERCITOD. *b*)

(12) NEI. LONCAI. CORONAI. NEIVE. ACERAI. PREFERVNTOR. *c*)

(13) QVEI. CORONAM. PARET. IPSEIVS. PECVNIAIVE. EIIVS. ERCOD. ADVITOR. ET. IPSEI. MORTVO. PARENTIBVSQ. EIIVS. DVM. INTVS. POSITOS. ESCIT. FORISVE. ECFERTVR. SED. FRAVDED. ENDOPOSITAD. ESTOD. *d*)

(14) *Oinei.*

---

v) Ibid. *x*) Ibid. *y*) CICERO l. c. et SERVIVS in explanatione verborum: *Roseas laniata genas.* Apud Virgilium Aeneid. lib. 12. PLINIVS hist. nat. lib. 11. c. 37. FESTVS in verb. *radere.*
z) CICERO de legibus lib. 2. c. 24. *a*) Idem l. c. *b*) FESTVS in voc. *murata.* PLINIVS hist. natur. lib. 14. c 12. CICERO de legibus lib. 2. cap. 24. *c*) CICERO l. c. *d*) Ibid. PLINIVS hist. natur. lib. 21. c. 3.

(14) *Oinei. plousa. fonera. nei facitod. neiue. plouses. lectos. sternitod. e)*

(15) NEIVE. AVSOM. ADITOD. AST. QVOI. AVSO. DENTEIS. VINCTEI. ESCINT. IM. COM. OLO. SEPELIRE. VREREVE. SED. FRAVDED. ESTOD. *f*)

(16) *Rocom. bustomue. nouom. propius. LX. pedes. aidis. alienas. sei. dominus. nolet. nei. adicitod. g)*

(17) *Forei. busteiue aiuiternad. otoritas. estod. h)*

(18) *Quom. fonus. ecfertur. nei. encomeitiatod. i)* - -

\- - - - - - - - - - -

(1) Iusiurandum maxime valeat ad faciendam rei alicuius fidem. (2) Si familia quaedam ad singularem suorum religionem sacra priuata assumsisset, heredes atque posteri eadem perpetuo seruanto. (3) Hominem mortuum in vrbe neque sepelito, neque vrito. (4) Sumtus luctumque a *Deorum Manium Iure*, i. e. mortuorum sepultura remoueto: funera ne facias lamentabilia et sumtuosa. (5) Hoc de mortuis efferendis statuto plus ne facito. (6) Rogum ascia ne polito; siue ad pyram rogumue comburendo cadaueri extructum ligna non dolata, sed rudia adhibito. (7) Quando corpus exanimatum componitur domi, atque foris effertur, tres tantummodo mulieres indutas *riciniis*, *k*) capite operto, lugere, ipsumque cadauer vinculis, i. e. fasciis purpureis inuolui, et decem tibicinibus ad summum exequias procedere, ius esto. (8) Mulieres luctus gratia nunquam carpunto faciem, vt squalore multo et horribili aspectu appareant vulgo; neque genas radun-

e) CICERO l. c. *f*) Ibid. *g*) Ibid. *h*) Ibid. et in Philippica oratione 9. cap. 6. *i*) VICTORINVS de Orthographia.
k) FESTVS in hac voce.

radunto, seu partem vultus lanianto et vnguibus laceranto, vt sanguine et vulnere deformes Inferis satisfacere videantur; neque propter defunctos lugubrem eiulationem fletusque habento. (9) Homini mortuo ossa ne legito, i. e. membra ex cadauere ne adimito; propter quae postea, in alium locum translata, funus sumtusque iterentur: exceptis tamen iis, qui in bello et peregre exspirauerint. (10) Quando seruus diem obiit supremum, neque vnctura, neque circumpotatio, seu cuiusuis generis epulae in exequiis adhibentor. (11) Cadaueri iam comburendo ne infundito *muratam potionem*, i. e. vinum optimum, *l*) neque rogum isto aliisue liquoribus pretiosissimis respergito. (12) Neque longae, et in altum porrectae, istis rotundis nobiliores, coronae, neque *acerrae*, seu arculae thurariae *m*) praeferuntor. (13) Qui coronam sua aduersus hostem virtute in bello, in certaminibus publicis ludisue victor accepit ipse propria manu; vel eius *pecunia*, seruis, equis, quadrigis ceterisque facultatibus; *n*) quando vitam cum morte postea commutauerit, eadem ipsi additor, atque etiam, si volent, parentibus eius: quamdiu cadauera in aedibus seruantur feretris posita, atque foras efferuntur. (14) Vni plura ne facito funera, neque plures vni lectos sternito. (15) Aurum defunctis nunquam addito. At cui in vita dentes auro vincti fuerint, eum sepelire urereue cum illo iuncto membris auro suo impune possunt. (16) Ne quis rogum sepulchrumue alienis aedibus, inscio vel inuito Domino, LX. pedes propius admoueat. (17) *Forum*, h. e. vestibulum

Oo sepul-

l) FESTVS in hac voce. *m*) Idem in hac voce.
n) Vid. L. 178. et 222. D. de V. S.

sepulchri *o*) bustumue ac ipsum sepulchrum vsucapere nullo modo licet. (18) Quoties honoratorum funera efferuntur, comitia nulla celebrantor.

§. XIV.

Leges quinque priorum Tabularum supplentur vndecimae statutis:

(1) IOVSOS. POPLEI. SOFRACIAQ. SVNTOD. QVOD. POSTREMOM. POPLOS. IOVSIT. ID. IOVS. RATOMQ. ESTOD. *p*)

(2) *Patribos. com. plebed. conubiei. ious. nec. estod. q*)

Cetera desiderantur. Voluerunt (1) potestatem esse coram populo sanciendi leges, creandi magistratus, capitis damnandi reos etc.. Quodque postremo *iusserit*, seu decreuerit *r*) populus, *s*) id pro iure ac rato habeatur: atque adeo leges posteriores omnimodo potiores sint prioribus. (2) Patricii inter atque plebeii ordinis homines matrimonia prohibentur.

§. XV.

Colophonem denique legibus addit haec duodecima Tabula, ceu quoddam quinque posteriorum istarum supple-

o) CICERO de legibus lib. 2. cap. 24. FESTVS in hac voce.
p) LIVIVS Hist. lib. 7. c. 17. lib. 9. c. 33. et 34.
q) DIONYSIVS HALIC. Rom. Antiq. lib. 10. c. 13. et lib. 11. c. 6. LIVIVS Hist. Rom. lib. 4. ab. init.
r) FESTVS in verb. *iubere*. *s*) Inde Auctor rhetoric. ad Herennium lib. 2. c. 13. *Lege ius est id, quod populi iussu sancitum est.* Et vulgo nota est S. P. Q. R. formula ad status vtriusque parem in rebus maximi momenti potestatem demonstrandam.

supplementum. Ex qua vero itidem nobis paucissima supersunt. - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - -

(1) *Sei. quei. de. qua. Stlis. fiet. endo. sacrom. delicasit. duplioned. poinam. luitod.* t)

(2) SEI. VINDICIAM. FALSAM. TVLIT. PRETOR. REEI. SIVE. STLITIS. ARBITROS. TRIS. DATOD. EOROM. ARBITRIOD. FRVCTEI. DVPLIONED. DECIDITOD. v)

(3) SEI. SERVOS. SCIENTE. DOMINO. FOVRTOM. FACSIT. NOCSIAMVE. NOCSIT. NOCSAI. DEDITOD. x)

(1) Si quis rem mobilem siue immobilem, qua de controuersia est atque litis facta contestatio, in *sacrum delicasit*, y) vel dedicauerit, h. e. sempiterna religione obligatam consecrauerit; dupli poena multator. (2) Si quis mala fide possessionem acceperit, Praetor, siue iudex, ad causam definiendam, tres arbitros dato: quorum arbitrio, reus illos adhuc nullo iure perceptos fructus in duplum praestato. (3) Si seruus aliquis, sciente Domino, furatus sit, vel damnum alicui dederit, pro furto vel damno eum Dominus alteri tradito. Hactenus, quanta quidem fieri potuit, cum breuissima interpretatione XII. Tabu-

t) CAIVS lib. 6. ad leges XII. Tab. in l. vlt. D. de litigiosis.

v) FESTVS in v. *Vindiciae*. x) IVSTINIANVS Imperator. §. 4. Instit. de noxalibus actionibus. Et VLPIANVS in l. 2. §. 1. D. hoc titulo. y) Veteres haud raro D. pro L. scribebant: ita *Dacrimas* pro *lacrimas*; *Dautia* pro *lautia*. FESTVS in voc. *Dacrima*. Vicissim ponere solebant L. pro litera D. vt in *delicare* pro *dedicare*. Hinc *delicata* dicuntur Diis consecrata, quae nunc *dedicata*. Idem in verbo *Delicare*.

Tabulas propoſuimus. Id ſolummodo viſum eſt, priuſquam ad cetera progredimur, notare inſuper, quod poſt MARCILIVM ipſe quoque RITTERSHVSIVS obſeruauit, z) *Oſcas leges* a) dictas fuiſſe, non *ſacratas*, ſed potius memoratas duarum poſteriorum Tabularum leges. Eas videlicet tanquam in ſe iniquiores, et quaſi in optimatum fauorem latas, b) ordo plebeius auerſabatur vſque quaque, et *Oſcas*, ſiue inimicas contemtim appellabat. Oſci namque in Italia non ſolum ſermone barbaro et longiſſime ab Romanorum lingua diſtante, quod vidimus dudum in pertractationis huius initio, vtebantur: verum etiam moribus agreſtes atque ſpurci, iniquis plurimum et hoſtilibus in Romanos animis fuere. Dantur, qui non *oſcas*, ſed *oſcitas*, quaſi *aſcitas* aliunde ac velut tranſmarinas ex Graecia petitas, leges duarum poſteriorum Tabularum dictas fuiſſe putant. c) Ita vero non ſolum iſtae, ſed omnes pari modo XII. Tab. leges aſcitae vocitandae fuiſſent. Quod nullibi obuenit, ac ipſo fundamento ſuo deſtitutum vacillat.

§. XVI.

Praeter haec, ſuis Tabulis ab nobis hactenus propoſita, legum fragmenta, commonſtrantur a nonnullis etiam alia, quae minus caute ex MARCI TVLLII de legibus libris collegerunt. Atque illa ipſa meruere tandem, eo nomine, in aliquibus Ciceronis editionibus ad marginem

z) Dodecadeltos proleg. c. 4. a) Apud FESTVM in v. *Oſcum.*

b) Id clariſſime patet vel ex vnica lege de matrimonio Patricios inter atque Plebeios non ineundo. Hinc aliquando diſſenſus, aliquando vis atque ſtuprum, denique ipſius populi ſeceſſio prouenit. Confer. plur. DIONYSIVS lib. 11. LIVIVS lib. 3. c) DION. GOTHOFREDVS in notis ad Feſtum, corp. auct. LL p. 1774.

ginem notari, imo ad calcem corporis Iuris ciuilis adiici, in illis ſaltem editionibus nouiſſimis. Quo iure, quaue iniuria, me penitus latet. Hoc certe conſtat, XII. Tabularum iſta nunquam fuiſſe. Quod non ſolum diuerſus ſtilus, qui plurimum a terſa recentiori nitidaque Latinitate ne latum quidem vnguem recedit; verum ipſe etiam Ciceronis ſcopus aperte reclamat: qui minime gentium heic quidem propoſuit ſibi, totas legum Decemuiralium exſcribere paginas, quod nullibi confitetur; ſed exemplo potius iſtarum Platonicarum ibi ſuas leges proprio inſtinctu confinxit. Atqui hoc ipſum ille clariſſimis indicare, nemo non videt, vbi poſt aliquod fragmentum *d*) ſub Quinti perſona, *Neque Lycurgi leges*, inquit, *neque Solonis, neque Charondae, neque Zaleuci, nec noſtras XII. Tabulas, nec plebiſcita deſidero: Sed te exiſtimo, cum populis, tum etiam ſingulis hodierno ſermone leges viuendi et diſciplinam daturum eſſe.* Et Marcus reſpondet: *Eſt huius vero diſputationis, Quinte, proprium, quod expectas. etc.* Nec vllibi ipſe, nedum quando leges iſtas, quas vt fragmenta XII. Tabularum exſcripſerunt, libro ſecundo expromit: *Ad Diuos adeunto caſte*, ac deinceps; tum libro tertio, a verbis, *Iuſta Imperia ſunto*, etc. dixit omnes, quas dare velit, ex XII. hauſiſſe. Quod etiam DIONYSIVS GOTHOFREDVS agnouit, noſtramque ſtabiliendum ſententiam, Ciceronis teſtimonium adduxit; quemadmodum in notis ipſius ad commemorata fragmenta ſtatim ab initio videre licet. Haud diffitemur quidem, multas legum ex XII. ſententias, propter ſummam aequitatem, quam in ſe continebant iſtae, ex intima Philoſo-

Oo 3 phia

d) CICERO de legibus lib. I. cap. 22.

phia ductam, in his etiam Ciceronis de legibus libris comprehendi, vt sunt verb. gr. libro secundo: *Si in ius vocet atque eat. Hominem mortuum in vrbe ne sepelito neue vrito. Hoc plus ne facito. Rogum ascia ne polito. Homini mortuo ne ossa legito.* Aliae. *Mulieres genas ne radunto.* etc. Verum expresse tunc etiam ait, leges ita se in XII. habere: sicut in allatis exemplis clarissime et facili negotio vnusquisque obseruare poterit, modo ipsum adire Ciceronem, et paulo accuratius loca citata secum examinare velit. Quare hoc modo passim notatae leges, vtpote circa quas nulla nobis controuersia remanet, nostris quoque fragmentis, absque vlteriori scrutinio inseruntur. Insuper alia ex variis variorum scriptis compilata, et secundum ordinem pandectarum disposita nobis exhibent. Veruntamen in istis rursum nulla antiquitatis vestigia reperimus: ceu vbi vix ac ne vix quidem statas leges, multo minus ipsa, quibus olim compositae fuerunt, verba, tandem, vt paucissimis absoluamus omnia, nil nisi ex interpretum ingenio obscuriores sententias, et si quid minoris momenti, habent.

§. XVII.

Sed quaerere non nemo, nec absque ratione posset, num ergo vulgare, quod a nobis modo exhibitum est, legum antiquissimarum exemplar adeo genuinum sit, vt nihil prorsus in isto perspiciatur, quod manum recentiorem, atque adeo suspectam sermonis minimum scriptionem redoleat. Id quod nego et pernego. Sunt in illis quidem, ab eruditissimis post renatas elegantiores literas summo studio et industria collectis, legum fragmentis, extra omne dubium, pristina verba passim; sunt rationes loquendi passim, quae insignem nec facile reiiciendam

dam vetuſtatem ſapiunt; ſunt, at quis non videt? in illis, vtut mutilae, neutiquam tamen neglectae ſententiae, et ſi quae alia ad nos peruenerunt, ordine ſuo quaequae et ſolicite diſpoſita. Sed multa in iſtis etiam, inficias ire nolim, obſcura, interpolata et commentitia reperiuntur. Quamuis ea quoque cum IACOBO GOTHOFREDO, aliisque ſummi iudicii interpretibus, quantum quidem in nobis fuit, diſtingui a veris, ac non niſi eum in finem adiici curauimus, quam vt ex indubitatis atque genuinis vna cum ſuppoſititiis, integer ſenſus arrideat. Quod ad ſcriptionem attinet, non potuimus non exterminare literas, quas vel inter legendum, hoc tempore minime gentium vſitatas, imo ne quidem inuentas fuiſſe, obſeruauimus: ea licentia, quam alii ſibi datam eſſe putarunt: vt vere vt petulanter, cuilibet in hoc ſtudiorum genere, vel mediocriter docto, iudicandum relinquimus.

§. XVIII.

Quoquo modo res ſeſe habeat, etiamſi parum vel nihil ex iſtis (quod tamen audacter nemo dixerit, ni forſan in omni ſcientia politiori hoſpes, ac proin ſtudiis maxime inuiſus) vere de ſtilo huius aeui et loquendi modo affirmare, nedum probare valeremus. Hoc ſaltem vel tuto aliquis iurare poterit, linguam Latinam ſeculo adhuc iſto, et in noſtris Tabulis ſatis rudem, minusue cultam et ſubobſcuram fuiſſe: quas proinde nulla iniuria, ob duritiem et difficultatem, et ſermonis inuſitati frequentiam, ad puerilem, balbutientem, et tantum non barbaram, Latinitatis aetatem referre inſtituimus. Audiamus, qui fidem merentur longe maximam, teſtes oculatos, et ipſarum, cum adhuc integrae eſſent, Tabularum inſpe-

ctores

ctores haud infrequentes. *e*) Sext Aelius et L. Acilius, *f*) veteres XII. Tab. interpretes, ipsi aliquando in verbis haesitarunt inscii, quidnam ea sibi vellent; Ita ex. gr. LESOM, *lessum* funeris ergo non habendum, *non satis intelligere se dixerunt*; *sed suspicari*, *vestimenti aliquod genus funebris* etc. Sic quoque Phauorinus *g*) conqueritur, multa in legibus nostris tam obscura fuisse, vt vix quisquam ea posset interpretari. Et alius Iurisperitus, *h*) rogatus, vt interpretationem daret vocis *proletarius*, *ego*, inquit, *hoc dicere atque interpretari deberem*, *si ius Faunorum et Aboriginum didicissem*. Quare HORATIVS, *i*) vbi data opera nimios antiquitatis admiratores, atque stultos in oratione sua prisci sermonis affectatores, insectatur,

> - - - *Nisi*, inquit, *quae terris semota suisque*
> *Temporibus defuncta videt, fastidit et odit.*
> *Sic fautor veterum, vt Tabulas peccare vetantes,*
> *Quas bisquinque viri sanxerunt, foedera Regum*
> *Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,*
> *Pontificum libros, annosa volumina vatum,*
> *Dictitet Albano, Musas in monte loquutas.*

Pari

e) Quonam tempore, vel quo casu XII. Tabulae abolitae et disiectae interierint, num incendio, an turbine, an alia tempestate, non satis compertum habetur. Sed tamen, nec absque ratione, CVNRADO RITTERSHVSIO Dodecadeltos proleg. cap. 5. p. 13. credibile fit, illis temporibus, quibus *Gothi*, in Italiam irrumpentes, omnia incendiis ac direptionibus vastarunt, tandem verissimum hunc Latinitatis atque iuris antiqui thesaurum perditum fuisse. *f*) Apud CICERONEM de legibus lib. 2. c. 23. *g*) Apud A. GELLIVM noct. Attic. lib. 20. c. 1. *h*) Ibid. lib. 16. c. 10. *i*) Lib. 2. epist. 1.

Pari modo SENECA: *k*) *Multi ex alieno ſeculo petunt verba; vt XII. Tabulae loquuntur.* Et SYMMACHVS: *l*) *Si tibi vetuſtatis tantus eſt amor, pari ſtudio in verba priſca redeamus, quibus Salii canunt, et Augures auem conſulunt, et X. Viri tabulas condiderunt. Iam dudum his renunciatum eſt, et ſucceſſio temporum placita priora mutauit.*

CAP. V.

De ſtatu Latinae linguae puerili, tempore belli Punici primi et deinceps, ex tabula roſtrata et alia L. Scipionis dilucidato.

§. I.

Tabula Roſtrata exhibetur cum Petri Ciacconii ſupplemento, et lectionibus aliorum variis. 2. *Quare in illa Duilius dicatur Bilios.* 3. *Probatur porro ex ea, O literam pro E olim vſurpatam fuiſſe.* 4. *O pro V.* 5. *C pro G litera nouiter inuenta ab Spurio Caruilio, quodam ludimagiſtro.* 6. *EI pro E et I.* 7. *E pro I.* 8. *V pro I.* 9. *OE pro V poſitum, et in fine D. literam vocibus terminatis vocali plurimum adiectam fuiſſe.* 10. *Literas in eadem voce nunquam duplicaſſe.* 11. *Verba ſaepe contraxiſſe, compendii cauſſa.* 12. *Quid Lucabos.* 13. *Quid graue aes ſignificet.* 14. *Tabula L. Scipionis illuſtratur, et praeter illa hactenus deducta, OI pro OE atque V, ſed*

k) Epiſt. 114. ad Lucilium. *l*) Lib. 3. epiſt. 44.

AI, more Graecorum, pro AE scriptitatas habuisse diphtongos, etc. ex eadem commonstratur. 15. *Cuius denique, vt et illius Tabulae, quam ab rostris nauium ibi appensis Rostratam vocamus, fides stabilitur: vt rudis LL. status erui ex illis nulla iniuria possit.*

§. I.

Decemuiros in legibus XII. Tabularum hactenus prolixe, vt omnibus facile patet, lingua satis rudi et subobscura, audiuimus loquentes: vsque adeo, vt peritissimi interpretes quaedam assequi eorum non nisi multo labore et aegerrime potuerint. Nec quicquam posthac ad vsque bellum primum et vltra, imo vero ad secundum, quod aduersus Carthaginem Romani gesserunt, atque Punicum dictitarunt, bellum, linguam nostram profecisse; verum etiam declinasse potius, et quotidie in peius abiisse, quae sequuntur, clarissime docent. Obuenit tandem nobis certissimum et, vt verum fatear, antiquissimum Latinitatis monumentum, ex quo vel vnice illius aetatis loquendi scribendique rationem, criticorum quotquot sunt, postliminio restituere ac probare solent. Ad huius adeoque normam, tum leges regias, tum decemuirales, supra nobis recensitas, describere et emendare non dubitauimus. Isthoc c. xc. annis post confectas XII. Tabulas, ab v. c. cccc. xciii. mundi miii. dcc. v. Bello Punico primo, *C. Duilii*, vel, prout CICERO †) eum vocat, *Duelli*, Romani Consulis, memoriae dicatum

†) Oratore cap. 45. de natura Deorum l. 2. c. 66.

tum erectumque fuit: *a*) quod nauali proelio, maxima cum laude a Carthaginiensibus victoriam reportauerat. *b*) Et haec est *columna* satis illa famosa atque celebris, quae vulgo *Rostrata* ab nauium rostris nominatur, quibus exornata fuit. †) Peculiare istius columnae fatum exitiumque LIVIVS *c*) in hunc verborum sensum commemorat: *In suspensa ciuitate ad exspectationem noui belli, nocturna tempestate, columna rostrata in Capitolio, bello Punico priore posita -- tota ad imum fulmine discussa est.*

a) Vid. PLINIVS Hist. natur. l. 34. c. 5. Praeter istum honorem Duilio statutum, in huius naualis triumphi memoriam cusi sunt argentei nummi, in quibus Romae galeatae caput et Neptunus cum suo tridente in quadriga triumphali spectatur.

b) Vide sis Historicos, qui ea de re ex professo scripserunt, LIVIVM epit. lib. 17. FLORVM lib. 2. c. 2. TACITVM Annal. l. 2. c. 49. AVR. VICTOREM de viris illustribus cap. 42. VAL. MAX. lib. 7. c. 3. ext. ex. 7. FRONTINVM stratag. lib. 1. c. 5. De classe LX. diebus parata PLINIVM hist. natur. lib. 16. cap. 14. et SILIVM ITALICVM Punicor. lib. 6. circa finem. Alios. De fastu Duellii triumphatoris, quoque VALER. MAXIMVM lib. 3. c. 6. et CICERONEM in *Catone*. †) Hinc SILIVS ITAL. Pun. lib. 6.

Iustum Sarrana ducebat caede triumphum,
Aequoreum iuxta decus et nauale trophaeum
Rostra gerens, niuea surgebat mole columna.
Exuuias Marti, donumque Duilius alto
Ante omnes mersa Poenorum classe dicabat.

Sic et ei Romanos, in signum virtutis, statuam posuisse, testatur PLINIVS hist. natur. l. 13. c. 5. Imaginem eius aere incisam vide apud GRAEVIVM Roman. antiq. thesaur. tom. 3.

c) Hist. Rom. lib. 42. c. 20. SERVIVS tamen, ille qui exeunte seculo quarto vixit, ad Virgil. Georg. lib. 3. v. 29. testatur, suo adhuc tempore Romae columnam Duilianam potuisse videri,

Ea res prodigii loco habita, ad ſenatum relata eſt, etc. Abhinc ipſa etiam eius rudera diu ſepulta ſuo quaſi tumulo delituere: donec optima pars et baſis columnae, qua inſcriptio habebatur, tandem Romae infra Capitolium, ad arcum Septimii anno MDLXV. menſe Sextili e ruderibus effoderetur. Hanc proinde, vtvt mutilam et vetuſtate inſigni obfuſcatam, eruditiſſimi eius ſeculi viri laetiſſima fronte exceptam, ſua opera et laudabili ſtudio illuſtrarunt. *d*) Fracta primum in haec verba legebatur inſcriptio:

Baſis

d) Primitus eam ſed vitioſe deſcriptam ALDVS MANVTIVS nepos exhibuit in Orthographia pag. 142. ſeq. Male deſcribitur etiam a GRVTERO Inſcript. p. 404. n. 1. RVBEVS vero celebris Italus anno 1635. Et PETRVS CIACCONIVS Hiſpanus vna cum ſuis commentariis eruditiſſimis ediderunt. Petri Ciacconii in columnae roſtratae inſcriptionem, a ſe coniectura ſuppletam, explicatio eſt apud GRAEVIVM Roman. antiq. theſauro tom. 4. Ipſa columna aeri elegantiſſime inciſa cum ſupplemento Ciacconii etiam reperitur in L. Annaei Flori editione, quae cum notis Variorum, ex recenſione I. GEORGII GRAEVII 1702. in 8vo maiori lucem publicam vidit, tom. 1. p. 155. Eandem exhibet etiam cum diligenti variantium lectionum examine doctiſſ. Auctor. Annotat. ad Liuium edit. Oxonienſ. 1708. in 8. vol. 6. p. 204. Plures alii, quos ibi nominat. Aliud ſupplementum IVSTVS LIPSIVS ad hiſtoriam e Polybio, Zonara aliisque concinnauit; quod vide apud GVIL. FLEETVVOOD, Coll. Regal. apud Cantab. Socium, inſcriptionum antiquarum ſylloge pag. 66. n. 3. Confer. LIPSII antiq. lection. l. 2. c. 14. vbi tanta cura expreſſiſſe omnia, de ſe praedicat, vt non ipſa Fides poſſit fidelius. CIACCONII obiectionibus in Spicilegio literario reſpondemus. CL. PETRVS BVRMANNVS theſauro antiquitatum et hiſtoriarum Italiae tom. 9. part. 8. inſeruit GAVGES de GOZE diſſertationem de inſcriptione columnae roſtratae C. Duillio poſita et in foro Romano eruta.

Basis columnae Rostratrae, Anno 1565. mense Sextili, Romae infra Capitolium effossa.

C.D ...... M.F.M.N.C.... L.................
.....................S ANO...........................
........D. EXEMET, LECIONES. R...................
AXIMOSQVE. MACISTRATOS. L.....................
....OVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACEL.......
..CNANDOD. CEPET. ENQVE. EODEM. MACIS.....
..MNAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. C.......
CVASESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PAL...
CVMQVE. EIS. NAVEBOS. CLASEIS. POENICAS. OM...
SVMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRAESENTE......
DICTATORED. OL... OM. IN. ALTOD. MARID. PVC....
....NQVE. NAV... ET. CVM. SOCIEIS. SEPTE..........
.......OSQVE. TRIREMOSQVE. NAVEIS. X...........
..........OM. CAPTOM. NVMEI. CIƆ CIƆ CIƆ DCC...........
.........TOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI. (((I)))
CAPTOM. AES. (((I))) (((I))) (((I))) (((I))) (((I))) (((I)))
(((I))) (((I))) (((I))) (((I))) (((I))) (((I))) (((I))) (((I)))
(((I))) (((I))) (((I))) (((I))) (((I))) (((I))) (((I)))
..QVE. NAVALED. PRAEDAD. POPLON.................
.... CARTACINIENSIN.......NVOS. L.............
.... FI........... CAP...................

Quam PETRVS CIACCONIVS deinde suppleuit modo sequenti:

C. BILIOS. M. F. cos. aduorsom. Cartacinienseis. en. Sicliad.
Caius Duilius Marci filius consul aduersum Cartaginienses in Sicilia.
rem. cerens. eceft ANOS. cocnatos. popli. Romani. artisumad.
rem gerens Egestanos cocnatos populi Romani arctissima
obsedeoneD. eXEMET. LECIONeis. cartacinienseis. omneis.
obsidione exemit Legiones Carthaginienses omnes
mAXIMOSQVE. MACISTRATOS. Lucaes. bouebos. relicteis.
maximusque magistratus elephantis relictis.
noVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACELam. moenitam. vrbem.
nouem, castris effugerunt Macellam munitam vrbem
pVCNANDOD. CEPET. ENQVE. EODEM. MACEStratod. prospere.
pugnando cepit, inque eodem magistratu prospere
rEM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. Cefet. resmecosque.
rem nauibus mari consul primus gessit: remigesque
cLASESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PArauetque. dicbos. LX.
classesque nauales primus ornauit parauitque diebus sexaginta.
cVMQVE. EIS. NAVEBOS. CLASEIS. POENICAS. OMneis. paratasque.
cumque eis nauibus classes Punicas omnes paratasque
SVMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRAESENTEd. maxumod.
summas copias Carthaginienses praesente maximo.
dICTATORED. OlorOM. IN. ALTOD. MARID. PVCnandod. vicet.
dictatore illorum in alto mari pugnando vicit.
XXX QVE. NAveis. cepeT. CVM. SOCIEIS. SEPTEmresmomque. ducis.
trigintaque naues cepit cum sociis septirememque ducis
quinresmOSQVE. TRIRESMOSQVE. NAVEIS. XX. depreset.
quinqueremes triremesque naues viginti depressit.
auroM. CAPTOM. NVMEI. cIↄ cIↄ cIↄ DCC.
Aurum captum nummi. III. M. DCC.
arcemTOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI ccclↄↄↄ C
Argentum captum praeda nummi C. M.
craue. CAPTOM. AES. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ.
graue captum aes vicies semel centena millia.
ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ.
ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. ccclↄↄↄ. pondod.
pondo.
triumpOQVE. NAVALED. PRAEDAD. POPLOM. Romanom. donauet.
triumphoque nauali praeda populum Romanum donauit,
captiuos CARTACINIenseis. inceNVOS. Duxet. ante. curom.
captiuos Carthaginienses ingenuos duxit ante currum.
primosque. consol. de. SicelEIs. claseque. CARTacinienseoms.
primusque consul de Siculis claseque Carthaginiensium
triompauet. earom. rerom. erco. S. P. Q. R. ei. hance. columnam. P.
triumphauit. Earum rerum ergo senatus populusq; Romanus ei hancce columnam posuit

Pp 3 PETRI

Petri Ciacconii ſupplementum perplacet ex Annotat. quas Doctiſſimus Bibliothecae Bodleianae Praefectus adiecit Liuii Patauini Hiſtoriae edition. Oxonienſ. 1708. in 8. volum. 6. p. 204. cum aliis editionibus conferre: vt ſi quid ex illis variantibus Doctorum lectionibus ad cognitionem Latinae linguae accedere poſſit, Beneuolus Lector eas in promtu habeat:

C.[1] Bilios.[2] M. f. coſ. aduorſom[3] Cartacinienſeis.[4] en. Siceliad rem. cerens. eceſt[5]ANOs.[6] cocnatos.[7] popli. Romani. artiſumad obſedeoneD.[8] eXEMET.[9] LECIONeis. Cartacinienſeis.[10] omneis mAXI-

1) K. pro C. legit Harduinus ad Plin. l. 34. §. 11. p. 97.

2) *Duilios M. F. M. nepos COSS. aduorſom. Poenos en Siceliad.* Pighius p. 26. T. 2. Annalium. qui et puncta ad finem cuiuſque verſus adpoſuit. *C. Duilios M. F. M. N. Coſ. aduerſo.* Donat. de vrbe Rom. l. 2. c. 7. C. DVILIVS. M. F. M. N. quoque in Tabb. Capit. ſub an. CDXCIII.

3) Poteſt et ASVORSOM legi, notante Ciacconio. 4) SIs. Donat. 5) Punctum poſt *eceſt*. habet Pighius. 6) S quadrata forma, Pigh. aiceſtANOs. Donat. ſegeſtANOS. Lipſius. 7) *Popli Rom. cocnatos. ſocios. crauid. obſedeoneD.* Pigh. *Socios.* aut *amicos popli Rom.* poſſe etiam legi pro *cocnatos popli R.* notat item Ciac. *ſocios. et. cocnatos popli R.* legit Lipſ. 8) E. forma quadr. Pigh. Gualtherus Sicil. Antiq. tabb. p. 60. Donat. et Petr. Seruius Miſcell. p. 33. Parmae MDCXCI. 9) LEGION. *vbei. Poenicarum. plera. pars.* mAXIMOSQVE Pigh. LECIONES . . . . XIMOSQVE. Petr. Seru. LECIONES. *cartaciniensIs. omneis ma*XIMOSQVE. Donat. XIMOSQVE. item in Gualth. et in Graeuii inſcriptionis huius edit. praefat. tom. IV. Theſ. Ant. Rom. vbi et notat partem poſterioris E. (in voc. LECION*eis*) in marmore conſpici: nec non commata ad ſummitates vocum, hoc nempe modo . . . . D'EXEMET' etc. poni. Poſteriorem E. in LEC. forma quadr. edidit Gualt. 10) *Cartacinienſium.* pro *Cartacinienſeis.* in Lipſ.

m[11]AXIMOSQVE. MACISTRaTOS. [12]Lucaes. [13]bouebous. [14]relicteis.
no[15]VEM. CASTREIS. EXFOCIONT. [16]MACELam. [17]moenitam. [18]vrbem.
[19]pVCNANDOD. CEPET. ENQVE. EODEM. [20]MACestratod. prospere
rEM. NAVEBOS. [21]MARID. CONSOL. [22]PRIMOS. [23]Cefet. [24]resmecosque
[25]cLASESQVE. NAVALES. [26]PRIMOS. ORNAVET. [27]PArauetque.
[28]diebous. LX
cVMQVE EIS [29]NAVEBOVS. [30]CLASEIS. POENICAS [31]OMnis. pa-
[32]ratasque
[33]SVMAS. COPIAS. [34]CARTACINIENSIS. [35]PRAESENTEd. [36]maxumod
dICTA-

11) A. forma quadr. Pigh. Gualth. Donat Seru. et Graeu. praef. Ant. qui tamen notat minutiorem in marmore ceteris literis esse, et a recentiori manu additam fuisse. 12) *Luceis*. Pigh. Gualth. Donat. et Lipf. *Lucaes bouebous*, i. e. *elephantis*, nam *Luca bos* est elephas. Vid. Ciac. 13) *Bouebos* Pigh. Gualth. Beyerus in edit. Flori p. 142. 14) *Amiseis* pro *relicteis* habet Lipf.

15) N. in marmore comparet, sed est reliquis literis minor, et addita fuit a manu recentiori, teste Graeu. in Praefat. ad Ant. 16) MACELa. Donat.

17) Potest item legi *validam*, notante Ciacon. *moenita*. in Donat.

18) *Vrbem* deest Pigh. *opidum* legit Lipf. 19) *pu*CNANDOD. Pigh.

20) MAC*Istratod. bene r*EM. Pigh. MAC*Istratod*. prospere rEM. Gualth. et Donat.

21) MARID. Seru. et Gualth. 22) PRIMOS. Pigh. et Gualth.

23) *Omiset*. pro *Cefet*. in Lipf. 24) *Remecosque*. Donat. *triresmos*, omisso *que*. Pigh. Potest item legi *sociosque*, notante Ciac. vt vox NAVALES tam ad socios, quam ad classes referatur. 25) C. forma quadr. Pigh.

26) PRIMOS. Pigh. et Gualth. 27) PAL*auetque*. *corueis*. CVMQVE. Pigh. PAL*auetque* item in Gualth. 28) *Diebos*. Beyer. et Graeu. edd. Flori, et Gualth. qui et CVM. QVE. pro cVMQVE habet; in Donat. vero CVMQVE.

29) OVS. Pigh. OS. Beyer. P. Seru. Donat. et Graeu. Praef. Ant. VS. Graeu. ed. Flori. 30) CLASES. Pigh. 31) *neis*. Pigh. Gualth. et Donat.

32) *Paratis*. Lipf. 33) S. forma quadr. Pigh. et Gualth. 34) SIS. Seru.

35) AE. Pigh. Seru. et Graeu. edit Flori. 36) *Annibaled* pro *maxumod*. in Pigh. *maximod*. in Donat. et Lipf.

[37] dICTATORED. [38] OloɪOM. IN. ALTOD. [39] MaRID. [40] PVCnandod. [41] vicet

xxx [42] QVE. [43] NAveis. [44] cepeT. CVM. SOCIEIS. [45] SEPTEmresmomque. ducis

[46] quinresmOSQVE. TRIRESMOSQVE. NAVEIS. Xx. [47] depreset

[48] auroM. CAPTOM. [49] PRAEDA NVMEI ↀ ↀ ↀ [50] DCC

[51] arcenTOM. CAPTOM. PRAEDA NVMEI [52] ccclɔɔɔ [53] C

[54] craue. CAPTOM [55] AES ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ

ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ

[56] ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ pondod

Qq triom-

37) D. forma quadr; Pigh. et pars quidem eius in marmore cernitur, teste Graeu. praefat. Ant.

38) OLOrVM. Pigh. OLOrOM. Gualth. OLOROM. Donat. LOR etiam in marmore esse notat Graeu. Praefat. Ant. sed forma minutiori et a manu recentiori.

39) MARID. Pigh. Donat. et Graeu. Praefat. Ant. MARID. Seru. et Gualth.

40) Mallem, si marmoris spatium eas omnes literas capere posset PVC*nandod superauet* scribere. Ciac. 41) *Vecet* Donat. 42) OVE in marm. teste Graeuio in Praef. Ant. et indicia bina numeri XXX apparent. XXXIQVE. habent Gualth. et Donat. 43) NA*Veis*. Pigh. NAVEIS. Seru. Donat. et Graeu. Praefat. Ant. 44) CEPET. Seru. et Donat. Literae CEPE forma minori in marm. et a manu recentiori. notante Graeu. Praef. Ant. 45) SEPTER*esmomque*. Pigh. Donat. et Gualth. SEPTE*mremosque*. Lips. sed pars literae M post SEPTE in marmore apparet, teste Graeu. Praef. Ant. 46) *Quinres*MOSQVE. Pigh. *quinresmos* QVE. cum spatio. Gualth. quinresmoSQVE. Donat. OS deest. Seru. et Graeu. Praef. Ant. 47) *depresai*. Donat. 48) aurOM. Pigh.

49) PRAEDA. deest Gualth. et Donat. 50) D. Graeu. Praef. Ant. sed ibi C prioris indicium. D. quoque in Seru. vtraque C omissa. DCc. Gualth. DCC // // // // *pondo* Pigh. 51) argenTOM. Pigh.

52) ccclɔɔɔ // // // // *pondo* Pigh. ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ ccclɔɔɔ pro ccclɔɔɔ C. in Donat. 53) C deest Seru. Gualth. et Graeu. Praef. Ant.

54) *graue*. Pigh. et Gualth. 55) ÆS. Pigh.

56) Seqq. numeri auctiores in Pigh. et Donat. sed diminutiores in Gualth. omisso *Pondod*.

triompOQVE.[57] NAVALED. PRAEDAD. POPLOM. Romanom. donauet

captiuos[58] CARTACINIenfeis[59] inceNVOS.[60] Duxet.[61] ante. curom

primofque. confol. de. SicelEIs.[62] clafeque. CARTacinienfeom[63]

triompauet.[64] earom, rerom. erco S. P. Q. R. ei. hance. columnam. p.

ſ. II.

Operae fore pretiûm exiftimamus, fi reliquias hasce Latinitatis femibarbarae breuiter examinemus, et vnum alterumue earum ductu, praeter illa fuperius allata, circa orthographiam antiquam et eam nunc adeo obfoletam taediofamque notemus. BILIOS, mira vox initio ftatim tabulae noftrae infcripta confpicitur. Puta *Duilium*

57) PRAEDAD. POPLO. *Nundineis. expofitad. captiuos.* CARTACINIENSEIS. *iNgeNFOS BiS* (I) *trigintaque. roftratas. nauEIS. ab. hofted. CAPTas. tranfduxet. quas. ob. res. bene. geftas. S. P. Q. R. huic primom naualem triumpom. pilamque. roftratam. cum ftatuad. ex. manubIs. en. foro. Rom. decreuet.* Pigh. PRÆDAD pro PRAEDAD item in Beyer. et POPLO pro POPLOM in Seru. et Graeu. Praefat. Ant. fed in Donat. POPLO*m romanom ditauet.* vel *rom. adfecet*, pro *romanom. donauet.* poffe etiam legi notat Ciac.

58) ARTA tantum in Seru. Atque ita in Graeu. Praef. Ant. nifi quod τῆς C ibi fit veftigium. CARTA*cinienfeis* in Gualth. CARTACIN*iensIs* in Donat.

59) incE NVOS. Donat. 60) Cetera abfunt Seru. Quo modo et in Graeu. Praef. Ant. nifi quod τῆς D particula confpiciatur.

61) *ante. curom* abfunt Donat. 62) *ficel:eis. clafeque.* Gualth. *ficeleis, clafeque.* Donat. 63) *Cartacinienfeom.* Gualth. et Donat.

64) *ob. afce, res, f. p. q. r. colomna, in. foro. pofeiueit.* Donat.

Duilium vel *Duelium* †) veteres, quod primus Poenos classe deuicerit, triumphantem atque ita triumphantem, vt non contentus vnius diei triumpho, per vitam omnem, vbi a caena rediit, praelucere funalia, praecinere sibi tibias iusserit, quasi quotidie triumpharet, *e*) postea quasi *Bellicosum*, et *Belium*, et *Bilium*, nominarunt. Etenim haud raro antiquitus obtinebat, vt breuitatis caussa literas contraherent saepiuscule, pluresue in vnam conuerterent syllabam, atque DV in literam simplicem B mutarent: facilis coniectura est, vnde *Bilius*, vel pro more seculi, vt paulo post indicetur, *Bilios*, pro *Duilius*, statuae insculptus fuerit. Idem TVLLIVS noster *f*) quoque obseruauit, nisi quod eum voluerit *Duellium* et *Bellium* nominari. *Quid vero*, ita eius verba sonant, *licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? Nam vt duellum bellum, et duis bis, sic Duellium eum, qui Poenos classe deuicit, Bellium nominarunt, quum superiores appellati essent semper Duellii.* Et QVINTILIANVS: *g*) *B in locum aliarum dederunt aliquando, vnde Burrhus et Bruges et Belena. Nec non eadem fecit ex duello bellum, vnde Duellios quidam*

†) Varie clarus ille bello Punico primo imperator a scriptoribus nominatur, *Duillius* et *Duilius*, a FLORO l. 2. c. 2. VICTORE de viris illustr. c. 42. SILIO ITAL. lib. 6. LIVII epit. l. 17. aliis. *Duelius* et *Duellius*, a CICERONE oratore c. 45. de natura Deorum l. 2. c. 66. FRONTINO strategem. L. 1. c. 5. atque aliis. Neque in praenomine conueniunt. A LIVIO enim, FRONTONE, et aliis *Cneius*; a VICTORE, VALERIO MAX. et aliis *Caius* vocatur.

e) FLORVS Hist. Rom. lib. 2. c. 2.

f) In Oratore. c. 45. *g*) Instit. Orator. lib. 1. c. 4.

dam dicere Bellios aufi. Et MOSELLANO *h)* quidem annotante, *Burrhus* pro *Pyrrhus*, *Bruges* pro *Phyges*, et *Belena*, indicante PRISCIANO, pro *Helena*, aut voce Aeolica *Felena*, *dicebant. etc.*

§. III.

ADVORSOM, vocabulum a Ciacconio quidem Tabulae, ſed non ſine ratione, inſertum, clariſſime probat, quod veteres promiſcue literam O pro E et V ſcriptitauerint: neque tamen ita ſcripſerunt ſemper, vti ex noſtris literarum fragmentis haud obſcure etiam cernere licet. De primo quod dixi, olim vſurpatam fuiſſe O literam pro E, QVINTILIANVS: *i) Quid dicam VORTICES et VORSVS ceteraque ad eundem modum, quae primo Scipio Africanus in E. literam ſecundam, vertiſſe dicitur?* Sic quoque *ANIMADVORTI*, et *AMPLOCTI*, et *PERVORSVS*, et *ADVORSVS*, et *VOTARE*, et ſimilia, per O dixiſſe antiquiſſimos, quae legere iamiam per E conſueuimus, teſtis eſt ANNAEVS CORNVTVS. *k)* Vt infinita monumentorum antiquiorum loca tranſeam, haec adhucſuo tempore PLAVTVS atque TERENTIVS, aeuo Ciceroniano propiores, frequenti in vſu habuere. Ille *VOTITA*, pro *vetita*, plurimum dixit. *l)* Alibi, *m) Vt vos*, inquit, *IN VOSTRIS*

h) In notis ad Quintil. l. c. *i)* Inſtit. Orat. lib. 1. c. 7. Confer. Die curieuſe Nachricht von Erfindern und Erfindungen pag. 43. in des geöffneten Ritter-Platzes dritten Theil. Vbi locus obuenit dubius admodum, qui ex citato Quintiliani loco facile emendari poteſt. *k)* Apud CASSIODORVM de Orthographia. *l)* PLAVTVS Aſin. Act. 4. ſc. 1.

m) Idem in prolog. Amphit.

STRIS VOLTIS mercimoniis. Et rurſum: *n) Clare ADVORSVM fabulabor.* Hic vero: *Ne cui ſit VOSTRVM mirum, cur parteis ſeni Poëta dederit, quae ſunt adoleſcentum. o)* Ita paſſim alibi.

§. IV.

Atque etiam occaſione iſtius vocabuli notamus, pari modo quondam ab Latinis vocalem O pro V poſitam fuiſſe. Quod itidem clariſſimis QVINTILIANVS *p)* docet, vbi: *Quid O et V permutatae inuicem? vt HECOBA* et *NOTRIX, Culchides et Pulyxena ſcriberentur: ac, ne in Graecis id tantum notetur, DEDERONT atque PROBAVERONT.* Et alibi: *q) Noſtri praeceptores CERVOM SERVOMQVE V et O literis ſcripſerunt.* VELIVS LONGVS: *Aeque confuſas O et V literas habuere: Nam CONSOL ſcribebant per O, cum legeretur per V. Conſul. etc. r)* Hinc ipſe PLAVTVS: *s) Sciebam equidem nullum eſſe nobis, niſi me SERVOM Soſiam.* Ita in quamplurimis locis aliis. Et TERENTIVS: *t) Qui AEQVOM eſſe cenſent etc.* Rurſum: *v) SALVOM veniſſe gaudeo. etc. etc. QVATENOS* pro *quatinus* Antiquos dixiſſe, FESTVS teſtatur. *x)* De *PRAESTO* et *praeſtu*, *PRAESTOLOR* et *praeſtulor*, *POBLICVS* et *publicus*, *COLPA* et *culpa*, ſufficiens nobis CVRTIVS VALERIANVS *y)* teſtis eſſe poteſt. Sed quid alienis opus eſt? cum in ipſa

 Tabula

n) Amphit. Act. 1. ſc. 1. *o)* TERENTIVS in prolog. Heautont.
p) Inſtit. Orat. lib. 1. c. 4.
q) Inſtit. Orat. lib. 1. c. 7. *r)* Quae totidem verbis tranſcripſit FVLVIVS VRSINVS in notis ad Feſtum in v. *Alinta.* *s)* Amphitr. Act. 1. ſc. 1. *t)* Heaut. Act. 2. ſc. 1. *v)* Heaut. Act. 2. ſc. 4. *x)* In h. v. *y)* Apud CASSIODORVM de Orthogr.

Tabula nostra non vnum pro asserti veritate obueniat testimonium; v. gr. *MAXIMOSQVE MACISTRATOS*, pro *maximusque magistratus*; *EXFOCIONT*, pro *effugerunt*; *AVROM CAPTOM*, *ARCENTOM CAPTOM*, et similia. Haec adeoque ANGELVM POLITIANVM, z) Virum cetero doctum et rei cumprimis literariae expertissimum, falsitatis arguunt, cum asserere non dubitauerit, *nouitiam fuisse O literam*; *qua etiam aliquae Italiae ciuitates caruerint, et eius loco V posuerint, vt Thusci et Vmbri.* Quamuis enim in vetustissimis etiam monumentis *sacerdus* pro *sacerdos*, *epistula* pro *epistola*, *adulescens* pro *adolescens*, *nungento* pro *nongento* et innumera huius generis conspicerentur alia, quod maxima cum lubentia ipsi vltro largimur: inde tamen nullo modo sequitur, literarum alteram nondum extitisse, quas, tot hactenus a nobis allegatis testibus, saepe numero inter se commutare vsu promiscuo antiquissimi consueuerunt. Alioqui multa circa orthographiam notatu dignissima in illa POLITIANI citata et praecedenti BARTHOLOMAEI SCALAE epistolis tractantur, quas ideo B. L. de meliori nota commendamus.

§. V.

Obuia sunt in nostra Tabula etiam vocabula, *Cartacinienseis*, *Cerens*, *Ecestanos*, *Cocnatos*, *Lecioneis*, *Macistratos*, *Pucnandod*, et similia. Vnde luce clarius meridiana videmus, quod literae G apud veteres Romanos

z) Lib. 5. epist. 3. Quocum sentit PETRVS MOSELLANVS ad Quint. instit. orat. l. 1. c. 4. *Quid? O atque V permutatae inuicem.*

nos, etiam hoc aeuo, nullus fuerit vſus; verum C, tertium iſtud alphabeti elementum, vt apud Graecos quoque, vicem eius praeſtiterit. Idem FESTVS quam plurimis in locis, vbi de verborum ſignificatione agit, etiam diſerte comprobauit, atque inter alia: *C pro G frequenter ponebant antiqui*, dixit, *a*) *nam quae nunc C appellatur, ab antiquis G vocabatur. b*) Et QVINTILIANVS, *c*) *Quid ?* interrogat, *quae ſcribuntur aliter, quam enunciantur? Nam et Gaius* C *litera notatur, quae inuerſa* Ↄ *mulierem declarat: quia tam Caias eſſe vocatas, quam Caios, etiam ex nuptialibus ſacris apparet. Nec Cneus eam literam in praenominis nota accipit, qua ſonat.* Ad quae verba PETRVS MOSELLANVS, Vir doctiſſimus, notauit, pronunciari Caium per G, quia G ſonet, ſcribi autem per C. eiusque rei rationem ſubiungit: *d*) *quod apud vetuſtiſſimos Latinos non fuerit vſus G Literae, ſed C tantum, quae tertium locum in ſerie literarum ita occupet, quemadmodum apud Graecos quoque.* Atque inde etiam eſt, quod tempore poſteriori C et G literas inuicem optimi ſcriptores quam frequentiſſime commutauerint. *e*) *Spurius* autem *Caruilius*, ludimagiſter quidam Romanus, demum

a) In voc. *Orchus*. *b*) In voc. *Prodigia*.

c) Inſtit. Orat. L. I. c. 7. *d*) Ex DIOMED. lib. 2. Confer. IOSEPHVS SCALIGER ad Feſtum caſtigationibus eruditiſſimis, in voc. *Tapulla*. IVSTVS LIPSIVS ad Tacit. Annal. lib. II. c. 14. IOH. DANIEL CRAMERVS in orat. elegantiſſ. de fato Latinae linguae. Doctiſſ. Auctor der curieuſen Nachricht von Erfindern und Erfindungen. lit. G. p. 58. in des geöffneten Ritter-Platzes dritten Theil. Plures alii.

e) Quorum exempla produxit AVSONIVS POPMA de vſu antiquae locutionis lib. I. c. 5. p. 11.

demum circa annum ab v. c. IↃXL. poſt leges XII. Tabularum conſcriptas CCXXXVII. poſt Tabulam Roſtratam XLVII. G. iſthanc ſoni mollioris literam inuenit, pinxitque primus pro *inicere* inigere, pro *acetare* agitare etc. Quod ne fingi a me temerario conatu videatur, hac de re verba facientem praeſtat audire PLVTARCHVM: *f*) καὶ γὰρ τὸ Κ πρὸς τὸ Γ συγγένειαν ἔχει παρ' αὐτοῖς. ὀψὲ γὰρ ἐχρήσαντο τῷ γάμμα Καρβιλίου Σπορίου προσευρόντος. *Cognatio enim eſt inter C. et G. ac ſero litera G vti coepere, quae reperta a Spurio Caruilio.* Caruilius hic extra omne dubium Romae habuit ludum literarium circa annum v. c. IↃXL. vt qui libertus fuit Spurii illius Caruilii, qui anno IↃXIX. vel vno alteroue poſt, Romanorum primus vxorem ſuam propter ſterilitatem dimiſit. *g*) Nihil obſtat, quod FABIVS QVINTILIANVS habet: *h*) *C primum Caeſaris inſcriptione traditur factum.* Quo loco deceptus etiam clariſſimus Auctor der curieuſen Nachricht von Erfindern und Erfindungen *i*) aſſerere nullus dubitauit, hanc literam C a Iulio Caeſare primum inuentam fuiſſe. Enim vero, vt ex rebus demonſtratis hactenus patet, ſententiam hanc ipſi, veterum monumenta non ſatis reſpicienti, calamo inſuper feſtinante, excidiſſe oportet. Vel quis putet, FABIVM literam C demum *Caeſaris* aetati, ceu nouiter inuentam, adſtringere potuiſſe; quod neque ſcopus, neque contextus optimi ſcriptoris, cetera etiamſi fuerint paria, hoc quidem in loco patitur.

f) In Quaeſt. Rom. *g*) Vt eſt apud DIONYS. HALIC. lib. 2 VALER. MAXIMVM lib. 2. c. 1. GELLIVM lib. 4. c. 3. et lib. 17. c. vlt. PLVTARCHVM in Romulo et Numa. *h*) Inſtit. Orat. lib. 1. c. 7.

i) Loc. cit. pag. 34. lit. C.

titur. Sed ita eius verba ſeſe habent: *Etiam optimus maximus, vt mediam i literam, quae veteribus u fuerat, acciperent*, NB. *C.* (i. e. Caii) *primum Caeſaris inſcriptione traditur factum.*

§. VI.

Notandum porro venit, quod tamen ex ſcriptorum etiam recentiorum, *Plauti*, *Terentii*, et aliorum lectione, modo ad iſtud attendere velit, nemo ignorare poteſt, *diutius duraſſe, vt EI iungendis, eadem ratione, qua Graeci ει, vterentur. etc.* *k*) Exempla vbiuis obuia teſtantur, iſthunc vocalium concurſum fieri (1) loco ſimplicis E ante S literam, in nominatiuo et accuſatiuo caſibus, frequentiſſime in numero plurali tertiae declinationis, vt Grammatici loquuntur. Ita *obſeruabam*, inquit TERENTIVS, *l*) *mane illorum ſeruulos venienteis et abeunteis.* Idem vbiuis *parteis*, *graueis*, *omneis*, et ſimilia habet. At quis non videt in Tabula noſtra ſcriptum fuiſſe: *Cartacinienſeis*, *Lecioneis*, *omneis*, *claſeis*, *naueis etc.* pro *Carthaginenſes*, *Legiones*, *omnes*, *claſſes*, *naues?* Vt teſtimonia et voces alias innumerabiles taceam, quae paſſim apud ſcriptores occurrunt. (2) Veteres Latini vt plurimum I vocalem natura longam ſcribendo per EI diphtongum exprimebant; prorſus ea ratione, qua Graeci ει literis coniunctim etiamnum in lingua ſua vtuntur. Quod nullibi non proditur in antiquioris aeui Latinorum monumentis. Exempli gratia ſint nobis *Antiquitatum monumenta*, ab GEORGIO FABRICIO, Viro

Rr clariſſi-

k) FABIVS QVINTILIANVS Inſtit. Orat. lib. I. c. 7.
l) Andr. Act. I. ſc. I.

clarissimo, collecta et Romae annexa veteri, quae perpetuo habent: *Abei* pro *abi*, *Bilychneis* pro *bilychnis*, *deico* pro *dico*, *beic* pro *hic*, *liberei sibei* pro *liberi sibi*, *quei* pro *qui*, *veitae* pro *vitae etc.* In Plebiscito, quo Thermeses tanquam liberi immunesque, vel, vti loquuntur, *leiberi Amicei socieique populi Romani* declarantur. *Quei* iugiter scriptitarunt pro *qui*, *ieis* pro *iis*, *postereique* pro *posterique*, *sueis*, *vtei*, *scriptei*, *vsei fructeiue*, *ipsei*, *deicunto*, *nei*, *meilites*, *ibei*, *nisei*, et id genus alia, quorum ingentem catalogum ex memoratis ceterisue ad aetatem hanc proxime accedentibus lapidibus, marmoribus atque libris possimus facili negotio exhibere, si id nunc ageremus, neque nobis sufficeret, haec in illustri Tabula nostra, quam vnanimi consensu omnes pro vltimo priscae Latinitatis exemplo habent venerantur que, scripta fuisse: *relicteis castreis* pro *relictis castris*, *cum socieis* pro *cum sociis*, *numei* pro *nummi etc.* Certe, vt vnusquisque videt, vel experiri statim potest, perexigua inter pronunciationem vtriusque differentia est: adeo, vt naturali etiam flexione I productum non aliud quam EI diphtongum adsonet, quod si quis, vt diffusum latumue audiatur, formare instituit, os laxius est aperiendum et quodam veluti conatu, inferiore mandibula non nihil inflexa, pronunciandum: vti Britannos etiamnum facere obseruamus, quando I longum hoc modo in plerisque vocibus proferunt, dicentes *Regeina*, *ameicus*, *veita*, et similia. *m*) Post id tempus Grammatici de his praecepta

m) Confer. LIPSIVS de recta pronunciat. Latinae linguae cap. 8. PAVLVS MERVLA de legibus Rom. c. 2. §. 2. pag. m. 31. Et AVSONIVS POPMA de vsu antiquae locutionis lib. 1. c. 2. p. 10.

cepta tradere conati sunt; vt videlicet plurali numero in nominibus secundae declinationis EI diphtongum, in singulari I simplex scriberent; rursum I simplex in datiuo singularis numeri, declinationis tertiae, atque pronominibus in datiuo casu I assumentibus; ex. gr. *ille* in dat. sing. *illi* in nom. plur. *illei*. Plura nos ipse LVCILIVS *n*) edocet:

> *Iam puerei venere, E postremum facito atque I,*
> *Vt plures plurei fiant: I si faci' solum*
> *Pupilli pueri, Lucilli hoc vnius fiet.*
> *Hoc illi factum est vni, tenue hoc facies I.*
> *Haec illei fecere, addes E, vt pinguin fiat.*
> *Meile hominum, duo meilia, item hinc vtroque opu'*
> *meiles.*
> *Meilitiam, tenues I. Pilam, qua ludimu'*
> *Quo pinso, tenues I. Plura haec si feceri', Pilum*
> *Peila*
> *Quae iacimus, addes E, peila vt plenius, fiat.*
> *Mendacei Fureique addes E, cum dare furei*
> *iusseris.* - -

Vt vero, quid sentiam, ingenue fatear, absurdum imo futile est, certas de incertis traditas voluisse regulas; et quae veteres promiscue absque selectu, absque legibus, aliquando cum vehementiori spiritu certaue mora, aliquando sine mora, pro seculi istius semibarbari genio, pronunciare, et modo per I, modo per EI scribere solebant: tum demum, quando ista in desuetudinem venerunt, veluti ad imitationem eorum, strictioribus atque

 indubi-

n) Lib. 9. Satyr, vbi de literis disputat.

indubitatis praeceptis adstringere. *o*) Antiquissimos vero nullam eius habuisse rationem, abunde ex supra laudata Duilii columna patet, vbi nunc *castreis*, *claseis*, *socieis*, *numei etc.* nunc *marid*, *primos*, *eis*, *cartacinensis*, legimus. Innumera alia veterum monumenta nunc quidem sicco pede transeamus.

§. VII.

Pari modo veteres Latini, vt qui literas inuicem plerasque commutare solebant, etiam E simplex pro I quam frequentissime pronunciarunt ac scripsere. Teste FABIO, *p*) *SIBE et QVASE scriptum in multorum libris est, sed an hoc voluerint auctores, nescio. Haec nos I litera terminamus.* De quo tamen optimus eloquentiae magister dubitare minime opus habuit: cum et ipse alibi *q*) scripserit, antiquos per E extulisse *Menerua*, *leber*, *Magester*, et *Diioue* et *Veioue*, pro *Deioui* et *Veioui*. Ita FESTVS quoque veteres ait dixisse *Me*, pro *Mi* seu mihi, et *Ameci* pro *Amici*. VARRO *r*) rusticos, inquit, *veam* et *vellam* dicere, vbi alii *viam* et *villam*. Hinc DONATVS: *s*) *Propter cognationem E et I literarum non dubitauerunt antiqui, heri et here dicere, et mane et mani, et vespere et vesperi.* Sic in nostra Tabula dictiones crebro inueniuntur sequentes: *en Siceliad*, pro *in Sicilia*,

o) Confer. QVINTILIANVS Instit. Orat. lib. I. c. 7. Et A. GELLIVS noct. Attic. lib. 9. c. vlt. *Graecos*, inquit, *non tantae inscitiae arcesso, qui OY ex O et Y scripserunt; quantae, qui EI ex E et I. Illud enim inopia fecerunt; hoc nulla re subacti.*

p) Instit. Orat. lib. I. c. 8. *q*) l. c. lib. I. c. 4. Confer. AVS. POPMA de vsu antiquae loc. lib. I. c. I. p. 6. *r*) Lib. I. de Re Rustica cap. I. *s*) In Phorm. Act. I. sc. I.

Sicilia, *exemet* pro *exemit*, *cepet* pro *cepit*, *enque eodem mancestratod*, pro *inque eodem magistratu*, *nauebos*, pro *nauibus*, *ceset* pro *gessit*, *ornauet* pro *ornauit*, *naualed* pro *nauali etc.*

§. VIII.

Tum etiam ex cognatione vocalium I et V, vel medium inter vtramque sonum obtinendum, *t*) haud raro istas commutare inuicem et alteram ponere pro altera consueuerunt, vt ex. gr. dicerent *Optumus* pro *Optimus*, *Aurufex* pro *aurifex*, et similia. *v*) Hinc ANNAEVS CORNVTVS: *x*) *Lacrumae an lacrimae*, *maxumus an maximus*, *et si quae similia sunt*, *scribi debeat*, *quaesitum est*. *Terentius Varro tradidit*, *Caesarem per I eiusmoai verba solitum esse enunciare et scribere*, *inde propter auctoritatem tanti Viri consuetudinem factam*. *Sed ego in antiquiorum multo libris*, *quam Caius Caesar est*, *per V pleraque scripta inuenio: Optumus*, *intumus*, *pulcherrumus*, *lubido*, *dicundum*, *faciundum*, *maxume*, *monumentum*, *contumelia*, *minume*. *Melius tamen est*, *et ad enuntiandum et ad scribendum*, *I literam pro V ponere*, *in quod iam consuetudo inclinauit*. Extra quidem omne dubium. Olim vero V literam obtinuisse, vel ex nostra Tabula constat, vbi *artisumad* pro *arctissima*, *maxumod* pro *maximo* et id genus alia leguntur.

Rr 3 § IX.

t) FABIVS Instit. Orat. lib. I. c. 4. *Medius est quidam V et I literae sonus. Non enim sic Optumum dicimus*, *vt optimum*. Idem lib. I. c. 8. *Etiam optimus*, *maximus*, *vt mediam I literam*, *quae veteribus V fuerat*, *acciperent*.

v) Vid. ALDVS MANVTIVS nepos in orthographia pag. 93.

x) Apud CASSIODORVM in collect. de orthograph. ISIDORVS Orig. lib. I. c. 26.

§. IX.

Quando ſcriptum deinceps videmus *moenitam* pro *munitam*, *Poenicas* pro *Punicas etc.* Conſuetudinem apud veteres fuiſſe plurimum, nobiſcum reputemus intereſt, vt OE loco V vocalis poſuerint. *y*) Hinc *coerare* pro *curare*, *moeri* pro *muri*, *oeſus* pro *vſus*, *Moeſia* pro *Muſia* ſiue Myſia, *poenio* pro *punio*, vnde *poena*, *z*) et *moenia* a *munire*. *a*) Haec laeuiſſima ſunt. Sed mirum alicui videri poſſit, quod litera D vocibus quamplurimis in fine addita fuerit adeo fruſtra, vt in *Siceliad*, *artiſumad*, *obſedeoned*, *pucnandod*, *marid*, *praeſented maxumod dictatored*, *in altod marid pucnandod*, *naueled praedad etc.* Cuius ſi quis rationem petit; reſpondemus breuiter, quoniam ita vetuſtiori placuit aeuo, quo et pauciores literae, nec ſimiles his noſtris earum formae fuerunt, et vis quoque diuerſa. Vt adeo etiam huius inſtituti fruſtra a nobis requirantur cauſſae: cum vltra nihil aſſerere valeamus, quam quod ſtilus temporis huius obſcurioris ſcribere ita voluerit. Atque hoc ſufficere nobis debet. Quare FABIVS ille QVINTILIANVS ipſe *b*) *Orthographia* inquit, *conſuetudini ſeruit, ideoque ſaepe mutata eſt. Nam illa vetuſtiſſima transeo tempora, quibus et pauciores literae, nec ſimiles his noſtris earum formae fuerunt, et vis quoque diuerſa.* Dein pauciſſimis interpoſitis pergit: *vt Latinis veteribus D plurimis in verbis*

y) Vid. ALDVS MANVTIVS in Orthographia pag. 612. POPMA de vſu antiq. loc. lib. 1. c. 2. p. 10. *z*) VARRO de lingua Latina lib. 4. c. 36. ISIDORVS Orig. lib. 5. c. 27.

a) FESTVS in h. v. *b*) Inſtit. Orat. lib. 1. c. 7.

bis vltimam adiectam: quod manifestum est etiam ex columna rostrata, quae est C. Duellio in foro posita. c)

§. X.

Porro vbi *Macelam* inuenimus scriptum, pro *Macellam*, *claseis* pro *classes*, *sumas* pro *summas*, *olorom* pro *illorum*, *numei* pro *nummi*, obseruari meretur, antiquissimos, qui Latina lingua scripsere, ad vsque tempora *Ennii* Poëtae, literas consonantes in eadem voce duplicatas, et immediate alteram alteri annexam, vt nunc quidem fieri perpetuo videmus, minime gentium voluisse. Et hoc ipse FESTVS, *d*) eruditissimus scriptor et praeclarus antiquitatis indagator, si modo integer ad nos peruenire potuisset, clarissime testatur: *nomen*, inquiens, Solitaurilia *antiqua consuetudine per vnum L enunciari, non est mirum, quia nulla tunc geminabatur litera inscribendo: quam consuetudinem Ennius mutauisse fertur.* Idem rursus alibi: *e*) *Torum vt significet torridum, aridum, per vnum quidem R antiqua consuetudine scribitur. Sed quasi per duo RR scribatur, pronunciari oportet. Nam antiqui nec mutas, nec semiuocales litteras geminabant.* Quod proin etiam ISIDORVS *f*) confirmauit, vbi *veteres*, inquit, *non duplicabant literas, sed supra sicilicos apponebant: qua nota admonebatur lector, geminandam esse literam; et sicilicus* vocatur, *quia in Sicilia inuentus est primo.* Vnde forsan vsu venit, vt in recentioribus monumen-

c) Confer. SCALIGER ad Festum in voc. *Sed* pro *se* vel sine.

d) In voc. *Solitaurilia.* Idem in voc. *Ab oloes* et *Aulas.* Cum istud veteres pro *ab illis*, et hoc pro *ollas* dixerint. Vid. etiam MORHOFIVS de lingua teuton. part. 1. c. 3. p. 50.

e) In voc. *Torum.* Confer. Idem in voc. *porigam* et *Folium.*

f) Orig. lib. 1. c. 26. in fine.

numentis etiam ſcriptitauerint Romani, *Iuentus* pro *Iuuentus*, *fluium* pro *fluuium*, *Dumuir*, pro *Duumuirs*, *flaus* pro *flauus*. *g*)

§. XI.

Occaſione vocis POPLOM, idem quod ſupra in *Bilios*, ſyllabarum videlicet contractio obſeruanda venit. *Vocales* enim, inquit IVLLIVS, *h*) *ſine vocalibus ſaepe breuitatis cauſſa contrahebant, vt ita dicerent multi' modis, vas' argenteis palm* etc. Sic quoque veteres dicebant *Nis* pro *nobis*, *ſam* pro *ſuam*, *im* pro *eum*, *i*) *ſodes* pro *ſi audes*, *ſcilicet* pro *ſcias licet*, *ſis* pro *ſi vis*, *k*) *gnitus* pro *genitus* et *gnotum* pro *cognitu*. *l*) Ex quibus modo ſufficienti apparet, antiquiſſimis nihil frequentius, quam hic ſyllabas contrahendi modus, fuiſſe. Atque etiam non raro compendii cauſſa integras vna litera conſonante ſyllabas conficiebant: ita *Klendae*, *Krus*, *Krtago*, *Klumnia*, *Bne*, *Ptre*. Qua de re audiamus TERENTIVM SCAVRVM: *Hac tamen antiqui in connexione ſyllabarum ibi tantum vtebantur, vbi A litera ſubiungenda erat: quoniam multis vocalibus inſtantibus, quoties id verbum ſcribendum erat, in quo retinere hae literae nomen ſuum poſſent, ſingulae pro ſyllaba ſcribebantur, tanquam ſatis ea ipſo nomine explerent: vt puta Decimus per D ſimplex et Cimus: item Cera, C, ſimplex et Ra: et Bene, B et Ne. Ita et quoties Kanus et Karus ſcribendum erat, quia ſingulis*

g) Vid. ALDVS MANVTIVS in Orthographia p. 451. Confer. Iohannis Schultzii florum ſparſio ad loca quaedam in re literaria controuerſa. p. 221.

h) In Oratore cap. 45. *i*) FESTVS in voc. *Calim*.

k) Idem in voc. *Cumalter*. *l*) Idem in his vocibus.

gulis literis primae syllabae notabantur, K prima ponebatur, quae suo nomine A continebat, quia si C posuissent; Cenus et Cerus futurum erat, non Canus et Carus. †) Aliter FABIVS: ††) *Nam K*, inquit, *quidem in nullis verbis vtendum puto, nisi quae significat, etiam vt sola ponatur. Hoc eo non omisi, quod quidam eam quoties A sequatur, necessariam credunt: cum sit C litera, quae ad omnes vocales vim suam perferat.*

§. XII.

Priusquam ad alia progredimur, oportet, sed verbulo tantum, ad faciliorem Tabulae rostratae sensum indicemus, quid sibi primo *lucaes bouebos*, quid *graue aes*, qud caepisse, Romani gloriantur, vbiuis obuia nec satis intellecta sibi verba velint. *Luca bos*, quod nomen ablatiuo casu, pluralis numeri CIACCONIVS in nostra columna *lucaes bouebos* reddidit, elephantem significat. †††) Nam veteres Latini maximam quadrupedem quam ipsi habebant, *bouem* dictitarunt. *m)* Sic et ENNIVS *) prouerbio de rebus inpossibilibus, *atque*, dixit, *prius pariet locusta lucam bouem.* LVCRETIVS: **)

> *Inde boues lucas turrito corpore tetros*
> *Anguimanos belli docuerunt vulnera Poeni*
> *Sufferre, et magnas Martis turbare cateruas.*

Ss SENECA:

†) Confer. IVL. CAESAR SCALIGER de caussis Latinae linguae lib. 1. cap. 10. p. m. 22. et IVSTVS LIPSIVS de recta pronunciat. Latinae linguae cap. 13. ††) Instit. orator. lib. 1. c. 7. confer. MOSSELLANVS ad h. l. †††) Vid. PLINIVS hist. natur. l. 8 c. 6. *m*) VARRO de lingua Latina lib. 6. c. 3.

*) Apud VARRONEM de Latina lingua. l. 6. c. 3.

**) Lib. 5. vers. 1301.

SENECA: †)

> - - - *Amat insani*
> *Bellua ponti, lucaeque boues*
> *Vindicat omnes natura sibi.*

Vnde vero animal istud traxerit nomen *lucae*, non vnum omnes sentiunt. Quidam quod in *Lucanis* Pyrrhi bello ††) primum vidissent apud hostes elephantos: i. e. quadrupedes cornutas (quos enim dentes multi dicunt, sunt cornua) *lucam bouem* appellasse. Alii id vocis a *Libya* prouenisse contendunt. Aduersus vtramque sententiam VARRO *n)* maluit *lucas* deriuare ab *luce*, quod longe relucerent propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tum ornatae erant turres. Sed videtur, si *lucas* a *luce* est, significare potius orientalem, vel meridionalem, seu bouem ex Asia, Africa, aliisue prouinciis, quae Romanis ab ortu et incremento solis erant, peregre venientem. Quemadmodum *Lucas* etiam, velut proprio nomine, vocatur, qui prima luce vel sole oriente nati sunt. Vel denique *lucas* ab eleuatione versus lucem ac ingenti mole vocatur: quod idem voluit *Elephantis* nomen. Atque hinc etiam *Lucas*, sanctus Domini et Seruatoris nostri apostolus, ISIDORO *o)* est quasi *ipse consurgens, siue eleuans, eo quod eleuauerit per praedicationem Euangelium post alios.*

§. XIII.

Opus denique fuerit indicare, quid Romani veteres per *graue aes* intellectum voluerint: quibus, vtvt leleuissi-

†) Hippolyti vers. 350. ††) PLINIVS hist. nat. l. 8. c. 6. confer. Celeb. HENRICI DODVVELLI Dissert. §. 3. p. 212. ad Liuium edit. Oxoniens. 1708. 8. vol. 6.

n) l. c. *o)* Orig. lib. 7. c. 9. in fine.

leuissimis vocibus, aliquando grauissimi Viri non sufficiebant, ad sensum inde, quod sciam, recte eruendum. BVDAEVS saltem, haud infimi nominis antiquarius, *p)* et ALEXANDER AB ALEX. *q)* cuius nomen quoque peruulgatum est, aes graue *non signatum* interpretantur. Quam sententiam post tantos viros deinde etiam incauti erroris alii receperunt. †) Sed falluntur; quod manifeste colligimus, ex FESTO, *r)* qui *graue aes*, inquit, *dictum a pondere, quia deni asses, singuli pondo libras efficiebant, denarium ab hoc ipso numero dictum. Sed bello Punico populus Romanus pressus aere alieno ex singulis assibus librariis senos fecit, qui tantundem valerent. Item nummi quadrigati et bigati a figura caelaturae dicti.* Vel quis ignorat, post Seruii Regis tempora, qui primus suis pecuniam dedit, *s)* Romanos non vt antea rudi et informi, sed potius signato, vel ad hoc vnice comparato, aere vsos fuisse. Sed tamen aes signatum istud in solutionibus pendi plurimum consueuit: atque inde *aes graue*, magnam aeris et pecuniae summam significat; *t)*.

Ss 2 Quo

p) De Asse lib. 1. et 5. *q)* Lib. Genial. 4. c. 15.

†) Inter alios CVNRAD. RITTERSHVS. Dodecad. class. 3. part. 3. c. 11. pag. m. 197. *r)* In voc. *Graue aes.* Confer. PLINIVS Hist. natur. lib. 33. cap. 3. *s)* Qui fabulas tractant, Iano aeris signati inuentionem adscribunt. Vid. IOH. BAPTISTA CASALIVS de profanis et sacris veteribus ritibus part. 3. c. 17. VINCENTIVS CHARTARIVS in dem neu eröffneten Götzen-Tempel p. m. 16. seqq. et 20. seqq.

t) Confer. plur. MARCELLVS DONATVS dilucidat. in Liu. lib. 4. p. m. 10. seqq. ROSINVS Antiq. Rom. lib. 8. c. 20. DEMPSTERVS paralip. ad Rosin. lib. 7. c. 31. p. m. 721. NIEVPOORT comp. antiq. Rom. sect. 4. c. 3. A LINGEN de origine et inuentoribus pecuniae.

tertiam notam in quincuplum numero. Quinta C. *centum*, duplicato quinquagenario. Sexta Iↄ. *quingenta*, quincupli rurſum ratione ſeruata. Septima cIↄ. *mille*, habita dupli ratione. Octaua Iↄↄ. *quinque millia*, ne toties millenarii notam iterarent. Nona ccIↄↄ. *decem millia*, a quincuplo in duplum. Decima Iↄↄↄ. *quinquaginta millia*, a duplo in quincuplum. Vndecima et vltima cccIↄↄↄ. *centum millia*, a quincuplo in duplum. Vlterius notarum mutatio progreſſa non eſt. Nec veteres, teſte PLINIO †) vltra centum millia numerabant. Quodſi ducenta, trecenta, aut quadringenta millia ſignificare vellent, has notas cccIↄↄↄ, vt in tabula noſtra videmus, bis, ter, quater, atque ſaepius iterare ſolebant.

§. XIV.

Reſtat Tabula *L. Scipioni*, filio *Barbati*, anno ab V. Cond. cccccxciv. primo poſt illam Duilianam, tunc temporis Conſuli, Cenſori, et Corſicae Aleriaeque victori poſita: quam denique literis reuiuiſcentibus circa annum Chriſti MDCXV. tumulo ſuo ad portam Capenam effoderunt, et inſcriptionem deprehenderunt hoc modo et ordine poſitam: *v*)

†) Hiſt. nat. l. 33. cap. 10. init. De numeris Romanorum plura dicemus in diſſertationis de virili aetate Latinae linguae parte altera cap. 8. §. 11. *v*) Eam pluribus et data opera illuſtrarunt IACOBVS SIRMONDVS et HIERONYMVS ALEANDER. Iacobi Sirmondi explanatio antiquae inſcriptionis, qua L. Scipionis expreſſum eſt elogium, legitur apud GRAEVIVM Rom. antiq. theſaur. tom. 4. Extat haec Scipionis columna, ſed nuda, quoque apud SELDENVM de Dis Syris proleg. c. 3. p. m. 59 et in L. Annaei Flori editione, quae Amſtelodami anno 1702. in 8. maiori ex recenſione IOH. GEORG. GRAEVII cum notis Variorum prodiit, tom. 1. pag. 156. Apud MABILLONIVM de Re Diplom. ſuppl. cap.

HONC. OINO. PLOIRVME. CONSENTIONT. R.
DVONORO. OPTVMO. FVISE. VIRO.
LVCIOM. SCIPIONE. FILIOS. BARBATI.
CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC. FVETA.
HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQVE. VRBE.
DEDET. TEMPESTA EBVS. AIDE. MERETO.

Iacobo Sirmondo interprete:

Hunc unum plurimi consentiunt Romae,
Bonorum optimum fuisse virum,
Lucium Scipionem. Filius Barbati.
Consul, Censor, Aedilis hic fuit.
Hic cepit Corsicam, Aleriamque Vrbem
Dedit tempestatibus aedem merito. vv)

Monumentum istud Latinitatis, vtut proxime ad Duilianam accederet Tabulam, longe tamen hanc atque alia hactenus allata antiquioris seculi fragmenta, verborum ruditate, nisi me fallunt omnia, superat ac insignem pueritiae infirmitatem prodit. *Honc* scriptitarunt pro *hunc*, V atque O vocalibus commutatis: vt etiam in verbis proxime sequentibus, *Consentiont*, *Luciom*, *Filios*, *Consol*

---

cap. 3. p. 14. Eandem inscriptionem cum variantibus Eruditorum lectionibus exhibet Doct. Auctor Annotat. ad Liu. edit. Oxoniens. 1708. in 8. tom. 6. p. 207. Plures alii, quos ibi nominat, GASSENDVS vita Peiresk p. 157. T. FABER l. 2. epist. 32. FABRETT. inscript. p. 461. GVALTH. Tabb. Sic. p. 152. In IACOBI FACCIOLATI, V. C. et Philologi Patauini, differt. de ortu, interitu ac reparatione Latinae linguae. Et nuperrime in IOH. GEORGII VVALCHII, Professoris nunc Ienensis Celeberrimi, historia critica Latinae linguae cap. 1. pag. 28.

vv) Et hanc Aedem fuisse Tempestati sacratam innuit OVIDIVS Fastor. lib. 6.

Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur;
Cum paene est Corsis obruta classis aquis.

Conſol. x) Supra vidimus, *y*) OE pro V poſitam fuiſſe diphthongum. Atqui noſtra nos etiam Tabula docet, eundem fere locum tenuiſſe OI, vt in *oino* pro *vnum*, et *ploirume* pro *plurimi*. Ita *coilum* pro *coelum* quoque veteres ſcriptitarunt. NAEVIVS poëta: *z*)

> *Quei terrai Latiai hemones tuſerunt*
> *Vires fraudesque Poinicas fabor.*

Et PLAVTVS: *a*)

ME. *Ego illhic mihi hodie apparari iuſſi apud te proilium.*
EROT. *Hodie id fiet.* ME. *In eo vterque pro ilio potabimus.*

Vbi peruenuſta eſt in vocibus *proilium* et *pro ilio* paranomaſia, quae non reperitur in voce *proelio*, vt textus vulgares habent. Deinde confirmatur aſſertum noſtrum, *b*) I in E literam antiquitus commutatam fuiſſe, vocabulis *ploirume*, *fueta*, *hec*, *dedet*, *tempeſtatebus* atque *mereto*. Quid ſibi *Duonoro* velit, facile intelligimus, quando nobis in memoriam reuocamus, vetuſtiſſimos *Duonum* pro *bonum*, quemadmodum *Duis* pro *bis* et *Duellum* pro *bellum* dixiſſe. *c*) De *optumo* pro *optimo* ſatis alibi dictum. *d*) *Fuiſe*, pro *fuiſſe*, eiuſdem literae duplicationem reſpuit. *e*) *Fueta* pro *fuit* vocalis in fine adiectionem ſignificat, cuius rationem, vti aliorum in ſcriptura ſua ab Latinis antiquioribus inſtitutorum, nullam dare valemus. Quamuis T. FABER et ex eo Doct. Auctor annotationum ad Liuium

x) Vid huius capitis §. 4. *y*) Huius capitis §. 9. *z*) Ab initio belli Punici primi, verſibus iambicis deſcripti. Confer. GVIL. MERVLA in erudito ad Ennium commentario. et G. I. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis lib. I. c. 2. p. m. 8. *a*) Menaechm. Act. I. ſc. 3 *b*) Huius capitis §. 7. *c*) Vid. FESTVS in his voc. Confer. huius capitis §. 2. *d*) huius cap. §. 8. *e*) Confer. h. c. §. 10

Liuium †) putet, A. istud a Sirmondo in interpretatione omissum significare *autem*, quod olim initio sententiae ponere consueuerint; vti ex Plauto et Terentio de particula *enim* liquido demonstrari possit. Sic quoque consonantis in fine detractionem videmus per totam columnam in vocibus *oino*, *duinoro*, *optumo*, *viro*, *Scipione*, *vrbe*, *aide*. Vltimo notamus, occasione verborum *aidilis* ac *aide*, Æ Latinorum antiquissimos, Graeca consuetudine, per AI scriptitasse, vt *aulai*, *pictai*, *musai*. *f*) Atque SCALIGERO teste, *g*) in veteribus monumentis atque libris semper *Aimilius* pro *Aemilius*, et *aigrum* pro aegrum *h*) legitur. Ita PLAVTVS adhuc, licet virili Latinae linguae aetati proximus: *i*)

Is publice legatus Naupactum hinc fuit,
Magnai Reiipublicai gratia.

Inscriptioque vetusta: *k*) PROLEG. PROVINCIAI. RAITIAI. ET. VINDELIC. ET. VALLIS. POENIN. Et alia: *l*) P. VEIDIVS. P. F. POLLIO. CAESAREM. IMP. CAESARI. AVG. ET COLONIAI. BENEVENTANAI. Mittimus cetera; quandoquidem instituti nostri non est, analytice examinare omnia, sed ex allatis tantummodo praemonstrare, quam diuerse et corrupte hac puerili aetate animi sensa literis communicauerint prisci Romae Ciues, vt ex scriptura de loquendi ratione eorum quodammodo saltem iudicare valeamus. *Fortasse enim sicut scribebant, etiam ita loquebantur.* *m*) §. XV.

†) Edit. Oxoniens. 1708. in 8. vol. 6. p. 207. *f*) Vid. FESTVS in AE QVINTIL. Instit. orat. l. 1. c. 7. *g*) In emendationibus ad hanc syllabam. *h*) Ibid. ad voc. *Aegrum*. *i*) Milit. Gloriof. Act. 2. sc. 1. *k*) Apud GRVTERVM pag. 376. num. 6.

l) Apud ALDVM MANVTIVM in Orthographia pag. 610.

m) QVINTILIANVS Instit. Orator. lib. 1. c. 7.

§. XV.

Neque nos nunc variorum curamus querelas, quod inſcriptiones eiuſmodi plerumque a communiori lingua toto coelo diſcrepare ſoleant: id eo magis, cum etiamnum videre liceat, quantum inſcriptiones, cetero ſatis elegantes, ab rudioribus ſculptoribus deformentur, ita, vt cultiſſimi quoque et optimi, quod ſub Auguſto et paulo ante contigit, Latinae linguae ſeculi reperta fuerint monumenta haud raro contra ipſas grammaticorum regulas turpiſſime confecta: quibus ex. gr. ſcriptum legatur, *ab aliquis* pro *ab aliquibus*, *con quem* pro *cum quo*, *a cenſus*, pro *a cenſibus*, *eius pietatem praeſtantiamque cauſa* pro *pietatis praeſtantiaeque cauſa*, *ob memoriae meritis ſuis*, pro *ob memoriam et merita ſua* et ſexcenta alia. *n*) Neque ſolum haec vitia ſculptorum erant; ſed ipſorum quoque amanuenſium, ſeu antiquariorum, qui codices et volumina conſcribere debebant, ignorantiam vel incuriam tantam fuiſſe conſtat, vt multa hinc inde menda irrepſerint, quae fucum lectori ſaepe faciunt, ac difficultates non exiguas ſcriptis aliorum ingerunt. *o*) Haec atque alia non nemini perſuadere facile potuiſſent, vt vix ac ne vix quidem de ſtilo ſermonis Romani, hoc tempore vſitato, verba facere ex vtraque nobis promulgata Tabula auſus fuerit. Eiuſmodi vero nullum, quantum coniicere quidem valemus, in iſtis publica auctoritate et cura maiorum poſitis monumentis obuenire, vtriuſque conſenſus et tot aliorum, quibuscum iſta conferre licuit,

n) Stili lapidarii menda inſigni catalogo expoſuit Doctiſſ. auctor des geöffneten Antiquitäten-Zimmers cap. *6*. §. 4. Confer. GEORGII FABRICII Antiquitatum monumenta.

o) Vid. CAROLVS DV FRESNE praefat. Gloſſar. §. *6*.

a nobis prolata testimonia loquuntur. Quibus adeo freti, asseuerare nulli dubitamus, quod pristina asperitate nondum excussa, hoc etiam tempore, sua velut infantia ac haesitantia linguae, sermo Latinus quam maxime fuerit a subsecuturi temporis decore, ornatu, ac splendore alienus; vti iam quidem nobis Latinitas obsoletiori veste induta appareat. Quod ne cuiquam mirum videatur: in memoriam reuocemus interest, ciuitate continuis vexata calamitatibus atque turbis, imo pugnis bellisque cum vicinis populis, vel etiam aliquando ciuilibus, vix ludos literarios, nedum liberaliorum artium, vel elegantioris disciplinae, scholas adiisse Romanam iuuentutem; sed potius earum loco, quod genti ab origine bellicosae atque rudi magis placuit, castra militaria frequentata fuisse: cum incauti penitus erroris pro ingenio hominum et huius aeui moribus continuo, victricibus armis, nec aliunde, nominis gloriam sibi esse quaerendam, existimauerint. Atque hinc etiam est, si quando literatores surgerent altius, et discere bonas artes Romanae iuuentuti persuaderent, *p*) quod haud aliter quam sub nouitatis detestabili quodam genere studuerint istas omnibus suspectas et odiosas reddere simul atque auctores earum, insigni acerbitate ac summo elegantioris Musae taedio ad vnum omnes ditionibus suis exulare iusserint.

p) Vid. SVETONIVS lib. de claris rhetoribus c. 1. ab initio A. GELLIVS noct. Attic. lib. 15. c. 11.

T A N T V M.

SPICI.

SPICILEGIVM LITERARIVM,

Quo

Recta probatur Legum Decemuiralium Reſtitutio,

contra V. Cl.

DN. BALTHAS. BRANCHV,

ICtum Lugdunenſem;

Et Tractatus

DE PVERITIA LATINAE LINGVAE

vindicatur.

EA est omnium fere literatorum conditio, vt placeant displiceantque aliis, pro ingenio hominum, et artis, quam profitentur, amore: nec fuit vnquam tam bene vel conscripta, vel acta, fabula, quae totius simul atque semel emeruerit theatri iubila. Habuere et veterum excellentissimi scriptores, quod sui et recentioris aeui criticis ansam dedit calumniandi, et modo dictionem, modo argumenta et ipsam disciplinam, modo rationem vitae acerrimo stilo perstringendi. Non semel obiecta fuit TVLLIO, patri eloquentiae et summo oratori, nimia prolixitas et copia, quae dictionem Asiaticam redoleat, LIVIO Patauinitas obiecta fuit, SENECAE vtrique affectata breuitas, Poetis illicita Venus, HOMERO, ARISTOTELI, VIRGILIO furta proposuere: nec Zoili vnquam, nec Aristarchi defuerunt, qui id sibi incumbere putabant, vt scripta aliorum et facta reprehendant. Haec ratio est, quod veteres tanto studio non detrectabant suum probare ingenium. Monumenta, si quae publicae luci dare volebant, multis lucubrationibus ea legimus ab se elaborata fuisse, et plurimum in frequenti corona recitasse, recitata poliuisse, atque adeo non nisi curis posterioribus adhibitis, polita perfecisse et euulgasse. Qua in re saluberrimum visum est, quod Venusinus Poeta *de Arte* praecipit:

> *Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam*
> *Viribus: et versate diu, quid ferre recusent,*
> *Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,*
> *Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.*

Et *lib. 1. satyr. 10.*

> *Saepe stilum vertas, iterum, quae digna legi sint,*
> *Scripturus.*

Sic

Sic multum temporis insumtum est, vel in pangendos versus, vel scribendas historias: et emendandi studium adeo commendatum, vt ipse VIRGILIVS, sed quantus vates et operum artifex, ex quamplu- ribus pridie conscriptis versibus, die sequenti vix decimam partem retinuisse perhibeatur: et FABIVS *instit. orator. lib. 10. c. 9.* hoc partem studiorum vtilissimam censeat esse; ***Neque sine caussa creditum, stilum non minus agere, cum delet.*** Imo cum libri iam descripti et editi essent, animaduersos ab aliis errores, vel per se postea, vel amicorum opera, emendarunt: quod Ciceronem ipsum et principes viros in re literaria fecisse, probatum iuerunt plurimi. Tanto magis in rep. literatorum ego nouellus, cui neque maturior aetas, neque politiores literae satis fauent, mihi gratulor, si quando perexigua et paucula, quae subcisiuis horis paraui, et nimis forsan praepropere vulgaui, scripta mea ab Eruditis recensentur et castigantur: vt melior inde successu temporis euadam. Hoc volo, et ago, vt probis et doctis me meaque studia probare possim: illiteratum plausum nec desidero. Sed tamen aliquando fieri solet, vt viri, alias boni, et multa rerum experientia elati, nimium indulgeant sibi, ac potius ex temperamento et affectu, quam veritate, in caussam alicuius inuehantur vehementius, atque decet. Cum ego non ita pridem inter alias quoque XII. Tabularum leges postliminio restituere, saltem ab erroribus scripturae apertioribus aggrederer purgare: clarissima, quae prostant, veterum testimonia, cumprimis illud secundum formam et literas antiquissimum Latinae linguae monumentum, quod est in rostrata Duilii, et illa rudiori adhuc L. Scipionis tabula, vbique secutus sum. Vid. *tractatus de pueritia L. L. cap. 5. §. 1.* Nam ex QVINTILIANO *instit. orator. lib. 1. c. 7.* cum omnibus noui, quod orthographia consuetudini seruiat, ac ideo saepe mutata sit. Id quod vbiuis adhuc ab eruditissimis XII. Tabularum commentatoribus neglectum fuisse, iam tum tractatu meo publicae luci dato, conquestus et Doct. BRANCHV *obseruationibus ad Ius Romanum cap. 10.* (qui liber prodiit Lugduni Batauor. 1711. in 8.) vbi tandem in fine subiungit:

Pag. 115.

Tantum quod haec typis expressa erant, quum in manus meas venit tractatus Viri Docti Ioh. Nic. Funcii de

 pueri-

pueritia Latinae linguae, *qui hoc anno prodiit Marburgi Cattorum in 4. Ibi id inter alia exsequi conatus est Vir ille doctus, vt XII. Tabb. vocibus genuinam scripturam restituerit, quod hactenus neglectum fuisse in hoc capite conquestus sum. Sed ne operas typographicas morer, in addendis demum in calce huiusce libelli quaedam de Germani huiusce laudando conatu dicam.*

Qui sibi in aliorum scripta iudicandi licentiam sumit, verba sunt Vossii *de imit. cap. 9. §. 2.* his praecipue debet esse instructus, vt et bene possit iudicare, et facere id velit. Vt possit, requiritur prudentia: vt velit, probitas et beneuolentia. Vtramque boni censoris et arbitri virtutem fore in ICto persuasus sum. Sed videamus, quid ille in addendis: nam ibi de conatibus nostris iudicandi locum sibi et facultatem esse dicit.

Pag. 235.

Nuperrime Vir Doctus in Germania Ioh. Nic. Funccius veram legum Regiarum, carminum Saliarium, et XII. Tabularum scripturam repraesentare est conatus in tractatu de pueritia Latinae linguae, *de quo in fine cap. 10.* Obseruationum mearum *mentionem feci. Laudandam omnino crediderim Germanorum diligentiam, qui laborem quemcunque in se recipere non refugiunt, modo sperent ad scientiarum incrementum illum pertinere. At quum conatuum humanorum experientia ab omni aeuo docuerit, rerum omnium initia rudia, minimeque numeris omnibus absoluta esse: mirum non est, si in Viri illius nouo conatu non pauca in reprehensionem incurrant; quod tamen non incuriae docti illius viri, sed humanae imbecillitati tribuendum censeo.*

Recte et prudenter Vir Doctus inquit, propter imbecillitatem humanam, quae communis simul omnibus est, nihil posse a mortalibus proficisci, quod inceptum aeque ac perfectum fiet. Praesertim in critico isto genere nemo versatur sine lapsu ac relapsu.

In eo

In eo tamen fallitur admodum, nouos esse conatus meos in legibus XII. Tabularum restituendis: quas dudum ante me HOTOMANNVS, CRISPINVS, RAEVARDVS, LIPSIVS, CHARONDAS, MARCILIVS, RITTERSHVSIVS, MERVLA, GOTHOFREDVS, GRAVINA, plures alii data opera explanarunt: praeterquam quod omnia satis commode ad veterum scripturam examinauerint. Post tot tantorumque Virorum labores, accuratius paulo veterum monumenta conferre, et quod neglectum fuit adhuc, nescio qua Doctissimorum quorumque incuria, euidentissimis antiquiorum suffultus testimoniis perficere institui nuper, in illo de pueritia Latinae linguae tractatu. Quo tamen absit dicam, vel dici ab aliis velim, perfecti aliquid inesse. Hoc potius agebam, puerilem statum Latinae linguae demonstrando, vt doctioribus et LL. peritis animum mouerem obseruatiunculis meis, leges illas antiquissimas et fontem Iuris Romani post hac tractandi religiosius, verborum et scripturae habita ratione. Atqui hoc etiam tum temporis monebat Doct. BRANCHV in obseruationibus suis passim. Scriptum illud qualecunque meum praeter huius exspectationem, quod nollem factum, ante diem prodiit, et applausum inuenit multorum in Rep. literaria Virorum maximorum: vt ex publicis Lipsiensium et ipsorum Belgarum actibus cum voluptate percepi. Quum ergo consultissimus Dn. BRANCHV illud iam actum videret apud Germanos, homini Gallo inuisos, quod solus sibi, vel multis parasangis antecellens, notasse persuadebat: nescio quo vsque stomachatus sit in emendationem, quam desideratam fuisse ab semetipso, tot paginis locutus est. Ego vero, cum nihil humani a me alienum esse putem, Viro in his studiis politissimo lubens concedo, et audio, illum rudia conatus mei initia perpolire, minime absoluta numeris omnibus absoluere, et non pauca, quae in reprehensionem incurrunt, pro dexteritate sua corrigere posse, et velle. Iam diu hoc noui, peruidere omnia non vnius esse hominis; nec tantum mihi sumo, vt contendam, ea quae scribo, praesertim in argumento tam lubrico, posita fore extra omnem erroris, vel dubitationis, aleam. Vid. *tractatus de pueritia LL. cap. 4. §. 17.* Confer LIPSIVS de recta pronunciat. Lat. linguae cap. 1. Licebit tamen hoc loco mihi in animum reuocare, et incuriae vel ignorantiae macula liberare, quae atrocius nunc, sed immerito, Vir doctus persibilare ausus est. Nam ita ille pergit:

Pag.

Pag. 233.

Ne tamen calumniae notam subeam, exempla eorum nonnulla proferam. In cap. 1. §. 15. (fallitur §. est 16.) *literam Q. non antiquissimam adgnoscit, nihilominus in Tabb. XII. ea vtitur.*

Primo reprehendit, me agnoscere Q literam inter antiquissimas non esse, nihilominus ea in XII. Tabulis restituendis vti. Frustra. Nam vbi Q literam non antiquissimam agnosco, Pelasgorum et Euandri tempora innuo, quibus elementa literarum Italiae populis nondum cognita satis fuerunt: donec illa, si credere licet scriptoribus, quorum fide nititur quicquid proficisci a me potuit in hunc vsque diem, ad imitationem Graecorum, Euander, vel eius mater Carmenta, introduxit. Videatur *cit. nostra dissertatio*, et illa, quam *de origine Latinae linguae* conscripsi, *cap. 8.* §. *5.* Atque inter istas XV. quas l. c. enumeraui, primas literas Q locum obtinuisse, contra tot auctorum fidem, quis dixerit? Inde vero plane non sequitur, eam literam nec Decemuirum temporibus fuisse; cuius inuentum et originem propter ipsam antiquitatem ex literatoribus nemo huc vsque nouit. Hoc nouimus, promiscue veteres C et QV scriptitasse. Hinc *Quoi* antiq. pro *cui*, vt etiam apud VIRGILIVM, antiquitatis studiosissimum poetam, passim et alios obseruare possumus: *quoiquam*, *quoique*, *quoiusque*. Vid. GIFAN. *index Lucret.* confer. *dissert. nostra de Adolescentia LL. cap. 7.* §. *28. p. 525.* Et ipse Dn. BRANCHV *obseru. cap. 10.* eam literam, vt debuit, in L. Scipionis et Duilii monumentis vetustissimis pinxit. Quidni et in XII. Tabulis esset, tantum CXC. annis prioribus? Hoc simpliciter credo, quoad eius contrarium probari nequit. Tandem vero Dn. BRANCHV eodem spiritu, quo sententiam nostram oppugnauerat, veritatem caussae agnoscere debuit.

Pag. 233. et seq.

Responderi quidem potest, censeri illum literam illam potuisse Decemuirorum antiquitatem attingere, nec tamen antiquissimam esse. Ergo quum haec incerta sint, ad euidentiores lapsus pergam. Loco V saepius scripsit OE. vt cap. 4. *§. 9. OESVS, OESORPATOM, quum*

OE pro

OE pro V sit quidem antiquum, at OI pro ipso OE esse antiquius constet, vt monui supra p. 100. *scribere ergo omnino debuisset* OISOS, OISOSPATO (*nam* OS *pro VS terminatio antiqua est, et M in fine vocum saepius omisere veteres, vnde* OINO *pro* VNVM *in priori inscriptione supra* pag. 92. *conspicitur.*) *Adeo vt vbique pro OE ex mea opinione ponere OI debuisset. Imo interdum V reliquit, vbi certissime olim OI erat; e. g. pag.* 103. MVNIVNTOD *apud eum leges, vbi* MOINIONTO *scribendum erat: nam* moenia, *olim* moinia, *est a* munio, *olim* moinio.

Mirus homo est, qui ex tabula Scipionis vacillanti et incerta, certas scriptionis, illo et antiquiori seculo consuetae, regulas elicere voluit. Quicquid etiam ille monet, noui, et bona fide scripsi in *dissert. de pueritia LL. cap. 5. §. 14.* Ea ipsa tabula, quam pro fundamento sibi posuit, LVCIOM habet, non LOICIOM, VRBE, non OIRBE. Antiquius paulo est illa, et verius Duilianum monumentum: in quo tamen ipse *obseru. cap. 10. p. 93.* scripsit PVCNANDOD, non POICNANDOD, SVMAS, non SOIMAS, NVMEI, non NOIMEI. Adeo eius incerta sunt omnia. Et quaeso, vnde Vir Doctus probabit OI pro V antiquius esse atque OE? Et hoc probato, quod vix ac ne vix quidem fieri poterit, qualem nobis demonstrabit conuenire XII. Tabularum legibus? antiquam vel antiquiorem? Neutrum certe praestare constituet. Sed antiquitus (caussam ignoro, et mecum forsan omnes) in verbis vtrumque OI et OE pro V obtinuit promiscue. Vid. *dissert. nostra de Adolescentia LL. cap. 7. §. 28. pag. 325.* Ita olim POENIO, pro PVNIO, a quo manet etiam *poena*; COMOETAT, pro *commutat.* Certe sibi non constat Vir Doctus, qui ex tabula paulo recentiori Scipionis concludit, OI pro V, non OE scribendum fuisse a me in vocibus *oesus* etc. ipse vero, vt debuit, in tabula rostrata, quae antiquior est, scripsit POENICAS, non POINICAS, pro PVNICAS. Sed vt verborum finem tandem faciam, stat pro sententia Iudicis mei neque ratio, neque auctoritas vlla: meam scripturam inter alia

ter alia ſatis comprobare videtur monumentum vetus inſigne apud FESTVM in v. *publica pondera*, vbi legimus OETIER, non OITIER pro *vti.* vid. etiam AVSONIVS POPMA *de vſu antiq. loc. l. 1. c. 2. p. 10.* et IVSTVS LIPSIVS antiq. lectionum l. 2. cap. 2. Idem de recta pronunciat. Latinae linguae cap. 11. *Priſci*, inquit, *velut promiſcue ſcripſere, oiſum, oeſum, vſum: Poenos, punos: Coirauit, coerauit, curauit: Moenera, munera: Moeros, muros:* etc. Atque adeo vbi vocis antiquae inueni auctoritatem aliquam, neque ratio obſtat, quin recte et bene ſe habeat, eam procul omni dubio ſeruare potui, et ſeruaui: vt apparet etiam in ſcripto *pag. 97.* a me vocabulo OINAM, quod didici, in allegata Scipionis tabula hoc ita poſitum fuiſſe. Diſplicet porro OESVS, pro OESOS, cum antiquioribus O ſit loco V. Id quod etiam me non latet: imo pluribus ipſe demonſtratum iui, in *diſſertat. de pueritia cap. 5. §. 4.* et *adoleſc. LL. cap. 7. §. 28.* et ſcripſi paſſim ad eam regulam: *Adcnatos, protſumos, furioſos, prodicos, ercctom ciendom*, verba ſexcenta huius generis alia. Sed OESVS conſulto poſui ad imitationem aliorum: neque OS pro VS veteres ſemper ſcriptitaſſe Dn. BRANCHV vllo argumento, vel ex antiquitate, ſatis probare poterit. Nam et in ipſa Scipionis tabula, quam orthographiae (quo iure quaeue iniuria non dicimus nunc) fundamentum habet, legimus TEMPESTATEBVS. Eadem ratio eſt hic, quae in *Mageſter* et *Magiſter*, *Mageſtratum* et *Magiſtratum*, in quibus vſum promiſcuum literae vocalis I. et E. prolixe et recte Vir Doctiſſ. probat contra CIACCONIVM, tabulam roſtratam oppugnantem, *obſeru. cap. 10. pag. 107. ſeq.* Eadem ratio eſt hic, quae in vocibus *claſeis* et *claſes*, vt olim ſe habuerunt promiſcue, probatis contra eundem a laudato Dn. BRANCHV *l. c. p. 106.* Eadem ratio eſt hic, quae in *Maxumos* et *Maximos. ibid. pag. 109. ſeq.* Magis ego miror hominis, alias politiſſimi, ingenium, quod OISOSPATO, pro OESORPATOM, ſubſtituat, ex paucis tabulae corruptae vocibus, vbi in fine omiſſa fuit litera M. quae potuit alio ſigno, temporis iniuria extincto, ſignificari in aliquibus, in aliis vero etiam manſit, vt in LVCIOM. Sed ponamus caſum, in ea tabula M a fine vocum fuiſſe abiectum; quae obſeruatio etiam ab nobis praeterita non eſt in *diſſert. de pueritia LL. cap. 5. §. 14.* quod tamen neque apparet in roſtrata antiquiori

quiori tabula, neque in aliquo vetuſtatis monumento alio: qualis argumentatio haec eſt? M in fine vocum ſaepius omiſere veteres, ergo et illud omiſerunt in *oeſorpatom.* Quod ſaepe, imo quod rariſſime, non ſemper fit. De litera R. cauſſam dicemus poſtea. Par ratio eſt in ſequentibus, vbi MOINIONTO ſubſtituit pro MVNIVNTOD, quod *pag. 103. differt. de pueritia LL.* literis non Xuirorum, ſed meis, ad exemplum aliorum ſcripſi. Pro re nata nunc V retinui, nunc eius loco poſui O, nunc OE, nunc OI; prout literas olim fuiſſe commutatas reperi. vid. *differt. de Adoleſc. LL. cap. 7. §. 28.* Ergo *moeniuntod*, non *moinionto*, ſcribendum fuiſſet cogitanti, *moerus*, *moene* et *moenia* inde formari, Vid FESTVS in v. *moene.* confer. ISIDORVS *orig. l. 15. c. 2.* Atque etiam, quod ſcio, *moenire* pro *munire* valuit: vnde *moenitus* pro *munitus*, apud PLAVTVM *Bacchid. 4. 9. 2. Trucul. 2. 2. 55. Admoenire* pro *obſidere*, apud eundem *Pſeud. 1. 3. 150. Ciſtell. 2. 2. 5. Circummoenire, Captiv. 2. 2. 4.* et apud CAESAREM *B. G. 1. 18. Praemoenire*, apud GELLIVM *N. A. 13. 27.* Haec tamen omnia, cum etiam apud illos paſſim et promiſcue reperiatur *munire* cum compoſitis per V ſcriptum, mouere non potuerunt me, quin ſimpliciſſimam et fortaſſis aeque vetuſtam ſcriptionem per V retinuerim: vti magis ſimul appareat genuina vocis origo, quae eſt a Graeco ἀμύνω, *defendo, propugno, tueor,* item *par pari refero*, etiam in beneficiis, vnde ἄμυνα ἀμοιβή; et ἀμυντήριον *munimen* et *tutamen* vertitur,

Pag. 234.

Sic nec cap. 4. §. 6. *vocem* pluribus *ſcribere debuiſſet* plouſebos, *ſed* ploiſebos, *vt in memorata modo inſcriptione* PLOIRVME *i. e.* plurimi.

PLOVSEBOS, quod Dn. BRANCHV damnat, et PLOISEBOS pro *pluribus* ſcriptum fuiſſe opinatur, defendit etiam aduerſus Bachanalia Senatus conſultum, nuper cum aliis exhibitum in *tractatu de Adoleſcentia LL. cap. 7. §. 29. ſub fin. pag. 327.* Neque in omnibus norma nobis eſſe poteſt rudis et negligentius ſculpta, vtut hac noſtra, quam produximus, paulo antiquior Scipionis tabella.

Pag. 234.

Veteres etiam, vt ex eodem monumento obseruaui pag. 100. S. in fine vocum, vbi eius hodie est vsus, non semper adscripserunt: ad quod nec adtendisse Vir ille doctus videtur.

Hic quidem Vir Doctiss. nihil dicit. Certe nunc, ad verba *non semper*, et *videtur*, quod respondeam, non habeo. Extra iocum lusumque, veteres literam S in fine vocum, vbi eius hodie est vsus, non adscripsisse, primum in Domini Iudicis et Aristarchi mei obseruationibus legi. An vero id satis probauerit, iudicent, vellem, iudices boni et aequi. Ponamus hoc, quod nunquam ego concesserim illi, ni forsan metri caussa in Poetarum scriptis: vbi nouimus a priscis literam S elisam fuisse in fine vocum, sequente consona, vt videmus passim in PLAVTO, TERENTIO, aliis; etiam apud NONIVM *cap. 2. n. 98.* et GELLIVM *l. 12, c. 4.* confer. CICERO in *Oratore cap. 45.* et *48.* Vid. et *differtat. nostra de Adolesc. LL. p. 322.* rationem tamen non video, qua et ego XII. Tabulas enumerans, literam hanc omittere debuissem.

Pag. 234.

Sic I longum interdum EI, interdum I, immo et E scripsisse veteres notum esse innui supra pag. 106. *nihilominus priori tantum adhaesit idem.*

Quod attinet ad I longum et EI ab veteribus promiscue vsurpatum, cui me nimis adhaesisse, Doct. Obseruator dicit: euoluatur *differt. de pueritia LL. cap. 5. §. 6.* vbi satis prolixe et clare, vt mihi persuadeo, vtriusque vsum probaui. Vel oportet Antagonistam meum, quem saepius laudaui, paginam tractatus 127. et finem illius paragraphi non inspexisse, nisi oculo conniuenti: alias vidisset etiam tum mihi absurdum et futilem visum esse illorum conatum, qui certas de incertis regulas tradere non verentur. Et proxime sequenti §. 7. quam ille adeo miratur, neglectam fuisse, E et I literarum vocalium commutationem ostendi. Sed praestat Virum Doctiss. conuincere propriis suis verbis. Nam ille ipse *obseru. cap. 0. pag. 106. Nec magis*, inquit, *moueor diuersitate inter clafeis et lases. Quis enim ignorat I, EI, et E, olim permutata fuisse? quo pertinet,*

pertinet, id quod Doctiss. Perizonius loco supra laudato obseruat. ex inscriptionibus constare, scriptum olim fuisse sibei, sibe, sibi. Ea de re etiam fuse scripsit modo laudatus vir plurimae lectionis Iustus Lipsius de rect. pron. Ling. Lat. cap. 7. et 8. Magis sententiam meam caperet, forsan et quae scripsit ipse intelligeret: si notas conferre voluerit: quas laudatus auctor subiecit capiti octauo tractatus de recta pron. LL. Oper. tom. 1. p. 453. seq. edit. Plantin.

Pag. 234. seq.

Porro licet certum sit antiquissimis temporibus AI vicem nostri AE vbique sustinuisse (vid. supra pag. 100.) incautius tamen in eius locum simplicem literam E substituit in multis, sic inuenies apud eum pag. *93. 96. 99. 103. 105. etc.* Pretor, Questor. *etc.*

Antiquissimis temporibus AI vicem nostri AE sustinuisse, praeter alios docet QVINTILIANVS *Inst. Orat. l. 1. c. 7.* et ipse notaui *differt. de puerit. LL. cap. 5. §. 14. p. 135.* passim, alibi. Atque ea obseruatione vsus sum etiam in exprimendis veterum monumentis, maxime in XII. Nihilominus incaute, putat ICtus noster, E simplicem literam in eius locum a me substitutam esse in vocibus *Pretor*, *Questor*, aliis. Fateor, et ingenue fateor, ita nonnunquam lusum fuisse a me; praeterquam quod antiquis lectionibus vel hilum detraxerim. *Egeriai* pro *Aegeriae* habet ENNIVS apud VARRONEM de Lat. ling. l. 6. c. 3. Confer. GOTHOFREDI nota ad h. l. in corpore auctorum L. L. p. 1653. Proinde nunc respondeo verbis non meis, sed IOHANNIS SCHVLTZII, viri clarissimi, ex *florum sparsione ad loca quaedam in re literaria controuersa p. 107. Aeoles,* inquit, *potissimum secuti Latini diphthongos modo in simplices vocales mutabant, modo ipsas illas vocales denuo in diphthongos conuertebant, vt manifeste probat Popma de V. A. L. lib. 1. c. 2. p. 421. Vnde non possum non ridere infantiam illorum hominum, qui sibimet ipsis tamen non videntur* εἰς ἰὸν κόλπον ἐ πλύειν *- - qui quando in monumentis antiquis forte legunt edifico, premium, Egyptus, prefectus, eternus, celum et similia, aut quando in nominibus propriis Graecis est v, et tamen in Latio exprimitur per simplex I aut E. id illi clamant errorem esse scalptoris, aut barbariem seculi. Egregie*

 vero

vero antiquarii! discant prius veteres Graecos atque Latinos, tum ornatus, tum dialecti atque pronunciationis causa, de industria diphthongos pariter atque vocales inter se permutare consueuisse et si mihi fidem non habent, age Praeceptores hic agnoscant, Gruterum, vel potius Iosephum Scaligerum, Antonium Augustinum: plures alios, quos longa serie recenset.

Pag. 235.

Etiam pag. *107. n. 15.* ADITOD *i. e.* addito *scriptum reperies, quum veteres* ADDVITO *dicerent,* (*vide supra p. 91.*) *Vbique* **D** *in fine vocum Vir Doct. addit, quod ex ipsius sententia* (*vide eum pag. 58.*) D in omnibus propemodum vocibus litera vocali finitis, tum maxime, quando sequentis dictionis initium itidem a vocali est, adiectum fuerit. *Immo non tam saepe id fecisse veteres, docent supra adductae inscriptiones. Idem* pag. *56.* ocisit, *scripsit: vitare nimirum voluit concursum duplicis C, at immutata erat seruanda praepositio* OB, *scribendumque* obcisit (*confer supra pag. 99.*) *Immo existimo, in eiusmodi casu duarum literarum concursum olim etiam vsitatum fuisse, vt veteres, non* adeicitod *cum Funccio* pag. *59. sed* addicito *scripsisse credam.*

Displicet Doctiss. Dn obseruationum Auctori, quod scriferim ADITOD i. e. *addito*, quum veteres ADDVITO dixerint. Id quod clarius paulo demonstretur a quopiam mihi quammaxime velim. Scilicet Vir Consultiss. in ea haeresi est, in qua et ego olim fui, antiquum *Duim*, *Adduim*, esse a verbo *Duo*, *Adduo:* vid. *differt. de pueritia LL. cap. 3. §. 8. pag. 58. de Adolesc. LL. p. 292.* quod verbum ceu absque alio fundamento aliquo scriptum hisce reuocatum atque deletum esse volo, quoad veritas caussae magis appareat. Ego certe *Duo* verbum praesentis temporis, vel infinitum, quod satis illi quadrare posset, nondum reperi: vt sententiam mature vel inter scribendum mutauerim, pensitans Festvm, vel, qui eum descripsit, Pavlvm, istorum mentionem facere solummodo in tempore praeterito aut futuro subiunctiui: *Addues* pro *addideris*;

et *Duis*

et *Duis*, inquit, *duas habet significationes: nam et pro Dis ponebatur, et pro dederis.* Vel quis illum putauerit verbum rectum, ex quo tempora reliqua formantur, silentio praeteriisse: si *duo* pro do, et *duere* pro dare valuisset. E contrario testatur *dasi* pro *dari* antiquitus fuisse. Altera quaestio est de concursu literarum eiusdem potestatis, quem euitandum esse maximopere, demonstraui ad nauseam vsque in *differt. de Pueritia LL. c. 3. §. 6. p. 55. et cap. 5. §. 10.* et alibi. Consentit Doct. BRANCHV *obseruat. cap. 10. pag. 91. 94. 95. et 99.* Nihilominus obloquitur in addendis hic, et sententiam nostram contra tot auctorum fidem infringere conatur. Atque adeo *multi*, quod PLAVTVS in *Bacchid.* habet,

> *- - - more isto atque exemplo viuunt, quos vt censeas*
> *Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,*
> *Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.*
> *Nullus est, qui non inuideat rem secundam obtingere,*
> *Sibi ne inuideatur, ipsi ignaui recte cauent.*

In eorum numero quidem Virum Consultiss. bonum aeque ac doctum et diligentem nec esse puto, nec esse posse: quod ille ad faciem vel aliunde me plane non nouit: et mea conditio ea est, quae inuidiam nullo modo concitare valet, etiam apud illos, qui ferre neminem aequo animo possunt: sine ratione tamen reiicit nunc, quod antea desiderauit in legum restitutione, me imprudente. In compositis eam obseruationem locum non habere, dicit quidem, sed nihil probat. Contra vero TVLLIVS in *Oratore c. 45. seqq.* de contractione verborum prolixe agit, quam solemnem Veteres habuisse, monumenta eorum satis superque testantur. Nec poenitet literam D in pluribus vocabulis adscripsisse terminantibus litera vocali, quod male Dn. BRANCHV dissuadet: FABIO QVINTILIANO *instit. orat. l. 1. c. 7.* affirmante, Latinis veteribus D. plurimis in verbis vltimam adiectam; quod manifestum sit etiam ex columna rostrata C. Duellio in foro posita. confer. *Differt nostra de Pueritia LL. c. 3. §. 8. p. 58.* In compositis extra omne dubium, ne vocales concurrant, D inferitur, vt in *redeo, redhostio, redintegro.* PRISCIANVS *lib. 1. D. frequenter interponitur in compositis, hiatus causa prohibendi, vt redigo, redarguo, prodest. Subtrahitur etiam, cum sequens syllaba ab S. et*

alias

alia consonante incipit, vt Aspiro, Asspicio, Ascendo, Asto. Melior tamen et analogiae Graecorum conuenientior scriptura est *asspiro*, vt προσπνεῖν: inquit MATTHIAS MARTINIVS *in lexico philologico pag. 555.* Sed veteres Latini geminationem literae eiusdem solebant fugere. Ceterum non tantum in compositione, sed etiam extra eam D interponebant, sustinendae syllabae caussa, quum nec amarent concursum vocalium: ita *med erga*, pro *erga me*, *sed erga*, *ted erga*. Confer. AVS. POPMA *de vsu antiq. loc. lib. 1. c. 4. p. 16.* Inde MVRETVS *var. lect. l. 15. c. 19.* putat HORAT. *lib 3. od. 14. v. 10. male ominatis* scriptum fuisse *maled ominatis*; ex quo alii fecerunt *male nominatis*. Sic *lib. 1. epist. 4. v. 13.*

Omnem crede diem tibid illuxisse supremum.

ex quo, inquit, factum est *tibi diluxisse*. etc. Conferatur ipse Dn. BRANCHV *obseru. cap. 10. pag. 106.* Instar vero omnium nobis merito suo tabula rostrata est, qua passim PVCNANTOD. MARID. DICTATORED. ALTOD. NAVALED. PRAEDAD. scriptum inuenies.

Pag. 235.

Porro nec probatur mihi apud eum pag. 83. vox* paicont, *non enim* paico *sed* paco *veteres dixisse, certum est.

Non probatur Doct. Gallo vox *paicont*, quod veteres *paco*, non *paico*, dixisse constet. Sed et hic paucis me praestabo integellum. Recte nobiscum Vir doctus obseruat *paco*, *pacit*, *pacunt*, *pacio*, pro *paciscor*, *pacor*, *paciscitur*, *paciscuntur*, *pactio*, fuisse antiquitus vsurpatum. vid. QVINTILIANVS *inst. orat. lib. 1. c. 6.* et FESTVS in v. *pacio.* Id quod lectionem nostram non euertit, sed confirmat. Pungit vero criticum nostrum I litera vocalis, quam inter duas syllabas posui: quod tamen non raro veteribus vsu venisse, neminem, ni forsan illum, qui in omni re literaria plane hospes et nullus est, vel ex AVSONII POPMAE libello *de V. A. L. lib. 1. c. 6.* latere potest. Enim vero ne videar ipse medicam manum intempestiue huic voci admouisse; emendationis auctorem indicabo, quem fraudari sua gloria nolim; et est IACOBVS GOTHOFREDVS, Vir Clarissimus, ab ipso Dn. BRANCHV in *praefatione obseruationum* inter summa ingenia positus. Sed probat ille sententiam verbis TE-

RENTII

RENTII SCAVRI *de orthographia ad Thesеum: Ego contenderim magis supervacuum esse C, quam K: quoniam K, vt apud Graecos, satis vim etiam C literae exprimat. Sed figura quosdam deceptos, qua non solum apud nos, verum etiam apud antiquos Graecos, haec litera notabatur, vt testatur foedus Graeciae camelo aereo in hortis Caesaris Aedi fortis Fortunae incisum, vbi pro porta haec forma posita sit. Item XII. Tabulae, vbi NI PAICVNT per hanc formam, quod male quidam per C enunciant.* etc. Vbi Grammaticus videtur, ex I C literis seiunctis, compositum K, ad suam hypothesin stabiliendam, elicere. Vid. IACOBI GOTHOFREDI *fontes quatuor Iuris ciuilis: de legibus XII. Tab. lib. 1. tab. 1. et lib. 3. pag. 52.* Quem totidem verbis sequitur IANVS VINC. GRAVINA *Operum tom. 1. pag. 273.*

Pag. 253.

Minus recte etiam pag. 60. scripsit tancitod *et* tancet, *nam supina in* actum *desinentia certissimum indicium sunt, verba illa olim nusquam literam N admisisse. Sic antiqua verba sunt* taco, paco, fraco, *recentiora* tango, pango, frango; *satis nota haec sunt, adi* **Ger. Ioh.** *Vossium in Etymol. v.* Tango.

Vt veteres dixerunt *pago*, ita etiam *tago*. Inficias ire quis ausus fuerit? Et hoc praeter VOSSIVM notarunt, eius praeceptor MARTINIVS in *lexico philologico*, compilatores thesauri eruditionis scholasticae, cuius rudimenta BASILIVS FABER dedit, omnes fere lexicographi: inprimis videatur FESTVS in v. *tagit.* Neque tamen ego temeraria vsus sum ratione, quando, ad differentiam vocis *taceo.* Numae legem in *differt. de Pueritia LL. cap. 3. §. 9.* exhibens, TANCITOD et TANCET cum N litera scripsi, quam inueni apud FESTVM in *v. Pellices*, et A. GELLIVM *N. A. lib. 4. c. 3.* Potuit enim *tago* et *tango* apud Latinos, vt θίγω et θιγγάνω apud Graecos in vsu fuisse. Certe cum antiquitatem verbi *pago* non possunt aliunde quam ex PACVVIO probare, illis PLAVTVM oppono et TERENTIVM coaeuos, qui promiscue *tago* et *tango* scripserunt. PLAVTVS *Asin. A. 2. S. 2. v. 106. Si me tagis* etc. Idem *Pseud. A. 1. S. 1. v. 118. Tuum tangam patrem*, i. e. decipiam. *Poenul.*

 prolog.

prolog. v. 101 tangere hominem volt bolo. Er will den Menschen um den fetten Bissen bringen. TERENTIVS *Phorm. A. 4. S. 4. v. 9. Haec modice me tangunt*, i. e. me valde mouent. *Eunuch. A. 4. S. 7. In eam tangas?* paulo post: *Ego non tangam meas.*

Pag. 236.

Haec satis esse mihi videntur, neque enim hoc mihi negotium est datum, vt omnia culpanda in dicto tractatu de Pueritia Latinae Linguae *indicarem. Quaedam tamen adhuc notata videbis in Addendis sequuturis.*

Hic subsistit Obseruationum Auctor Criticus, et multa alia in tractatu meo de Pueritia LL. censet esse culpanda, quae praeterire tum quidem se voluisse dicit. Si vitia typographica intelligit, concedo, et, si viuo, haec altera libelli, quam molimur, editione, larga manu correcta ipse videbit. Si, perlegendo librum, errores obuenerunt grauiores illis, quos notare iamiam et refutare, sed irrito conatu, instituit: quare et istos prae ceteris, qui tanti non sunt, in tempore veritus est mouere, et eorum loco maluit quisquiliis fatigari? Sed timeo, ne, cum ille mea scripta accusat, ipsa veterum monumenta et eos accuset, quos et auctores habeo, et quorum, vt comici nostri verba *Andr. prolog.* mea faciam, aemulari exopto negligentiam potius, quam critici alicuius recentioris, vix tum Latini, obscuram diligentiam. Sin animum aduertit ad res, quae nihili sunt: vt in lepidis obseruationibus suis scribendis abutatur opera: quod facere eum vidi, et hactenus commonstraui pluribus; habeo praefascine et nunc, quae hominis inquieti, et forsan praecocis, moliminibus obiiciam, vel obiectionibus respondeam.

Pag. 236.

Male in hoc viros doctos est imitatus Doct. Funccius, saepius iam laudatus, dum non olos, *vt ego, sed* ole *in recto singularis numeri scripsit pag. 55. Nec scripturam illam iuuat, quod veteres in plurali numero scripserint* oloe: *nam vt in Carmine Saliari* pilumnoe poploe *est a* pilumnos poplos, *sic* oloe *fuit ab* olos: *nec aliud etiam suadet, quod rectum hodie scribatur* ille; *quibus enim lingua-*

rum

rum indoles est perspecta, illi norunt, quo magis ad earum originem accedimus, eo pauciores in iis occurrere voces anomalas; vnde non semel apud Terentium ipsus *exstat, pro quo postea semper* ipse *vsurpari coepit.*

De voce OLOS seu *ollus* pro *ille*, Doct. BRANCHV recte monet, sed parum probat. Optimum argumentum illi VARRO praebet *de Latina lingua lib. 6. c. 3.* vbi ad Ennii, *olli respondet suauis sonus Egeriai, olli*, inquit, *valet dictum illi, ab olla et ollus: quod alterum comitiis cum recitatur, a praecone dicitur, olla centuria, non illa: alterum apparet in funeribus indictiueis, quum dicitur, ollus leto datus est, quod Graecus dicit,* λήθη, *i. e. oblinioni.* Et FESTVS in voc. *Quirites: Ollus Quiris leto datus:* vbi perperam vulgo *illius* pro *ollus* legitur. Sed dicat mihi Vir Celeberrimus, annon antiquitus OLE, quod etiamnum valet, sub eadem terminatione, obtinuerit aeque ac OLVS, vel, vt mauult, *olos*. Ego profecto vtrum antiquius sit, non facile ausus fuerim decidere. Veteres autem vocabula non semel sub variis terminationibus pronunciasse, demonstratum iui, in *differt. de Adolesc. Latinae Linguae cap. 7. §. 8. 13. 14.* alibi. Vel quem latet, *ipsus* et *ipse* apud TERENTIVM atque PLAVTVM vsurpari promiscue: *Ollus* vero et *olle*, vel *ole*, simul dictum fuisse primitus pro *ille*, testantur praeter innumeros alios GIFANIVS *in indice Lucret.* et MATTHIAS MARTINIVS *in Lexico philologico.*

Pag. 236.

Funccius noster iisdem adductis rationibus, quibus Cocceius est vsus, eius sententiam tuetur. Hanc solam nouam profert pag. 29. quod saepius in fragmentis Carminum Saliarium ea litera hodie compareat. At an inde statim sequitur literam R regnante Numa fuisse vsitatam? Nihilne sequentibus temporibus fuit in vocibus Carminum illorum mutatum? Immo non in aliis tantum verbis, in quibus antiqui scribebant S, sed et in Carmine Saliorum postea scripserunt R. Disertis verbis docet nos illud Varro lib. 5. de Ling. Lat. *post priorem lacunam,* pag. 70. in

 med.

med. edit. tert. 1581. *Addam, nec secundum Germani nostri sententiam, debuisse ab illo* pag. 100. *scribi* CERAT, *sed* CESAT, *nam supinum verbi illius prodit, pronuntiasse veteres* geso, *non* gero. *Sic olim unum fuit verbum* quaeso, *quod postea ob diuersos significatus interdum literam R recepit; et similiter ex temporibus* quaesiui, quaesitum *intelligitur. Tandem et quodam modo probare posse mihi videor, quod supra pag. 96. scripsi, licet litera R olim incognita esset, nihilo tamen secius veteribus sonum eius fuisse cognitum, atque ab iis litera S indicatum. Scilicet* lessum *hodie legimus in legibus Decemuiralibus Tab. 10. olim, quum nulla litera geminabatur, scripserunt* lesum, *aut* lesom, *et recto casu* lesos. *Iam ipsissima haec est vox Graeca* λῆρος, *quae similiter etiam inutilem clamorem denotat: quod viri docti nondum obseruarunt, vt intelliges ex Taubmanni nota ad Plauti* Trucul. act. 4. sc. 2. v. 18. *et Vossio in* Etymol. *v. lessus.*

Lubrico fundamento nititur Vir Doctus *obseru. cap. 10. p. 96.* vbi POMPONII ICti, nullius certe, vel sublestae fidei scriptoris testimonio simpliciter credit, Appium quendam Claudium reuera literam R primum inuenisse. Quidsi illi hominem eiusdem farinae POLYDORVM VERGILIVM opponerem, *de inuent. rerum lib. 1. c. 6.* vbi testatur ante Appii Coeci seculum literarum figuras esse inuentas, et literam R Latinis datam. Verba ICti, §. *36. l. 2. D. de origine iuris*, haec sunt: *Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc processisse, R literam inuenit: vt pro Valesii, Valerii essent, et pro Fusiis Furiis.* Sed quam corrupta illa verba sint, manifesta eorum contrarietas ostendit. Si enim idem Appius Coecus R literam inuenit, alteri alicui, qui videtur ab hoc processisse, id tribui non potuit. Sin illi, qui videtur ab Appio Coeco processisse, inuentio est tribuenda, tum ipsi Appio Coeco non potuit tribui: cum haec inter se ex diametro pugnent. Vid GEORG. EBERLINVS *de origine iuris, cap. 35. §. 6.* Deinde praeter POMPONIVM, quem omnes fere literatores falsitatis arguunt, ex veteribus nemo est, qui Appium

Appium auctorem facit literae R. vtvt quam plurimi de vsu illius atque satis scripserint. Potuit autem Appius ille, si quid fecit, vsum literae R antiquissimae frequentiorem introduxisse, etiam in vocibus illis, quae antea S scriptum habuere. Pari modo, vt Menstrius Florus docuit, *plaustra* potius esse dicenda, quam *plostra*. vid. SVETONIVS *Vespas. cap. 22.* Et QVINTILIANVS *Instit. orat. l. 1. c. 4.* Veteres *mertare* pro *mersare*, et *pultare* pro *pulsare*, olim dixisse. Idem pari modo *l. 1. c. 7. Quid dicam vortices et vorsus, ceteraque ad eundem modum, quae primo Scipio Africanus in E literam secundam vertisse dicitur?* Quaeso quis ausus fuerit inde probare nec AV, nec E tum temporis, vel antea, Latinae linguae priscis auctoribus vsu venisse? Nec iuuat, quod TACITVS *Annal. lib. 12. c. 14.* paucas primum Romanis literas fuisse testatur, alias deinde additas. Nam et hoc demonstraui in *differt. de Pueritia LL. cap. 1. §. 14. seqq.* Atqui inter has paucas Romanorum literas, quas ab initio habuere, illud ipsum fuit R, quod, breui mutatione P, Graecorum P. repraesentat. Vid. PLINIVS *hist. natur. lib. 7. c. 56.* confer. *differt. de Pueritia LL. cap. 1. §. 14. 16.* Et recte hinc censui *l. c. §. 18. et cap. 3. §. 14.* verba ex saliaribus carmilenis citari: MARMVRII. VETVRII. PRECEPTAT. PROMENERVAT. REDANTRVARE. et simi'ia, quibus noster Dn. BRANCHV substituisset: MASMVSII. VETVSII. PSAICEPTAT. PSOMENESVAT. SEDANTSVASE. Neque tamen voluit *pag. 96.* contra quaelibet veterum monumenta, *Somulus* et *Semus* pro *Romulo* et *Remo*, *Soma* et *Somani* pro *Roma* et *Romanis* olim pronunciatum fuisse: quod recte iam dudum obiecerunt GERH. COCCEIVS *in Comment. ad Pompon. lib. 2. §. 36. D. de origine iuris.* EBERLINVS *de origine iuris cap. 35. §. 6.* HOLTERMANNVS *de origine iuris pag. 238.* plures alii. Sed asserit, non probat, noster, nec probare vnquam poterit, *Roma* et *Romani* pronunciatum fuisse, *Soma* et *Somani* scriptum. Contra FABIVS *instit. orat. lib. 1. c. 7. De mutatione etiam literarum, de qua supra dixi, nihil repetere hic necesse. Fortasse enim sicut scribebant, etiam ita loquebantur.* Hoc constat, in pluribus verbis olim S scriptum fuisse, in quibus postea R substituere. Id quod notaui etiam in *differt. de Pueritia LL. cap. 3. §. 6. p. 55. §. 9. p. 60. §. 14. p. 69.* alibi, et passim in legum restitutione

fecutus fum. VARRO *de Lingua Latina lib. 6. cap 3. Cafmenarum prifcum vocabulum, ita natum atque fcriptum eft: alibi Carmenae, ab eadem origine funt declinatae: vt in NB. multeis verbeis, in quo antiqui dicebant S, poftea dicunt R, vt in carmine Saliorum funt haec, Cofauli, Dolofi, Efo. Omina vero adpatula coemife. Iam Cufiatii, Mufes, NB. Rufe, dumque Ianus venet. Poft Melios, Melior, Foedefum, Foederum, Plufima, Plurima, Afena, Arena, Ianitos, Ianitor. Quare Cafmena, Carmena: inde Carmina. R poftea extrito camena factum.* Confer. QVINTILIANVS *inftit. orat. lib. 1. c. 4.* FESTVS *in R. Arbofem.* alibi. Vt argumenta etiamnum alia ficco pede tranfeam. Adeoque lubens concedo, quod in nominibus nonnullis R et S literae quandam velut cognationem habuerint. Inde vero nequaquam fequitur, nullum plane alterius locum, vel vfum fuiffe. Deriuatio vocis *leffi* a Graeco λῆρος fatis quidem probabilis, fed ratio, quam inde Vir Doct. deducit, etiam lepida mihi videtur. Ecquis ignorat, vel ex VARRONE *de LL. lib. 4. c. 4.* quot modis literarum commutatio fit facta? quomodo voces aliae ab aliis deducantur formenturque? *Litterarum*, inquit VARRO, *fit demtione, aut additione, et propter earum artationem* (*attractionem* legendum eft) *aut commutationem, item fyllabarum productionem.* Vel quis aufus eft vnquam afferere, literas inter fe variis modis commutatas in rerum natura nondum fuiffe. Confer. *differt. mea de Adolefcentia LL. cap. 7. §. 26. feqq.* Perplacet Virum Doctiffimum remunerari quam fimillimo munere. *Lemures* nunc valet, et valuit olim, pro laruis nocturnis et imaginum terrificationibus. HORAT. *l. 2. epift. 2.*

Nocturnos lemures portentaque Theffala rides?

Confer. NONIVS *cap. 2. n. 513.* Ab antiquiffimis vero temporibus *Remures* et *Remuria* dicebantur ab *Remo*, phantafticae et nocturnae apparitiones illae, quae Romulo dicuntur obtigiffe poft mortem Remi, quem interfecerat ipfe, vel interfici curauerat. Fratris ille occifi vmbras cum placare vellet, *Remuria*, feu Remi parentalia inftituit, quotannis menfe Maio per triduum celebrata, quibus mortuorum fepulchris epulae inferebantur. Quamobrem illo menfe veteribus Romanis religio fuit nubere. Satis clare haec apud OVIDIVM *Faft.* 5. leguntur:

Romu-

Romulus obsequitur, lucemque Remuria *dixit*
Illam, qua positis iusta feruntur auis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Litera, quae toto nomine prima fuit.
Mox etiam lemures *animas dixere silentum.*
Hic sensus verbi, vis ea vocis erat.

Confer. PORPHYR. *ad cit. Hor. locum.* SERVIVS ad illud *lib. 1. Aeneid. Romulus excipiet gentem.* DEMPSTERVS *paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. lib. 1. cap. 10.* De ratione nominis *Romuli*, VICTOR, siue qui auctor est alius *originum gentis Romanae*, scribit a *virium* magnitudine esse: alterum vero *Remum* dictum a *tarditate*: quippe talis naturae homines ab antiquis *Remores* dicti. Vnde hodienum quoque *Remus* dicitur nostra vernacula **ein Ruder** / instrumentum quo naues aguntur. Atqui haec, vt opinor, Dn. BRANCHV dicere non poterit esse recentioris aeui.

Pag. 235.

Miror nuper Germanum illum, cuius in his addendis saepius memini, ad obiecta a Ciacconio non modo non respondisse, sed ne opinionis quidem Ciacconii meminisse.

Ego vero magis miror, id demum mihi vitio verti, quod intactum reliqui. Aliter POLYBIVS lib. 6. δεῖ τὸν ἀγαθὸν κριτὴν οὐκ ἐκ τῶν παραλειπομένων δοκιμάζειν τοὺς γράφοντας, ἀλλ' ἐκ τῶν λεγομένων. *Oportet bonum iudicem, seu aequum aestimatorem, non ex iis quae omittuntur aestimare scriptores, sed ex iis quae dicuntur.* Pueritiam Latinae linguae, si quid sentio, recte et prolixe demonstraui ex monumentis illius seculi: neque omnia Criticorum conamina eo referre constitui. Quod ergo Gallus ICtus dicit, quem saepius laudaui, puto equidem non valde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest etiam dicto eius obedientem esse. CIACCONII obiectionibus, quae nihil mouent, imo nequidem tangunt me, profecto respondere quam facillime potuissem: si modo commentarium eius, quo tabulam rostratam illustrauit, ipsum inspicere tum licuisset: cuius fieri partici-

pem

pem diu multumque laboraui. Est enim mihimet ipsi, vt verum fatear, librorum satis curta suppellex. Neque dubia illius tanti sunt, neque sententia vulgaris. Scilicet, vt paucis me expediam, in ea haeresi est CIACCONIVS, basin columnae rostratae fuisse restitutam post C. Caesarem, ac forte etiam post Plinium et Quintilianum, qui testantur columnam rostratam illam, quam bello Punico primo Populus Romanus Duilio posuit, suo tempore adhuc Romae in foro fuisse. Sed argumentis vtitur, quae pridem a Doct. Dn. BRANCHV *obseruationibus ad ius Roman. cap. 10. pag. 102. seqq.* satis superque eneruata sunt. Nihilominus ego, vel monitus a Doct. Viro, eorum contenta breuissime indicabo. (1.) *Literas* putat *elegantiores esse, quam vt illo rudi harum artium seculo incisae videri possint.* Mihi quidem ipsam celeberrimae columnae basin videre, et literarum formam examinare nunquam licuit: hoc vero ausus fuerim affirmare, tum temporis artis pingendi literas peritissimos fuisse Romanos, quantumuis elegantiores musas et culturam linguae suae non vsque adeo curauerint. Certe studium populi R. elegans fuit, vt reliqua monumenta, sic etiam leges ipsas, quod ex Xvirorum historia nouimus, ligno primum, deinde tabulis aereis incidendi. (2.) *Scribendi rationem, qua illa aetate Romani vtebantur, non ad amussim in ea seruatam reperiri: quum inconstans eius sit scriptura, EN, et IN, NAVEBOVS et NAVEBOS. CLASEIS et CLASES. PRAEDAD et PRAEDA.* Ea vero inconstantia linguae et incuria tabulae antiquitatem multo magis probat: cum vetustissimos, orthographiae vix habita ratione, voces promiscue scriptitasse, vulgo notum sit. Quod et nos prolixe demonstratum iuimus in *tractatu de Adolescent. LL. cap. 7. §. 26. seqq.* Nihil vero antiquissimis vsu frequentius venit, quam vt E. et I. et EI. literas inuicem permutarent, et modo hac, modo illa, modo coniunctim vtraque, in exprimendis vocabulis v[illegible]entur. Proinde simul etiam cadit CIACCONII dubium, quod (3.) loco posuit: *Scribi in ea MACISTRATOS, quum tradat Quintilianus l. 1, c. 4. Inst. orat. antiquos MAGESTRATVM dixisse.* FABIVS enim non negat id vocis etiam per I tum scriptum fuisse: sed literarum commutationem et vsum promiscuum indicare voluit. Ita diserte: *Quid? O atque V permutatae inuicem, vt Hecoba, et notrix; Culchides*

Culchides et Pulyxena scriberentur. - - - Quid? non E quoque I loco fuit? vt Menerua et Magester, et Dione et Veioue, pro Digoui et Veioui. Vel quis ignorat, I viciſſim loco E antiquitus fuiſſe? Hinc SALLVSTIVS, qui dictionem antiquiſſimam in pluribus ſequitur, *Bell. Catil. ab exord. omnis homines, qui ſeſe ſtudent* etc. alibi: *Omnis homines P. C. qui de rebus dubiis conſultant* etc. Rurſum: *Crudelia facinora in ciuis patriamque parauiſſe.* Et DONATVS *ad Terent. Phorm. A. 1. S. 1. v. 2. Propter cognationem E et I literarum, non dubitauerunt antiqui et here et heri dicere, et mane et mani, et veſpere et veſperi.* Confer. QVINTIL. *lib. 1. cap. 7. ſibe et quaſe ſcriptum* etc. Quidni etiam in tabula, quam prae manibus nunc habemus, roſtrata, veteres, orthographiae non vſque adeo curioſi, MACISTRATOS ſcribere eodem ſpiritu potuere, quo literis commutatis alii eiuſdem aeui MACESTRATVM pronunciarunt. (4.) *MAXIMOS etiam ibi eſſe, quum Quintilianus lib. 1. inſtit. Orat. cap. 7. et ex Varrone Iſidorus lib. 1. Orig. cap. 25. teſtentur, ante Iulium Caeſarem ſemper fuiſſe ſcriptum OPTVMVS, MAXVMVS.* Eadem ratio eſt, quae in praecedentibus. Et prolixe ad hanc obiectionem CL. BRANCHV reſpondet *obſeruat. ad ius Rom. cap. 10. pag. 108. ſeqq.* Hoc ego quidem negare nolim, ante Caeſaris tempora frequentiorem longe vſum fuiſſe literae vocalis V in eiuſmodi vocabulis, quam literae I. Antiquus enim ſermo plenioris ſoni fuit, et quodam modo ruſticanus: vt plurimum verba pronunciauerint *optumus, maxumus* etc. Conf. *tr. de Puerit. LL. c. vlt. §. 8.* Sed nullo modo ſequitur inde, per I vocalem iſta nuſpiam ſcripta inueniri: priuſquam recentioris et elegantioris aeui ſcriptores pinguitatem illam veterum in pluribus caſtigauerint, ac frequentius ſoni mollioris literam I ſupponere maluerint. (5.) *Eiuſdem Iſidori lib. 1. Orig. cap. 4. teſtimonio, literam X ante Augusti tempora nondum apud Latinos fuiſſe, ſed pro ea CS. ſcriptum fuiſſe.* Falſo quod iam pridem innui *de Puerit. LL. cap. 1. §. 18.* Hiſpalenſis certe Epiſcopus ille tantae auctoritatis non eſt, vt, qui multis erroribus ſcatet, perſuadeat nobis, vetuſtiſſimum ſaxum, praeſente Scaligero et Mureto offoſſum, et approbatum, eius antiquitatis non eſſe, quam iuſto prae ſe ferre, nec immerito ſummi critici iudicarunt. Concedam illi, multos non ſolum ad Auguſti tempora, ſed

etiam infra tempora Antoninorum CS pro X vſurpaſſe: veruntamen X ante Auguſti tempora non fuiſſe, quo confidentius negem, facit illa ipſa Duilii tabula roſtrata non ſolum, ſed alia etiam quamplurima vetuſtatis monumenta, quae longe ante C. Caeſaris aetatem ſcripta fuerunt; ex. gr. aduerſus Bachanalia Senatus conſultum, vetus epitaphium, et illud de Thermenſium immunitate plebis ſcitum: quae *ſub finem tractatus mei de Adoleſc. LL.* bona fide nuper exhibui. Confer. CELLARII *orthographia.* Et TVLLIVS, qui Octauio Auguſto iam puero ſcripſit, illius literae, ceu dudum inuentae, mentionem fecit in *Oratore cap. 45.* vaſtioris ſoni eam literam eſſe docens: *Quomodo*, inquit, *veſter Axilla Ala factus eſt, niſi fuga literae vaſtioris.* Sed neſcio, quid myſterii praetendant recentioris aeui ſcriptores Chriſtiani: cum impudentius contra tot veterum monumentorum fidem affirmare non erubeſcunt, X primum Auguſti tempore inuentum eſſe. Forſan ſtudio illud tempus quaerunt, quo natus eſt mundi Seruator: vt cum illo miraculoſam ſigni quaſi crucis inuentionem in elementorum numero conciliarent. Id quod PAPIAS ipſe diſſimulare non potuit: diſertis enim ille *X littera*, inquit, *vſque ad Auguſti tempus in vſu non erat apud Latinos. Et digne hoc tempore, quo Chriſti nomen innotuit, quia in figura crucis Chriſti ſcribitur XPOS* (rectius XPS.) *Chriſtus.*

Pag. 239. ſeq.

Si Lector contulerit ſuperius a me diſputata de nomine Duillii, cum iis quae V. D. Funccius ſcripſit in tractatu* de Pueritia Linguae Latinae pag. 120. *in multis Germanum illum grauiter eſſe lapſum deprehendet.

Si quis dignatus fuerit noſtram diſſert. *cap. 5.* §. *2.* conferre cum Viri Doctiſſ. *obſeru. cap. 10. p. 112. ſeqq.* ipſe videbit, eandem eius me ſententiam tenere, prope et eadem veterum teſtimonia in medium proferre. In eo differimus tantum, quod ille *Duelius* habeat, ego *Bilios* et *Duilius* ex ſupplemento CIACONII ſcripſerim. Equidem ego arbitror non ex vno fundamento, vtrumque olim valuiſſe: neutrum vero in ipſa tabula roſtrata exprimitur, quae ea par-

ea parte fracta est. Grauem ergo lapsum, quem V. D. putat a me fuisse admissum in deriuatione nominis *Dulu*, hucusque ego reperire non potui. Sin praeter opinionem, et in multis, vtpote qui labilis valde, lapsus sum: mauolo sane et opto, vt in aliis, heic etiam erroris grauitatem Vir Doctus mihi ob oculos posuisset. Cetera Beneuolo Lectori iudicanda relinquo.

Haec Viro Consultissimo et Celeberrimo respondere debui, et volui, ad obiectiones ex dubiis formatas, quae in schedis nostris illi subnata fuerunt. Non ego calamum stringo, calumniandi vel rixandi caussa, in Virum optimum et eruditionis laude enitescentem; quin gratias habeam et agam illi maximas, quod meditationes perhumaniter mecum suas communicare, atque adeo clariorem orbi literato faculam accendere voluerit. His literis Virum Doct. publice oro et obsecro, vt bene consulat obseruatiunculis meis, et aequo animo ferat, quae scribere coactus sum ex veritate illius, quam in me nuper susceperam, caussae. Vel ideo D. D. Branchv magni facio, et in oculis fero, quod, veterum iuris interpretum exemplo, animum subinde, grauissimis laboribus fessum, non detrectet ad politiores literas aduertere, verum potius insigni affectu exquisitam Legum latarum scientiam indissolubili nexu coniungat cum cognitione elegantioris doctrinae, quae nomen suum merito ab humanitate sortitur. Vale, Lector Beneuole, et, si mea scripta placent, XII. Tab. fragmenta cum obseruationibus critico-antiquariis proxime euulgata videbis,

F I N I S.

RERVM

RERVM ATQVE VERBORVM INDEX.

Capito-

Classi-

 Daliuus

E. litera

E.

F.

 Latinis

Hermes

INDEX.

Inchoferi

L. lite-

L

Nocturni

Ossa

literas

Rem

Tau-

V.

V. quo-

Vultum